9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

900000034785

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMUS VIII.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,

JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

ET

THOMAM FRITSCHIUM.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

A. MDCC XXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII. Sect. I.

BIBLIOTHECA ORIENTALIS CLEMENTINO-Vaticana. Recenſuit, digeſſit & genuina ſcripta a ſpuriis ſecrevit, addita ſingulorum Autorum vita, JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS, Syrus Maronita, S. Theol. Doctor atque in eadem Bibliotheca Vaticana linguarum Syr. & Arab. Scriptor. Tomus I de Scriptoribus Syris Orthodoxis.

Romæ, typis S. Congreg. de propag. Fide, 1719, fol. Alph. $7\frac{1}{2}$.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam ex Scriptoribus Orientalibus, ſi cum debita cautione legantur, multum lucis accipere, eaque quæ a Latinis Græcisque vel leviter tacta, vel plane omiſſa, aut perperam dicta fuerunt, inde corrigi & ſuppleri poſſe, nemo harum rerum peritus in dubium vocabit. Magnus eſt Eccleſiæ Orientalis doctorum numerus, quorum vitas & ſcripta ex ſolis ſcriptoribus Orientalibus cognoſcere licet. Quare dolendum omnino eſt, tam pauca in hoc ſcientiæ genere proba extare ingenii monumenta. Syriacos Scriptores quod attinet, peculiari quidem commentario eos complexus eſt Hebed Jeſu Epiſcopus Sobenſis, at præter nomina auctorum ac titulos librorum fere nihil exhibet. Simile opus promiſit Abrahamus Ecchellenſis Maronita in præfatione ad hunc Catalogum, ſed ejus conatus mors intercepit,

& brevis tantum Scriptorum Eccleſiaſtici & profani argumenti index in calce Eutychii vindicati apparet. Naironus, ejus in Collegio Romano Succeſſor, in præfatione Evopliæ ſuæ nonnullos quoque recenſet. Hottingerus autem in Bibliotheca Orientali pleraque huc ſpectantia ex Maſio & Hebed Jeſu mutuatus eſt, & Herbelotius de ſolis Scriptoribus profanis Arabicis, Perſicis & Turcicis ſollicitus fuit. Quod perpendens clariſſimus Autor noſter, ex Bibliothecæ Vaticanæ, cujus hiſtoriam in præfatione pertexit, Codicibus, partim jam pridem ibi magno numero extantibus, partim itineris ſui, quod fuſius hic perſequitur, ſumtibus Clementis XI in Syriam & Ægyptum ſuſcepti ope advectis, novam ac pleniorem Bibliothecam Orientalem admiranda induſtria condere aggreſſus eſt, eamque in quatuor claſſes diviſit. Prima auctores Syros Orthodoxos, Jacobitas, & Neſtorianos, ſive ii primum Syriace ſcripſerint, ſive ex aliis Linguis in Syriacam tranſlati fuerint, continebit; altera Arabes tum Chriſtianos tum Mohammedanos; tertia Coptorum & Æthiopum libros; quarta ſacros Syrorum Codices Syriace vel Arabice ſcriptos, ut Biblia ſacra, rituales libros, & cetera hujusmodi Eccleſiaſtica monimenta complectetur. Singulorum Scriptorum nomina, ætatem, acta, referet, libros, librorumque auctoritatem, antiquitatem, materiam, uſum, prolixe indicabit. Primam autem claſſem valde diffuſam in quatuor itidem Tomos partiri neceſſum habuit, quorum primum ſcriptores Syriaci Orthodoxi, ſecundum Syri Jacobitæ ſeu Monophyſitæ, tertium Syri Neſtoriani, quartum Græci, Latini, aliarumq; gentium ſcriptores, in Syriacum idioma converſi, occupabunt. His appendicis loco Catalogum Hebed Jeſu ſupra memoratum attexet, ſed ex Syriaco iterum recuſum, & ad Codices Vaticanos emendatum: Patriarcharum præterea Syrorum, Maronitarum ſcilicet, Melchitarum, Jacobitarum, & Neſtorianorum, ſeriem adjiciet. Præſente igitur Tomo Scriptores Syri Orthodoxi ſequentes enarrantur. I. *Simeon Barſaboe* ſeu filius tinctorum, cui a parentum arte nomen hæſit, Seleuciæ & Cteſiphontis Epiſcopus fuit, ac Martyrii coronam in perſecutione Perſica ſub Rege Sapore adeptus eſt. II. Sanctus *Milles*, Græcis in Menologio

logio Milus dictus, Epiſcopus Suſæ, initio fere illius perſecutionis ſub Hormiſda Guphrizo Provinciæ Rozichenſis Præfecto martyrium ſubiit. III *Jabachues*, Chaldæus Epiſcopus. IV *Iſaias Adabi Arzunita*, ex regione Arzun (de qua legendus Valeſius in notis ad libr. 25 Marcellini C. 7 & Pagius ad annum 503) Eques aulæ Regis Perſarum, acta Martyrum, quorum nomina adjecit Autor, conſcripſit. V Sanctus *Jacobus*, Niſibis Epiſcopus, Ephremi Magiſter, qui Concilio Nicæno interfuit, at Canonum illius Arabicorum Autor non eſt, nec Liturgiæ, quæ ejus nomen præfert. VI Sanctus *Ephremus*, Doctor Orbis & Syrorum Propheta dictus, pluribus ſcriptis inclaruit, quæ partim *Syriace* & Arabice, partim Græce & Latine extant, atque a *Noſtro* peculiari Syllabo expoſita ſunt. Teſtamentum ſancti Ephremi, quod apud Voſſium in ejus Vita & in nupera editione Oxonienſi reperitur, mendis ſcatet, quæ ex Syriaco textu Autor noſter corrigit. Acta autem Syriaca Doctoris hujus nemini adhuc cognita, ex optimo Codice Vaticano ſexcentorum fere annorum, magna ex parte, præmiſſo eorum compendio ex alio Codice Syriaco trecentorum annorum, ſubnectit. VII *Iſaacus ſenior*, qui a multis cum Iſaaco Presbytero Antiocheno confunditur. Huic librum de Trinitate ac Incarnatione a Sirmondo inter opuſcula Veterum Patrum dogmatica editum adſcribendum eſſe conjicit. VIII *Balæus*, Metripentaſyllabi Autor, qui varios hymnos compoſuit. IX *Zenobius*, Sancti Ephremi diſcipulus, Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconus, contra Marcionem ſcripſit. X *Abſamias*, Presbyter Edeſſenus ab Hebed Jeſu male Abſelamus vocatus, autor hymnorum de Hunnis. XI *Gregorius*, Cypri Abbas, Sancto Epiphanio æqualis. Sermones aſceticos & epiſtolas ad Theodorum Monachum ac Epiphanium ſcripſit. XII *Maruthas* Epiſcopus urbis Tagrit in Meſopotamia, quam & Maipherkin & Maipharacta & Medinat Sohde ſeu Martyropolin appellant, Liturgiæ & hiſtoriæ Martyrum autor, quorum ſeriem per ſumma capita Noſter retexit, ac pleniorem ejus editionem promittit. Idem hiſtoriam Concilii Nicæni & Canones ejuſdem in Syriacum ſermonem tranſtulit, quod opus vere aureum nondum inventum eſſe Noſter dolet. Sunt hi Canones, qui Ara-

bici vulgo dicuntur, quia ex Arabicis exemplaribus primum a Baptiſta Eliano e Societate Jeſu) Alexandriæ exſcripti & Latine verſi, deinde ab Alfonſo Piſano, atque Franciſco Turriano, doctis ex eadem Societate Viris, publici juris facti, tandem ab Abrahamo Ecchellenſi Maronita ad ſex editiones Orientales collati & cum elegantiori interpretatione publicati fuerunt. Rejiciuntur ut ſpurii a Pearſono in Vindic. Ignat. P. I p. 187 & poſt Juſtiniani Imperatoris ævum conficti eſſe dicuntur, ſed ab eodem Ecchellenſi in Opuſculo hac de re edito, & nuperrime a P. Thyrſo Gonzalez Soc. Jeſu de infallibilitate Romani Pontificis Diſputat. III Sectione 2 §. 9 vindicati ſunt. XIII Sanctus *Acacius* Epiſcopus Amidæ, in cujus Epiſtolas dogmaticas Mares Perſa commentatus eſt. XIV *Rabulas* Epiſcopus Edeſſæ qui Rabbulus vocatur, ab Accemeta apud Bollandum. Epiſtola ejus ad S. Cyrillum T. V Concil. Labb. extat; Canones in Edeſſena ſynodo ab eo ſancitos aſſervat Bibliotheca Medicea in Cod. MSC cujus meminit Renaudotius T. II p. 272. XV *Ibas* Epiſcopus Edeſſæ Neſtorianiſmi accuſatus, ſede ſua ejectus, ſed reſtitutus tamen fuit. Famoſam epiſtolam ad Marem Perſam ſcripſit. XVI. Sanctus *Iſaacus Magnus* a Ninivita & ab Ephremi diſcipulo diverſus, Abbas, Presbyter Antiochenus, multa aſcetica compoſuit. XVII *Coſmas* Phaniri in Cœle-Syria Presbyter, Vitæ Simeonis Stylitæ Autor. XVIII *Simeon Stylites* in Mandra Telaneſſæ, columnas, in quibus deinde commorabatur, conſcendit, ibique diem obiit. XIX Sanctus *Baradatus*, ſeu *Barhadat* Syriace, & *Jacobus* monachi. Diverſus hic eſt Baradatus ab homonymo Epiſcopo Telæ & Baradæo ſeu Zanzalo Jacobitarum Sectæ Conditore. XX *Maras* Epiſcopus Amidæ a Mara Monophyſita differt, epiſtolam ſynodicam ad Leonem Imperatorem dedit de ſynodo Chalcedonenſi, cui ſubſcripſit. XXI. *Nonnus* Epiſcopus Edeſſæ ejecto Iba Edeſſæ præfectus fuit, mox autem ejectus Saracenorum & Heliopolitanorum converſioni incubuit. Epiſtola ejus pro ſynodo Chalcedonenſi ad Leonem Imperatorem extat. XXII *Jacobus* Diaconus Edeſſenus, qui vitam ſanctæ Pelagiæ Antiochenæ ſcripſit. XXIII *Mochimus* Presbyter Meſopotamenſis, quem Cave male Moſchimum vocat, cum Syris *mkim*, id eſt ſuſcitator,

dica-

Digitized by Google

dicatur. XXIV *Petrus* Presbyter Edeſſenus. XXV *Samuel* Presbyter Edeſſenus. XXVI *Joſua Stylites*, Chronici de bello Perſico ſub Cavade ſeu Cobade Rege Perſarum autor. VXVII Sanctus *Jacobus* Sarugenſis Batnarum Epiſcopus ſeu urbeculæ in regione Sarugenſi ſitæ, quæ duo Renaudotius confundit, ac Jacobum noſtrum hæreticorum Monophyſitarum anteſignanum injuſte vocat, ex Noſtri ſententia, qui prolixe illi reſpondet. XXVIII *Georgius*, Jacobi Sarugenſis diſcipulus, Encomium in præceptorem ſuum ſcripſit. XXIX *Simeon* Epiſcopus Betharſamenſis, cujus epiſtola de Barſauma Epiſcopo Niſibeno, deque Neſtorianorum hæreſi in Perſiam invecta, ab Autore adjicitur, & commentario paſſim addito explicatur. XXX Chronici Edeſſeni Autor, qui totus inſeritur, ac notis doctiſſimis illuſtratur. XXXI *Xyſtus* Epiſcopus, qui Liturgiam, quæ in Miſſali Romano & Renuadotii Liturgiis reperitur, & alia opuſcula Aſcetica ſcripſit. XXXII *Johannes* Apameenſis Monachus, quem Andreas Maſius cum Chryſoſtomo confundit. Aſcetica varia meditatus eſt. XXXIII *Johannes Saba* i. e. Senex, qui & a monaſterio trans Tigrim ſito Johannes *Adileita* vocatur, varia ſcripta aſcetica quoque compoſuit. XXXIV *Iſaac Ninivita*, ab Iſaaco, Autore libri Cauſæ Cauſarum diverſus, de monaſtica inſtitutione ſcripſit. XXXV *Abraham* Nephtharenus ex loco Meſopotamiæ Nephtar, Sobenſi, Nethphar dicto. XXXVI *Georgius* Epiſcopus Tagritenſis pro ſynodo Chalcedonenſi & duabus Chriſti naturis ad monachos S. Matthæi, quod cœnobium Ninivenſium eſt, ſcripſit. XXXVII *Conſtantinus* Epiſcopus Haran. contra Monophyſitas expoſitionem Synodi Nicænæ & Chalcedonenſis edidit. XXXVIII *Leo* Epiſcopus Haran. Epiſtolam ad Eliam Jacobitarum Epiſcopum dedit, cum ad Monophyſitas tranſiiſſet. XXXIX *Phocas* Edeſſenus Dionyſium Areopagitam Commentariis illuſtravit. XL *Jacobus* Epiſcopus Edeſſenus, cum Jacobis Niſibenſi & Sarugenſi a Maſio, Hottingero, Britio, Nairono, Caveo confunditur, ac a Renaudotio in Monophyſitarum numerum falſo refertur, Noſtro teſte, qui multis hunc refellere ſtudet, ipſe tamen dein nonnulla argumenta contra Jacobi orthodoxiam aliis diſcutienda proponit. Infinitis fere ſcriptis inclaruit, & κατ' ἐξοχὴν

Digitized by Google

Commentator vocatur, tum quia Canonicos Scripturæ libros Commentariis illuſtravit, tum quod varia e Græco in Syriacum ſermonem vertit, ut Ariſtotelis ſcripta Dialectica, in quæ æque ac in Porphyrii Iſagogen commentatus eſt. Primus Syriacam Grammaticam conſcripſit, item epiſtolam de Orthographia Syriaca & punctis Vocalibus, Chronicon quoque, Liturgiam, & ordinem ſancti baptiſmi edidit. XLI *Georgius* Epiſcopus Arabum de Chronico ſeu Calendario Carmen elegantiſſimum ſcripſit & in præfatione Syriacos verſus Arabicis eſſe elegantiores contra Arabis cujusdam jactantiam oſtendit. XLII *Daniel* Epiſcopus Salchenſis ſcripſit expoſitionem in Pſalmos. XLIII *Johannes Maro* Sirimenſis, Patriarcha Antiochiæ, contra Monophyſitas & Neſtorianos ſcripſit. XLIV *Theophilus* Edeſſenus, recentiorum punctorum Vocalium Syriacorum ad Græcorum morem formatorum Autor, Homeri Iliadem in linguam Syriacam vertit & Chronicon compoſuit. XLV *Johannes* Lephedienſis Patriarcha Maronitarum. XLVI *Moſes* Accarenſis Patriarcha Maronitarum. XLVII *Johannes Sulaca* vel *Siud* Chaldæorum Patriarcha, Romam profectus, fidei ſuæ confeſſionem edidit, ac a Papa Julio III inauguratus fuit. XLVIII *Moſes Mardenus*, ex urbe quadam Meſopotamiæ Mardin Romam ad Pontificem Julium III miſſus, Confeſſionem fidei edidit, a Maſio tranſlatam, & Viennæ novo Teſtamento Syriaco imprimendo cum Alberto Widmanſtadio operam dedit. XLIX *Abd Jeſu* Patriarcha Chaldæorum cum Metropolita Sobenſi ab Ecchellenſi, Naironо & Renaudotio confunditur. Carmen de laudibus Romani Pontificis compoſuit, ab Jſaaco Sciadrenſi latine verſum, quod apud Petrum Strozzam in Synodalibus Chaldæorum extat, & tria alia de Johanne Sulaca Carmina, item profeſſionem fidei ſcripſit. L *Elias* Patriarcha Chaldæorum ad Paulum V Pontificem cum fidei confeſſione miſſus fuit. LI *Adam* ſeu *Timotheus* Epiſcopus Amidæ, poſtquam ad eundem Pontificem legatus, Neſtorianum errorem ejuraſſet. LII *Gabriel* Haſan Zephæ urbis quæ & Heſno dicitur, Archiepiſcopus, duo carmina in laudem Pauli V Pontificis compoſuit, quæ apud Strozzam loco citato comparent. LIII. *Georgius Amira*, Patriarcha Maronitarum, Romæ primum

Digitized by Google

primum ſtudiis incubuit, ubi & Grammaticam Latino ſermone edidit anno 1569, cum prolegomenis de ejus linguæ præſtantia & antiquitate, qua & Hebræam ſuperare opinatur. LIV *Iſaac* Sciadrenſis Epiſcopus Tripolis, Romæ quoque literis operam dedit, ac Grammaticam Syriacam, bina carmina in Urbanum VIII Pontificem, & Quæſtiones Theologicas Arabice ſcripſit. LV *Joſeph* Accurenſis, Maronitarum Patriarcha, Carminum Arabicorum de Maronitis & Melchitis, ac Calendarii reſtitutione adverſus Orientalium calumnias autor. LVI. *Abgarus* Edeſſæ Rex & *Archelaus* Epiſcopus Caſcaræ. Ceterum eruditiſſimas paſſim notas Autor inſpergit, ex quibus pauca delibabimus. Pag. 119 occaſione Bardeſanis hæretici, qui Syriace ܒܪܕܝܨܢ Bardaizan appellatur, annotat, fluvium prope Edeſſam vocari Daizan i. e. *Saltator*, quam vocem Græci per *σκιρτὸν* expreſſerunt. P. 121 de Cuchitis hæreticis obſervat, autorem eorum Syrum quendam fuiſſe Cuch, a quo Cuchitæ, vel *Amphorarii* dicti. Ab his autem diſtingui debere alios orthoxos Cuchitas, qui ܩܘܩܝܘܬܐ i. e. artem figularem exercuerint. P. 205 in originem Neſtorianiſmi in Oriente inquirit & Renaudotium refellit. P. 261 omnes Toparchas Edeſſenos prænomen Abgar habuiſſe, quod claudum ſignificat, nec cum Spanhemio Acbar i. e. *magnus* ejus loco ponendum eſſe cenſet. P. 294 Nomen Tabelitæ, quo Jacobus Sarugenſis inſignitur, explicat, ac doctorem univerſalem Syriace ſignificare, Canonesque Conciliorum Oecumenicorum ܬܒܠܝܐ *Tibeloje* vocari oſtendit. P. 359 de regno Indorum & quomodo belli cauſa Chriſtianam religionem amplexi ſint, hiſtoriam Johannis Aſiæ Epiſcopi apud Dionyſium Patriarcham in Chronico, & p. 364 epiſtolam Simeonis Betharſamenſis de Homeritarum martyrio doctis commentationibus illuſtrat. P. 469 Johannem Seldenum emendat ac Edeſſam Meſopotamiæ urbem a Syris *Arach & Orrhoa*, Arabibus vero *Roha & Orfa* appellari monſtrat, & hinc provinciam Edeſſenam Græcis Latiniſq; Scriptoribus corrupto nomine Oſrhœnam dici obſervat. P. 507 de Melchitarum, Mardaitarum & Maronitarum origine differit, ac nomina

na illa Melchitarum & Mardaitarum coæva & oppoſita fuiſſe putat, eaque non religionis aut ritus,ſed civilis duntaxat factionis differentiam indicaſſe putat. Nam rebelles adverſus Imperatorem Syriace Mardaitas, ſed obedientes Melchitas, i. e. Imperiales dictos fuiſſe exiſtimat. P. 554 Epiſtolam Abgari ad Chriſtum nullo νοθεύσεως vitio laborare aſſerit,ſuamque ſententiam variis argumentis tueri conatur, quæ pariter atque illa quæ ad harmoniam Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis ſtabiliendam attulit, examinare noſtrum non eſt. Adjectus eſt in operis hujus calce Index MStorum, quæ in Codices Nitrienſes, Berroeenſes, Amidenſes, Græcos, Echellenſis & Petri a Valle diſpeſcuntur.

BERNHARDI SEBASTIANI CREMERI, B. F. SS. Th. Doct. & ejusd. Facult. in Academ. Harderovic. Prof. Prodromus Typicus continens Exercitationes Philologico Theologicas in V. & N. Teſt. loca.

Amſtelodami, apud Janſonio-Waesbergios, 1721, 4.
Alph. 1 plag. 7.

CL. Autor in ea verſatur opinione, totam Veteris Teſtamenti hiſtoriam ſacris literis comprehenſam eſſe Typicam, ac Judæorum cæcitatem & infidelitatem in eo conſiſtere, quod literæ & cortici legis & rerum geſtarum inhærerent, nec ad finem legis Chriſtum reſpicerent: quod ſtudium typicum ex Moſe & Hiſtoriis ſacris Veteris Teſtamenti tum ſtatim in præfatione, tum quoque ſub finem hujus Prodromi vindicare ſatagit: nec enim cauſam allegari poſſe, cur non, cum de rebus ſub Moſe geſtis hoc unanimi fere conſenſu concedatur, idem quoque de ſacra hiſtoria poſt Moſen affirmari debeat? cur verbi gratia exitus ex Ægypto ſub Moſe eſſe poſſit typicus, & non item introductio in Canaan ſub Joſua? cur introductio in Canaan ſub Joſua, & non confirmatio Iſraelitarum in ea per illuſtres liberationes ſub Judicibus? & ita porro. Sane eſſe has res ejusdem naturæ & indolis, ac proinde idem de illis, quod ad eſſentialia, affir-

Digitized by Google

affirmari debere, id eſt, omnes res geſtas eſſe typicas, & ad Chriſtum ejusque Eccleſiam reſpicere. Diverſitates vero rerum geſtarum rerum antitypicarum diverſitatem deſignare, neque etiam absque hac relatione rationem reddi poſſe, cur illæ potiſſimum hiſtoriæ & non plures aliæ ex innumeris, quæ æque fata communis providentiæ continebant, a divinis Scriptoribus literis conſignatæ fuerint, cum liber bellorum Domini, liber juſtorum &c. eadem nos docere potuiſſent. At vero delectum talem habitum eſſe & ex annalibus populi Dei multis paucas reſervatas & ad ruminandum traditas eſſe has hiſtorias propterea, quod iſtæ fata Chriſti & Chriſtianæ Eccleſiæ continerent. Eandem eſſe rationem, cur poſt Johannem non reperiantur divini amanuenſes, qui annales Chriſtianæ Eccleſiæ componant, eo quod tunc Eccleſia Chriſtiana ad tempus implementi typorum venerit, quæ proinde non indigebat divinis amanuenſibus, qui Eccleſiæ res geſtas componerent, utpote quæ ab Eccleſia non debebant ut typicæ ſpectari, & propterea annotari ac Eccleſiæ prælegi: ſicut quod ad Hiſtoriam Veteris Eccleſiæ attinet, res ſe habebat. Hiſce argumentis ſtudium Typicum Autor munire in præſens allaborat, quæ alibi accuratius ſe perſecuturum eſſe pollicetur. Ut autem in hoc ſtudio felices progreſſus facere poſſet, facile in animum induxit, ut crederet, clavem prophetiarum, quæ vel Iſraelem, vel hoſtes ejus (de aliis jam non diſputat) non tantum literaliter ſed & myſtice proponunt, ex Hiſtoriæ filo depromendam eſſe. Nullum enim tempus ipſi videbatur eſſe, ubi populus Iſraeliticus, ejuſque adeo hoſtes, typice aut myſtice conſiderari non poſſint aut debeant. Et propterea tutius nunquam ſibi incedendum eſſe Autor exiſtimabat, quam ut Hiſtoriam V. T. totam faceret parallelam cum Hiſtoria Eccleſiæ, ejusque hoſtium ſub N. T. inde enim juxta ſuam hypotheſin certus eſſe poterat, intra quos terminos Prophetia de Iſraele vel ejus hoſtibus agens, continenda erat; & quæ Eccleſiæ ætas & hoſtes ſub N. T. indigitabantur. Cum vero ipſo uſu expertus fuerit Autor, non ea, ac quidem, ut ipſi ſaltem videtur, decebat accuratione, Typos eſſe tractatos, neceſſarium duxit Diſſertationem de Typorum uſu & abuſu conſcribere, ut eruditi percipiant, quid Autor deſideret Præfat.

& quid ipſi ab eo expectare debeant. Primo igitur in laudata diſ-
ſertatione Autori diſplicet, quod multi ſubjectum & argu-
p. 4. §. 8. mentum typi, non, ut in prophetia verbali faciunt, accurate ex-
plicent, ſed obſervatis quibusdam analogiis ex quibusdam phra-
ſibus nunc hoc nunc illud ſubjectum, nunc Chriſtum nunc Apo-
ſtolos, vel fideles deſignent, cum tamen typi ſint umbræ, adeo-
que prædicata in ſua connexione omnia luſtrari debeant, ut ſubje-
ctum antitypicum inveniatur. Dein minus probatur Autori,
p. 5. §. 9. quod alii in typis explicandis, præterquam quod longe plurimas
circumſtantias non attingant, neſcio quos ſaltus committant, atque
materiam typicam ὕστερον πρότερον tractent. Ex gr. relatum legi,
Simſonem cum tribus mulieribus rem habuiſſe, & de ſingulis di-
ſtinctam poſteritati hiſtoriam relictam eſſe, cum vero de Simſo-
nis Antitypo agatur, tres illas hiſtorias ita inter ſe confundi, ut ni-
hil ſupra. Quemadmodum etiam ſæpe in typis multa ut minu-
tiæ vel περίεργα conſiderentur, quæ tamen ſæpiſſime ſubjectum
p. 8. §. 11. determinent, ſicut parvi ductus & lineamenta ſuum Archetypon:
quandoquidem etiam ſapientiæ divinæ non conveniat, in Typis
dari περίεργα, quæ a principali abludant ſcopo, nec ei ſubordina-
ri queant. Quamvis enim poſſit in typis principalis ſcopus a minus
principali diſtingui, & dignoſci, nihilo ſecius tamen omnia, etiam
quæ περίεργα dici poſſint, ſibi ſubordinanda & ſpirituali ſenſu il-
luſtranda eſſe. Porro miram plane rem eſſe dicit Autor, quod,
p. 10. §. 12. cum ab una parte multæ circumſtantiæ materiæ Typicæ dican-
tur eſſe ſupervacaneæ ratione ſenſus ſpiritualis, ab altera parte
multa vel ex S. Scriptura, vel ex ratione, vel ex Judæorum
traditionibus materiæ typicæ addantur, & myſtico ſenſu ex-
plicentur, cum tamen typi legales a mente divina ita ſint conce-
pti & circumſtantiis circumſcripti, ut religio nobis eſſe debeat, ali-
quid addere: ſiquidem typi legales unice ab arbitrio divino ſint
determinati, ubi moralitas & immutabilis ratio non datur; ubi
propterea quoque unum ex alio legitima ratiocinatione deduci
non poteſt. Ex. gr. Lev. XXI, 1-3 prohibetur Sacerdotibus ſe pol-
luere propter quemcunque mortuum: ſed permittitur propter
Patrem, Matrem, Filium & Filiam, Fratrem & Sororem virginem.
Hic Judæi pro ſua δοκησισοφία ratiocinantes cogitant omnino a-
lienum

Digitized by Google

lienum, Uxorem hic prætermitti, utpote quæ omnium reliquorum propinqua magis ſit marito, ideo ſub voce שאר illam intelligi ſciſcunt. Verum ſi cogitaſſent non rationem aliquam moralem Præcepti hujus rationem eſſe, ſed arbitrium Dei, ita ratiocinari deſiiſſent. Etenim ſi ratio valeret, tum propter ſororem maritatam, liberosque poſt ſe relinquentem, major luctus materia eſſet, quam propter ſororem Virginem, quando fato concedit una aut altera. Abuſu typorum, ab Autore enarrato, progreditur quoque ad rectam explicationis eorundem methodum; & hic ante omnia requirit, p. 13. ſ. 14. ut eadem interpretationis methodus adhibeatur, quæ in prophetiis verbalibus; ut ſcilicet inveſtigetur ſubjectum, & prædicata pro *ſubjecti* natura explicentur. Cum vero ſubjectum in *prophetia* verbali non ex his vel illis prædicatis, ſed ex omnibus in *ſua* connexione & forma conſideratis innoteſcat, idem in Typis, prophetiis realibus, obſervandum eſſe; id quod Autor variis exemplis illuſtrat, & quid ſpeciatim in typis legalibus, hiſtoricis & propheticis obſervari debeat, uberius ediſſerit, ac inter typos legales & hiſtoricos hoc potiſſimum diſcrimen conſtituit, quod Legales habeant uſum quodammodo generalem, ad univerſam ſpectantem Eccleſiam; Hiſtorici autem particulares tantum delineent p. 17. §. 18 caſus, ita ut verbi gratia Leges Moſis, quæ tabernaculum, ſacrificiorum apparatum, tempora, perſonas ſacras reſpiciunt, ſyſtematicam fere Theologiam contineant, Hiſtoriæ autem hujus aut illius temporis fata depingant. Quemadmodum ſacrificia, prout in Levitico deſcripta ſunt, in genere Chriſti vel fidelium ſacrificium delineare, ſacrificium autem a Samuele oblatum & victoriam contra Philiſtæos promovens 1 Sam. VII ſingulare temporis cujusdam factum adumbrare Autor exiſtimat, qua ratione itidem Paſchatis leges myſterium agni noſtri Paſchalis, Jeſu Chriſti deſcribere; ſed paſchata tempore Joſiæ & Hiskiæ celebrata, ſingularia reſpicere tempora cenſet. Ut jam alia exempla taceamus, ab Autore in præſenti ſtrictim adducta, ſed quorum plura tum ex Legalibus tum Hiſtoricis typis, ac inter alia Hiſtoriam Simſonis juxta datam methodum elucidatam, publici juris facere conſtituit. Interim ſpeciminis loco in præſenti prodromo explicationem unius typi legalis, de ſacerdotibus & Pontifice ex Lev. XXI. alterius

 Hi-

Digitized by Google

Hiſtorici ex Num. xxi, 4-9 de ſerpente æneo exhibet, ita ut primo in Commentario literali brevibus ſtricturis ac ſcholiis litera elucidetur, tum majori ſtudio ſenſus myſticus inveſtigetur, quæ prolixius recenſere inſtituti ratio non permittit. Hinc pauca tantum obſervare juvat. In explicatione prioris typi legalis ex Lev. XXI, extra controverſiam poſitum eſſe Auctor judicat, hanc legem tum quod ad ſummum pontificem, tum quod ad reliquos ſacerdotes attinet, omnino eſſe typicam, adeoque Spencerum maximæ coarguit *ἀτοπίας*, qui omnia hæc præcepta eo tantum tendere autumat, ut honori perſonarum ſacrarum Deus conſuleret, & ipſis venerationem quandam conciliaret; ſiquidem vulgus *κατ᾽ ὄψιν* judicare, & prout externa corporis ſpecies in oculos incurrat, ita perſonam & officium hominis ſpernere aut admirari conſueverit. Quam ob cauſam a Perſis quoque religioſe obſervatum ſit, neminem ad imperium admittere, quem corporis mutilatio, vel naturæ in quibusdam membris infirmitas notaret. Id quod etiam apud Romanos quandoque ſervatum ſit: nam referente Dionyſio Halicarn. Horatium Coclitem & Mutium Scævolam, quia mutili, magiſtratus incapaces judicatos eſſe. Recte itaque alibi Curtium teſtari: pleriſque gentibus ingentem in corpore venerationem eſſe, magnorumque operum non alios capaces putare, quam quos ſpecie egregia & eximia natura donavit. Verum hanc Spenceri commentationem mali eſſe commatis Autor pronunciat; nam primo etiamſi concedatur in litera aliquid latere huic rei ſimile, tamen nimis vagum & generale eſſe, nihil aliud Deum hac lege intendiſſe. Et ſi verum ſit, Pontificatum alio reſpicere, per rerum naturam fieri non poſſe, quin etiam hic iſtud admitti debeat, ubi de requiſitis Pontificis agitur. Dein delectum vitiorum habitum eſſe, cujus ſpecialis debeat eſſe ratio, prætereaque talia corporis vitia eſſe taxata, quæ a vulgi cognitione ſint remota, v. gr. quando Pontificem non debere eſſe attritum teſte, vel *μόνορχιν* ſancitur, quid hoc facit ad vulgus, quod *κατ᾽ ὄψιν* judicat, & prout externa ſpecies in oculos incurrit? illi enim vitium hoc nullo modo apparebat. Cur tandem quæſo vitioſus Pontifex non in altari adolere, & tamen de eodem ſacrificio coram altari in ſanctuario edere poteſt? ſi Deo judicatur eſſe dedecori, gibboſum

p. 60. §. 24 ſq.

p. 61. §. 25.

Ponti-

tificem ſacrificium offerre, nonne adhuc magis dedecori eſſe debet, talem in domo Dei, & de menſa Dei alere, talem amicitia Dei frui? &c. Quemadmodum vero extra controverſiam eſſe Autor cenſet, Pontificem V. T. reſpicere ad Pontificem N. T. Aaronem ad Chriſtum,& omnia præcepta,quæ ad Pontificem ſpectant,etiam illa, quæ de matrimonio & de luctu funebri agunt, ſimile quid in Chriſto, vero Pontifice,adumbrare: ita certiſſimum quoque eſſe, ſacerdotes gregarios non poſſe hic Chriſtum figurare, quia ſacerdotibus & Pontifici diverſa injungantur. Quod ſacerdotibus licitum, Pontifici illicitum erat. Per ſacerdotes igitur Apoſtolos Chriſti delineari Autor exiſtimat, qui ſenſu myſtico mortem ſpiritualem cognatorum & propinquorum,nimirum Judæorum lugere queant, imo ſibi indulgere aliquid indecori, caput nudando aut veſtes lacerando, remittendo v. gr. aliquid de libertate acceſſoria N. T. & de rigore juſtitiæ Chriſti, ut Judæis Judæi fiant, ſi forte lucrifacere quosdam poſſint. Cum vero Domini ſint,Principes ſacrorum, qui affectibus imperare debent, ne miniſterium ſanctum profanetur,propterea non debent calvitiem capiti & barbæ inducere & carnem incidere, vel ex nimio affectu & zelo libertatem Chriſtianam mutando in licentiam carnis,loco libertatis a peccato,peccati ſervitutem revocare; nec non ſpem reſurrectionis abjiciendo Dei judicium crudelitatis inſimulare: vel ex ſuperſtitione, libertatem Chriſti abnegantes, ſervos ſe legis in Judæorum gratiam facere, ac ſi talis abnegatio libertatis & ſervitutis profeſſio Deo eſſet grata: nec non in carne gloriari,& præputium circumcidere, ac ſi hoc quicquam conduceret per ſe ad iram Dei mitigandam, & ſalutem impetrandam, quale quid non poterat non eſſe profanatio miniſterii, quod Apoſtoli obituri erant.Sic Apoſtoli quoque ab conjugio, vel voluntario contractu cum meretriee, profanata & repudiata, ſpirituali ſenſu abſtinere debent. Quod ſi filia Sacerdotis i. e. proles Apoſtolorum ſpirituali modo per verbum ab ipſis procreata profanaverit ſe ſcortando, quando dogmata profana,vitamque profanam ſectatur,& in impuritate & cupiditatibus ſibi indulget, igne iræ divinæ exemplari pœna afficienda eſt. Nam tales impuri Chriſtiani per ipſos Apoſtolos ad Chriſtianiſmum traducti profanant Apoſtolos, quia occaſionem

p. 62. §. 26. p. 68. ſq. p. 76. §. 38.

præbent cogitandi, ac ſi dogmata & facta profana, ſi non illorum juſſu, tamen illorum conniventia & permiſſione patrentur vel patrari queant. Pontifex autem Chriſtus propter oleum Spiritus S. tam ſancte ſe gubernare affectibusque imperare debet, ut propter nullum ſpiritualiter mortuum ſe contaminare debuerit, ſed abſolute ſe ſubjicere Dei ſanctæ & juſtæ voluntati. Idem ille Pontifex Chriſtus rejicere & averſari debet conjugem, viduam, repudiatam, meretricem profanatam, ſenſu myſtico, ſed virginem ſpiritualiter caſtam accipere uxorem. Denique Pontifex Chriſtus debet eſſe integer vitæ ſcelerisque purus, nec cœcus, claudus &c. ſpirituali modo. Nullus enim verus Pontifex eſſe poteſt, qui vitio aliquo laborat; ſed qui vitioſus eſt, poteſt per Pontificem Chriſtum integrum Deo reconciliari, & edere de ſacrificiis piacularibus & ſalutaribus, Chriſti ſacrificio cum omnibus fructibus, neutiquam vero ad altare accedere, aut intra velum, ut gratiam impetret & populum Deo reconciliet, appropinquare: quæ ſingula ab Autore fuſius deducuntur. Ea vero methodo, qua Autor typum legalem explanare ſategit, in explicatione itidem typi Hiſtorici de Serpente æneo utitur, ita ut primo ſenſum literalem ipſius Hiſtoriæ, prout revera geſta fuit, dein vero etiam ſenſum myſticum ejusdem indaget. Ac in eo quidem omnes fere interpretes conveniunt, quod nimirum hæc hiſtoria ſit typica, ſed omnes fere
p. 152. §. 60. inſigni præjudicio occupatos ad myſterium hujus rei oſtendendum acceſſiſſe Autor contendit, dum per ſerpentem æneum intellexerint Chriſtum, cum tamen multo rectius jam ſubtiliſſimus D'Eſpagne & poſt eum Cl. Vitringa, Obſerv. ſacr. l. 2 c. 11, oſtenderint, per Serpentem non Chriſtum ſed Diabolum a Chriſto in cruce ſuperatum & debellatum intelligendum eſſe. Primariam autem cauſam erroris hic commiſſi eſſe, quod interpretes non obſervaverint, Serpentem æneum fuiſſe verum ac naturalem preſterem, quem Moſes juſſu Dei arripiens non ſolum vi veneno inficiendi orbarit, ſed etiam in ſerpentem æneum mutaverit & ſic perticæ eundem victum & veneno ſuo orbatum ceu perenne
p. 121. §. 25. triumphi monumentum impoſuerit, uti pluribus ab Autore in Commentario literali adſtruitur. Quæſtionem igitur hic non eſſe, quomodo Chriſtus vocari poſſit ſerpens æneus, ſed quomodo com-

comparari queat preſteri, qualis Iſraelitas mordebat, id quod Autor plurimis aliis argumentis, quibus ſententiam ſuam adſtruere conatur, objectiones ſimul diluens, prolixe deducit.

Colophonis loco Diſſertatio ex N. T. de prædicatione Chriſti crucifixi ex 1 Cor. I, 23, 24 huic Prodromo myſtico adjungitur; ubi hoc tantum obſervare liceat, Autorem, poſtquam accurata exegeſi hoc dictum pertractavit, exinde reprehendere ac convincere Syncretiſmi autores & fautores, quod diverſus admodum ab Apoſtolico in ipſis Spiritus regnet. P. 208. §. 58. Sint dogmata, inquit, vel myſteria religionis multarum occaſio ſectarum, hæreſium, ſimultatum, diſſenſionum, ergo vel parva vel nulla eorum eſt habenda ratio? Ergo vel adulteranda vel mollienda, ut carni grata ſint, mundanæ ſapientiæ arrideant? Ergo ſolus amor Dei & proximi, poſthabita cognitione myſteriorum, urgendus, inculcandus, colendus eſt? Apage; Apoſtolo Paulo aliter ſtat animus. Judæis myſteria Evangelii crucis ſcandalo, Græcis ſtultitiæ erant, non tamen Paulus ſe accommodavit Judæis Græcisque, juſtitia ſapientiaque mundana turgidis, neque myſteria illa aut occultavit, aut adulteravit: non denique myſteriorum iſtorum præconium deſinit eſſe vocatis ſapientia & potentia Dei. Id quod itidem ſibi dictum putent illi, qui myſteria quidem non negligenda tradunt, attamen clamare non deſinunt, non neceſſariam eſſe adeo eorum doctrinam, quam quidem virtutum & officiorum Chriſtianorum. Videant tales, inquit Autor, ne præpoſtero abripiantur zelo & cæco partium ſtudio. Chriſtus, qua crucifixus, eſt vocatis potentia & ſapientia Dei. Qui ſe virum in Chriſto adultum abſque clara & diſtincta myſteriorum Evangelii cognitione crepare, næ is falleret & falleretur. Qui ſe virtutes & officia Chriſtiani optime adimplere opinaretur, neque tamen a Chriſto crucifixo derivare, & ad eum referre ſciret, profecto ſe aliosque deciperet. Myſteria Evangelii continent doctrinam ad pietatem, neque datur pietas veri nominis abſque cognitione myſterii Dei Patris & Chriſti. Homines, inquit Lactantius de falſa ſapientia Q. 3, ideo falluntur, quod aut religionem ſuſcipiunt omiſſa ſapientia, aut ſapientiæ ſoli ſtudent omiſſa religione, cum alterum ſine altero non poſſit eſſe verum.

Hæc

Hæc eſt prima pars Prodromi Typici Autoris, quam mox alteram partem ſecuturam eſſe promittit, ubi agere in animum induxit de die expiationis magno juxta Levit. XVI, de ſervis eorumque ſtatu vario ex Exod. XXI, 1-11, de oſſium aridorum vivificatione in valle Ezechielis c. 37, 1-14, quibus tandem accedet tertia pars de Naziræis ex Num. VI, & de Simſone ex Jud. XIII, 16, quibus etiam forſitan diſſertationes alius argumenti ſubjungentur.

SERMONI FAMILIARI DI S. CARLO BORROMEO.

i. e.

S. CAROLI BORROMAEI, CARDINALIS S. Praxedis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis, Sermones familiares, ad Moniales dictas Angelicas, Mediolani quondam habiti, & ex ore ipſius ab AGATHA SFONDRATA *calamo excepti, quos nunc prima vice ex MSC. edidit D. CAIETANUS VULPIUS.*

Patavii, typis Joſephi Comini, 1720, 4.
Alph. 1.

Carolus Borromæus, ex Illuſtri & florentiſſima adhuc Borromæorum familia a. 1537 natus, atque a Pio IV Pontifice Romano, avunculo ſuo a. 1561 Cardinalis cum titulo ſanctæ Praxedis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis conſtitutus, tantam celebritatem nominis non tam nobilitate generis & gloria majorum, ac muneris, quod ſuſtinuit, ampliſſimi dignitate, quam ſingulari morum probitate & indefeſſo promovendæ rei eccleſiaſticæ ſtudio conſecutus eſt, ut ab univerſo orbe Chriſtiano in debito honore, & a Romano-Catholicis in cultu religioſo habeatur, a Paulo V a. 1610 in Sanctorum numerum relatus. Etenim quod de Ambroſio Euſebius, & de Baſilio M. ipſemet Carolus Borromæus in hiſce ſermonibus p. 125 prædicat, Epiſcopi cum fuerint, Monachorum more, i. e. duriter ac religioſe ipſos vixiſſe, idem & ſe ſectatum eſſe ibidem fatetur, & vere de illo prædicari poteſt, quandoqui-

doquidem, miſſis negotiis publicis, ad quæ gerenda primum magna cum laude adhibitus fuerat, in viſitandis cœnobiis, congregandis conciliis, habendis concionibus, & coercenda religioſorum licentia, ætatem ſuam conſumſit. Licet vero permultas conciones habuerit, nullam tamen unquam in chartam conjeciſſe, ſed ſumma tantum dicendorum capita, ut memoriæ ſuccurrerent, arboris inſtar delineaſſe dicitur, cujusmodi ſciagraphiarum novem ſpiſſa volumina in Bibliotheca Ambroſiana, a Cardinali Frid. Borromæo, Caroli noſtri nepote ex fratre, Mediolani inſtituta, ſe vidiſſe teſtatur Cl. Vulpius. Hi itaque ſermones devotioni & induſtriæ Agathæ Sfondratæ accepti ſunt referendi, quæ Nicolai Sfondrati ſive Pontificis Gregorii XIV *Neptis*, & cum tribus ejusdem ſororibus ordini Monacharum Angelicarum adſcripta fuit. Cum enim Carolus Borromæus in Angelicarum monaſterio, quod *il ſuo gioiello*, cimelium ſuum dicere ſolitus eſt, diebus feſtis frequenter ſacra faceret, & concionaretur, hæc eruditiſſima femina, quæ etiam Chronicon hujus Monaſterii ſcripſit, verba ipſius perorantis, calamo feſtinante, & characteribus adhibitis, excepit, & poſtea ex recenti memoria magno cum ſtudio deſcripſit. Ne quis vero dubitet, quin genuini ſint hi Caroli Borromæi ſermones, in præfatione Cl. Editor, quomodo in manus ſuas pervenerint, quamque ſollicitus fuerit de eorundem ἀξιοπιστίᾳ, orbi litterato exponit, refertque, ſe Mediolani A. 1716 in officina quadam libraria MSCtum eleganter compactum inveniſſe, ſub titulo: *Sermoni, o raggionamenti dell' illuſtriſſimo e reverendiſſimo Carlo Borromeo*, cui in charta e regione tituli hæc verba inſcripta fuerunt: *Maria Viſconte ſcriſſe l' anno del ſignore 1605*, quæ verba indicant, Angelicam quandam hoſce ſermones in uſum privatum deſcripſiſſe. Hoc MSCtum ſe quidem primum non æque magni feciſſe: perlectis vero duabus epiſtolis Agathæ Sfondratæ, eleganter ſcriptis, quarum altera ſermonibus præmiſſa, altera annexa eſt, datisque ad Joſeph. Ant. Saxium Bibliothecarium Ambroſianum, litteris, a P. Claudio Galizia, Angelicarum confeſſionario, certiorem factum eſſe, S. Carolum utique ad Monachas Angelicas verba feciſſe, ejusque ſermones manu Agathæ Sfondratæ

dratæ ſcriptas, tanta in veneratione hodie adhuc haberi, ut iſtis diebus, in quibus quondam habiti ſunt, quotannis publice ad menſam accumbentibus prælegantur, certiſſimum quoque eſſe, Sereniſſimam Principem Margaretham Farneſiam, Ranutii I Ducis quarti Parmenſis ſororem, qua præſente nonnulli ſermones ex his in titulis habiti dicuntur, & ad quam peculiaris concio directa, tum temporis per aliquot menſes in Angelicarum monaſterio fuiſſe: & denique hoſce ſermones nunquam hactenus in lucem editos eſſe. Editionis itaque curam in ſe ſuſcepit Vulpius, ſuumque MSCtum cum Mediolanenſi accurate contulit, orthographiam ad præſentem uſum accommodavit, loca nonnulla evidenter corrupta ex ſenſu emendavit, & indices adornavit luculentiſſimos, de S. Carolo optime hoc ipſo meritus, dum hoſce ſermones, veluti præſtantiſſima ejus λείψανα, ab interitu vindicare voluit.

Ut vero ipſum opus paucis perluſtremus, præmiſſa nos invitat epiſtola Agathæ Sfondratæ, in qua obitum Caroli deplorat, & qua ratione hos ſermones conſcripſerit, amitæ exponit. Sunt autem Sermones XVII, quorum primum A. 1577, alterum A. 1581, tertium A. 1582 & reliquos A. 1583, atque adeo paulo ante obitum ſuum habuit, A. 1584 vita defunctus, (pro quo in Lexico ſanctorum perperam ponitur A. 1590.) De illis non inepte judicat Cl. Editor in præfatione, ſtylum quidem eſſe familiarem, gravem tamen & oratore apoſtolico dignum, & argumentum ad captum ſtatumque audientium accommodatum. Nec negari poteſt, nativum quendam leporem, & verborum copiam ex his elucere ſermonibus, & multa præclare recteque
p. 10. in illis dici, e. g. in omni actione cogitandum, hanc poſſe eſſe ultimam; in tentationibus, quæ fiunt ſub ſpecie boni, id prius eſ-
21. ſe faciendum, quod mandatum, quam voluntarium: ſine
47. Spiritus ſancti gratia neminem quicquam boni efficere poſſe;
67. unum bonum opus viam præparare ad majus præſtantiusque agendum; cauſſam principalem & radicem teporis ac præcipitii noſtri eſſe neglectum meditationum, quod non ſatis conſideremus ſtatum, in quo vivamus; gratiam, quam a Deo acceperimus, rationem, qua gratiam acceptam in uſum noſtrum con-

ver-

vertere queamus; paſſiones animi &c. Dicta autem Biblica vel obiter tantum explicantur, e. g. Eſai. LVIII, 13, ubi *ſabbatum* ideo *delicatum* dici arbitratur, quod facile profanari violarique poſſit; vel ad ſenſum myſticum applicantur, e. g. Matth. XX, 18, 19 ſeqq. Exod. XXXIV, 2, 3. Nec diffiteri poſſumus, ſtatum vitamque monachalem plus juſto ſubinde extolli, & ex dicto Paulino 1 Corinth. II, 14 felicitatem ejus non niſi expertis cognitam eſſe, minus recte probari. Monachatum tamen non eſſe ſtatum perfectionis, ſed ad perfectionem tendentem: & multos quidem dari Monachos; perpaucos vero vitam ordine ſuo dignam agere, diſerte & ingenue fatetur. Hinc etiam moniales, quomodo ſemet ipſas explorare debeant, & ad majorem perfectionis gradum adſpirare, bene inſtruit. In annexa epiſtola, ad Matrem Angelicarum Cremonenſium data, Agatha Sfondrata mortem Caroli Borromæi deſcribit, & acerbiſſimo planctu perſequitur, ac laudibus ejus cumulatis, pictam quandam tabulam ab Antonio Campo factam, Angelicarum Cœnobio a Carolo Borromæo legatam eſſe, gloriatur.

p. 18.
73.
116.
26.
68.
127.

HISTOIRE DU CONCILE DE Trente,

hoc eſt,

HISTORIA CONCILII TRIDENTINI, Autore LUDOVICO ELLIES DU-PIN, Theol. D. in Facultate Pariſienſi, & Philoſophiæ Profeſſore Regio. Tomi duo.

Bruxellis, typis Simonis Serſtevens, 1721, 8.
Alph. 3 plag. 1½.

DUm in eo ſumus, ut viri ſummis in hiſtoriam eccleſiaſticam meritis inclyti, deſcriptionem Tridentini Concilii recenſeamus, opportune recordamur, nos jam A. 1711 in his Actis p. 126 ſqq. hoc officio defunctos eſſe. Scilicet Dupinianæ *Novæ bibliothecæ ſcriptorum eccleſiaſticorum* Tomus XV, ibi a nobis recenſitus, hanc ipſam hiſtoriam complectitur, quam haud ma-

Digitized by Google

lo conſilio Bruxellenſis typographus nunc ſeparatim edidit, magnam profecto initurus gratiam ab iis, qui amplum illud clariſſimi viri opus non poſſidentes, carere tamen nolunt hiſtoria tam luculenta Concilii cognitu digniſſimi. Nos quidem actum agere hic noluiſſe, nemo mirabitur. Illi vero, qui jam poſſident modo memoratum Tomum Bibliothecæ Dupinianæ, hoc noſtrum indicium læti gratique, niſi fallimur, excipient.

AUGUSTINI VALERII, PATRICII Veneti, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Veronenſis, Opuſculum, de cautione adhibenda in edendis libris. Ejusdem Vita Bernardi Naugerii, Cardinalis. Acceſſere PETRI BARROCII aliorumque Patriciorum Venetorum Orationes.

Patavii, typis Joſ. Comini, 1719, 4.
Alph. 1 plag. 20½.

EXhibentur hic orbi literato præclariſſima Patriciorum aliquot Venetorum monumenta, quorum pars maxima nondum typis erat exſcripta, pars cætera jamdudum adſcripta libellis rariſſime obviis. Fecit itaque Io. Antonius Vulpius, vir doctiſſimus, eruditis omnibus pergratum, cum in animum induxit, uno complecti volumine tam ſacras magnorum virorum reliquias. Inter quos cum primum non immerito locum tribuat *Auguſtino Valerio*, (cujus Elogium & *Erythræus* primæ ſuæ *Pinacotheca* inſerere dignatus eſt,) hujus Opuſculorum, quæ quidem non ſunt univerſa edita, Indicem præmiſit toti volumini. Ex eo libet commemorare libros publica luce jam dudum fruentes. Exſtant igitur Valerii illius *de recta philoſophandi ratione libri duo; de theologia cum philoſophiæ ſtudio conjungenda Diſſertationes; de Acoluthorum diſciplina libri duo; Vita Bernardi Naugerii Cardinalis; Rhetoricæ eccleſiaſticæ libri tres; Epiſcopus, ſeu de optima Epiſcopi forma; Cardinalis, ſive de optima Cardinalis forma; Epiſcoporum Veronenſium antiqua monumenta; Vita Caroli Borromæi; de benedictione Agnorum Dei libellus.*

Ac-

Accedimus ad librum nunc primum editum *de cautione adhibenda in edendis libris*. In quo eleganti dicendi genere *Valerius* vitæ ſuæ curſum inde ab anno ætatis decimo ſexto perſequitur, diligenterque, qua occaſione ſingulos ſuos libros orationesve conſcripſerit, exponit. Scripſit autem quam plurima, ipſeque §. *43 ingenii ſui luxuriem accuſat, qua fiat, ut novis opuſculis excogitandis & novis fœtibus gignendis delectetur incredibiliter*. Poſtquam igitur ſuos commemoravit libros, demum §. *51* ad cautiones venit in edendis libris adhibendas. Quinque igitur hic conſiderari jubet, *quis ſcribat*, *quid ſcribatur*, *quomodo*, *cur*, & *ad quos*. Primo igitur, cum ſcriptores librorum non ſolum ſuæ ætatis, ſed etiam poſteritatis doctores ſe profiteantur, non niſi doctiſſimos ad ſcribendum ſe accingere debere, judicat. Deinde non vult in novos transferri libros, quæ jam ab aliis ſcripta fuerunt. Agnoſcit enim, noſtro quoque ævo ſcribi poſſe, quæ nondum ſcripta habemus; eorumque refellit errorem, qui ita admirantur priſcorum ingenia, ut poſt Platonem & Ariſtotelem in philoſophia, poſt Patres Eccleſiæ in theologia, poſt Homerum & Virgilium in poeſi, nihil ſcribi poſſe contendant, quod lectu dignum ſit. Tertio non niſi eos vult ſcripta concinnare, qui facultatem conſecuti ſunt, pure atque eleganter Latino ſermone ſcribendi. Quarto varios ſcribentium fines commemorans eos ſolos approbat, qui ſcriptis ſuis utilitati humani generis conſulunt. Quinto denique ex hiſtoria oſtendit, alios filiis, alios regibus, alios aliis libros inſcripſiſſe ſuos. Sed hoc quidem inter cautiones locum non habet. Abſolutis ita cautionibus ſuis, Valerius noſter §. *61 ſqq.* percenſet patricios Venetos, qui doctrinæ laude effloruerunt. Hinc, interjecta mentione librorum ſuorum, quos unquam edi nolit, commemoratisque argumentis, de quibus adhuc ſit ſcripturus, finem imponit huic opuſculo. p. 3-60.

Sequitur *Vita Bernardi Naugerii Cardinalis*, quæ quidem jam A. 1602 Veronæ fuit edita. Hic Naugerii, viri multis magiſtratibus domi, foriſque multis legationibus obitis inclyti, actiones breviter deſcribuntur, ſimulque quomodo uxore mortua in ordinem ſacrum receptus fuerit factusq; Epiſcopus & ad p. 65-79.

Digitized by Google

ultimum Cardinalis. Obiit is diem ſuum Veronæ A. 1565, ejuſ-
que Vitam compendioſiſſime deſcriptam a Io. Antonio Petra-
mellario in *Continuatione Panvinii de ſummis Pontificibus*, hic
p.98·182. quoque ſubjunctam licet legere. Quæ ſequuntur tres Orationes
Petri Barrocii, Patricii Veneti & Epiſcopi Patavini, nunquam
101·107. antea lucem viderant. Iis præmiſſa eſt *Chriſtophori Marcelli*,
Canonici Patavini, Oratio in Barrocii funere Patavii publice re-
citata, itemque aliorum honorifica de eodem teſtimonia. Pri-
ma Barrocii Oratio laudem continet Sledi cujusdam, ICti Pata-
vini; altera laudem Chriſtophori Mauri, Venetiarum Ducis;
tertia Antonii Roicelli, in Patavino Gymnaſio Profeſſoris Juris
Canonici: fatendumque eſt, adeo nitide conſcriptas eſſe haſ-
ce Orationes, ut inter ſæculi ſui ornamenta non immerito refe-
ratur Barrocius.

183. Subſequitur nondum ante edita *Pauli Barbi*, Patricii Veneti,
Oratio ad Ludovicum XI Galliæ Regem habita A. 1461, itidem
193. ſatis Latina; *Bernardi Iuſtiniani*, Patricii Veneti, ad eundem
201. regem Oratio A. 1462 recitata; *Petri Contareni* Oratio A.
1479 habita in funere Marci Cornelii, qui pater fuit Catharinæ
213. Corneliæ, Cypri Reginæ; *Caroli Capellii*, Patricii Veneti, Ora-
tio in funere Georgii Cornelii, qui prioris fuit filius; *Angeli*
226. *Gabrielii*, Patricii Veneti, Oratio A. 1501 habita in funere Car-
237. dinalis Baptiſtæ Zeni; *Petri Paſchalici*, Patricii, Oratio ad Lu-
ſitaniæ Regem, ad quem legatus a republ. Veneta erat, A. 1501
245. habita; *Franciſci Piſani*, Patricii, Oratio de laude philoſo-
268. phiæ; denique *Antonii Longi*, Patricii Veneti, Oratio in fune-
re *Nicolai de Ponte*, Principis Venetiarum, recitata.

VOYAGE &c.

h. e.

ITER IN TERRAM SANCTAM FACTUM A. 1719.

Lutetiæ, apud Io. Bapt. Coignard, 1720, 12.

Plag. $17\frac{1}{2}$.

AUtor hujus Itinerarii, qui Dedicationi nomen ſuum ſubſcri-

Digitized by Google

ſcripſit, *Marcellus Ladoire*, Vicarius Terræ Sanctæ, A. 1719 d. 14 Januarii e portu Maſſilienſi provectus, Hieroſolymam venit d. 19 Aprilis, & inde rurſus diſceſſit d. 23 Septembris. Initio paucis commemorat loca Palæſtinæ, quæ Hieroſolymam tendens attigit, ſimulque e Scriptura S. adducit, quæ ſingulis locis olim contigerunt. Hinc urbem Hieroſolymam deſcribit p. 28 ſqq.
cum veterem, tum hodiernam. Quæ e codice ſacro hic refert de hac urbe & fatis ejus, tanquam notiſſima merito præterimus, itemque ea, quæ de ejusdem fatis Chriſti adventum ſequentibus ſtrictim exponit. Nam nec ea ſunt ignota, nec facile quæruntur in Itinerariis. Hinc ſitum urbis deſcribit, monaſteria ejus, (quorum *Græci* ibi viginti habent,) palatia præcipua, potiſſimum vero templum Anaſtaſeos, & ſepulcrum Chriſti. Ubique ſignat loca, ubi quid accidiſſe vulgo traditur, ac facillima fide vulgi fabulas amplectitur. Sic p. 143 ſcribit, loco illo, ubi Chriſtus inſtituit S. Cœnam, olim fuiſſe Davidis domum regiam, Chriſtumque ea re demonſtratum iviſſe, ſe eſſe Davidis ſucceſſorem ac regem Iſraelis legitimum. P. 157-165 uberius defendit traditionem, quod prope Hieroſolymam ſit locus, ubi ſepulta fuerit Chriſti mater Maria, & unde poſt aliquot dies aſſumta ſit in cœlum: ſimulque refutat eos, qui putant, Mariam Epheſi fuiſſe ſepultam. Hic igitur Lector offendet cavernam, (ſi quidem monacho noſtro fidem habet,) in qua Jeremias compoſuit libros Threnorum; locum, ubi Abſalon ſe ſuſpendit ab arbore; illum locum, ubi Chriſtus cæcum ſanans ſtetit; piſcinam, in qua Bathſeba ſe lavit, cum David viderat hanc, viſamque cupit, potiturque potita. Talia pleraque hic leguntur, ut non immerito hic liber habeatur pro Sylloge traditionum, quas Græci circumferunt de locis Terræ ſanctæ religioſis. Etſi vero Autor noſter pluribus locis ſe infenſum præbet Chriſtianis Græcis tanquam ſchismaticis, in ejusmodi tamen relationibus Græcam fidem habet pro fide incorruptiſſima, eosque, qui fabulas illas de ſingulis locis tradi ſolitas nolunt habere pro veris, p. 277 appellat Pyrrhonios.

P. 107 ſqq. refert, Turcarum Principem, deprecatore per legatum Rege Galliæ, libertatem monachis Latinis conceſſiſſe repa-

reparandi templum ſepulcri Chriſti, fruſtra obnitentibus Chriſtianis Græcis, poſſeſſionemque illius ſepulcri exteris tradi graviter dolentibus. Cæterum ne populus, ut jam A. 1696 factum, Gallicanis monachis ædem S. ſepulcri ædificaturis vim afferret, dandi Turcicis magiſtratibus fuerunt 35000 Imperiales, pluresque poſtea ingentes pecuniæ ſummæ impendendæ, ut hi eſſent ædificatoribus præſidio. Tamen exortus eſt contra hos monachos tumultus gravis, qui pro eo, ac ſatis eſt, deſcribitur. Ipſa etiam ædificatio, cui adhibuerunt Galli monachi operarios quingentos, deſcribitur usque ad p. 138. Prorſus in exitu libri p. 397 Autor noſter e literis ad ſe datis nos certiores facit, ædificium illud templi S. ſepulcri feliciter perfectum fuiſſe A. 1719 d. 13 Decembris. Subjicit quoque p. 399 ſqq. Gallice verſum Diploma Imperatoris Turcici, quo is Chriſtianis Latinis, exorante legato Gallico, poteſtatem dedit templum iſtud reparandi.

P. 139 ſqq. deſcribit loca ſacra extra Hieroſolymam ſita, montem Sionis, vallem Joſaphat, montem oliveti. De quibus quæ repetit e Veteri Teſtamento, prætermittimus. P. 181 ſequitur relatio de itinere ſuo Bethlehemum ſuſcepto. Diſcimus hinc, Bethlehemum hodie eſſe perexiguum oppidum, vix trecentas domus habens, easque a Turcis, Græcis, Armenianis & Maronitis, ſatis concorditer viventibus, habitatas. Diſcimus vero indidem, monachos Gallicanos Bethlehemi habere templum adeo magnificum, ut ei ſimile ſive magnitudine ſive ornatu non ſit (fides eſto penes Autorem noſtrum) in tota Gallia. P. 213 ſqq. iter ſuum in oppidum S. Joannis deſcribit. Creditur ibi natus eſſe Joannes Baptiſta. Igitur & hic feſtivam traditionum Græcarum copiam Autor noſter cum lectoribus ſuis communicat, & ſingula loca, ubi Joannes ille materque ejus aliquid vel fecit vel tulit, accurate ſignat.

A. p. 231 ea recenſet loca, quæ poſt ſuum ab urbe Hieroſolyma diſceſſum, cum patriam repeteret, ſumma cum admiratione atque gratulatione vidit. Hic & Phœnices urbes, in quas venit, paucis deſcribit: ubi, quod mirum, p. 244 incredulum ſe præbet vulgari traditioni, qua Joppe, urbs maritima, (quam Græ-

Græci *Iapha*, Galli *Jaſat*, vocant,) jam ante diluvium creditur fuiſſe condita a Iapheto, Noæ filio. Ipſe credere mavult, conditam fuiſſe hanc vrbem a Iapheto ſtatim poſt diluvium, Iaphetumque hic loci primam conſtruxiſſe navim, eaque vectum fuiſſe in Europam. Ne vero lectores ignorent, quo Europæ loco primam vrbem Iaphetus ille exſtruxerit, Noſter p. 247 antiqua nixus traditione patriæ ſuæ, (nam addit, ſe in regione Petrocorienſi natum eſſe,) docet, Petrocorium, non ignobile Galliæ oppidum, (incolæ appellant *Perigueux*,) opus eſſe Iapheti. Quæ porro ex hiſtoria recitat de fatis vrbis Ioppes, tanquam aliena omittimus. Nec hæremus in iis, quæ de monte Carmelo, de montibus Thabor & Hermon, de oppido Nazareth, profert. Duntaxat enim loca ſignat more ſuo, quibus ſingulare quid contigiſſe a credula plebe traditur. P. 354 ſqq. differit de variis ſectis Chriſtianorum Hieroſolymæ habitantium. Vivunt ſcilicet ibi Græci, Armeniani, Georgiani, Neſtoriani, Copti, Abyſsini & Maronitæ. Horum doctrinam & regimen in Oriente eccleſiaſticum breviter deſcribit. Sed omnia doctis jam ſunt notiſſima, ideoque ſilentio hic prætereunda. Nec rariora ſunt, quæ concludens librum p. 374 ſqq. profert de Turcarum religione & inſtitutis. Nam omnia ſunt in vulgus nota, nec doctorum, ſed imperitorum in gratiam huc loci congeſta.

IOURNAL D' UN VOYAGE FAIT AUX INdes Orientales.

i. e.

DIARIUM ITINERIS IN INDIAM ORIentalem, duce du QUESNE, cum claſſe VI navium ab A. 1690 d. 24 Febr. ad 1691 d. 20 Aug. juſſu Regiae Societatis Indiæ Orient. Gallicæ facti.

Tomi III.

Rothomagi, apud Jo. Bapt. Machuel juniorem, 1721, 12.
Alph. 2 pl. 6.

Itineris, quod *du QUESNE*, cognomine *de Guiton*, nepos magni illius *du Queſne*, qui ſe officio & dignitate præfecti

D regii

regii & Mareſchalli Franciæ abdicare maluit, quam fidem & religionem Reformatorum abjurare, ex Gallia in Indiam orientalem juſſu ſumtuque Societatis regiæ,commercia ad Indos usque proſequentis, ſuſcepit ac feliciter confecit,deſcriptionem iam dudum edidit *Michael Puchot de Chantaſſin*, qui in ipſius *du Quesne* nave prætoria *Garde marine* i. e. miles navalis nobilis fuit : cujus itinerarium, in vernaculam noſtram translatum, Hamburgi prodiit A. 1696 in 12. Eadem quidem expeditio in hiſce voluminibus deſcribitur,ſed longe majori adhibita opera & doctrina, ſiquidem in illa deſcriptione nude & leviter tantum recenſentur, quæ in ipſo itinere viſa vel facta fuerunt : in hac vero non ſolum, quæ ſingulis evenerunt diebus, ſolerter annotata leguntur ; ſed etiam quam plurima ad geographiam, phyſicam, politicam, hiſtoriam, quin & theologiam ſpectantia immiſcentur, quæ curioſo lectori non poſſunt non multum conciliare voluptatis. Autor, quantum ex ipſo opere attente perlecto conſtat, Pariſiis natus eſt A. 1659 & litera initiali dicitur Mr. C - - in hoc itinere ſcribæ officio defunctus eſt in nave quarta *l'Ecueil* ſcopulus maris dicta : ingenio fuit venuſto & hilari,in ſcriptis Poetarum,Ovidii inprimis bene verſatus, ex quo, uti etiam ex Petronio, ſales nonnunquam narrationi adſpergit, & licet religioni Pontificiæ addictus, acriter nimis in Calvinianos invehatur, quos idololatras conceptæ opinionis ſuæ dicit ; tamen ad ſcepticismum magis pronus fuit, quam ad ſuperſtitionem, evidentia in omnibus quærens rationis argumenta, & præjudiciis vulgi excuſſis,ſenſa animi ſui libere exponens. Hocce vero diarium, in quo Autor vera ſe ſemper dixiſſe, per omnia ſacra affirmat, ex tribus aliis compoſitum eſt, ex quibus unum in gratiam juſſuque *de Seignelai* conſignatum, cui etiam Autor noſter itinerarium Canadenſe obtulit : & uti in præfatione perhibetur,nunquam in lucem editum fuiſſet,eo quod multas veritates palam exponat,quas celare multorum interſit, niſi poſt mortem Autoris,inſciis cognatis ejus, amicus quidam typis id deſcribendum curaſſet, & ita quidem, ut in manuſcripto nihil quicquam mutaretur, licet nonnulla nec caute, nec caſte ſatis poſita, nonnulla etiam ſuperflua & minus neceſſaria videantur. Habetur autem in tomo *primo* itineris initium a portu Ludovici in Britannia

tannia usque ad Promontorium bonæ ſpei: in tomo *ſecundo* progreſſus in Siam usque: & in hiſce duobus tomis acta anni 1690 recenſentur: tomus *tertius* incipit cum primordio anni 1691, & quæ in patriam revertentibus contigerunt, perſequitur, inſerta prolixa Martini, Ducis Gallorum in India, de rebus Gallorum in India-orientali, earumque incremento promovendo, relatione.

Curioſo atque erudito lectori non ingratum fore ſperamus, ſi ex hoc itinerario potiora & inſigniora quædam capita paucis tantummodo, uti noſtri fert inſtituti ratio, indicaverimus. *Geographiæ* cultor deſcriptionem montium S. Mariæ, Canadam ab Acadia ſeparantium, montisque Pici, qui omnium altiſſimus creditur, nec non diverſarum inſularum, e. g. Sancti Jacobi, Madagaſcar, *Johannis* de nova, de Ponticheri, de Negrades, Bengalæ, Ceylani &c. lepide non minus, quam ſcite compoſitam, non ſine voluptate perluſtrabit; mappasque geographicas multis ex partibus corrigendas eſſe cognoſcet. Qui *Phyſicis* quæſtionibus delectatur, non ſolum peregrina, quæ India alit, animantia, accurate deſcripta inveniet; e. g. piſces, ſerpentesque volantes, crocodilos & caimanuos perpetua inter ſe bella gerentes, & eximiæ magnitudinis oſtreas &c. itemque falſum eſſe, quod vulgo creditur, leonem & tigridem non in uno commorari loco; & cercopitheci admirabitur exemplum, quam proxime ad rationis uſum accedentis: ſed etiam, unde nives in apicibus montium; unde ſcaturigines aquarum in illis oriantur; unde ignes in montibus ignivomis; unde pluviæ ſub linea, uti vocatur, æquinoctiali proveniant, & id genus alia, non inepte heic diſputatum eſſe fatebitur, & Autorem inſulas natantes fere ridentem animadvertet. Medicis vero & Chirurgis dum omnem fidem derogandam eſſe contendit, haud levem infert injuriam. Ad *politicam* ſpectant, quæ de Batavorum artibus, de Gallorum commerciis, & quare florere non potuerint, de Mogolis prudentia, de orientalium populorum timiditate diſſeruntur. Nec prætereunda ſunt, quæ ad *hiſtoriam* tum litterariam, tum civilem illuſtrandam pertinent. Evremontii fata & ingenium Epicuræum Autor ex familiari converſatione deſcribit, ejusque verſus de ignorantia humana, ſcepticiſmum redolentes, inſerit: Abbatem *de Choiſi*, qui itinerarium Indiæ orientalis edidit,

 ſæpius

Digitized by Google

ſæpius refutat. Sic etiam de Batavorum prælio navali cum Gallis, in quo Reuterus cecidit, ſingularia nonnulla refert: & ritus nautarum, lineam, uti aiunt, tranſeuntium, ludicros; Indorum, mortuos in cineres redigendi, ſepulcrales, & in ſpecie vivam Braminis uxorem comburendi fere tragicos, magna cum induſtria & ex αὐτοψίᾳ deſcribit. Nec injucunda ſunt, quæ de incolis Inſulæ Madagaſcar eorumque origine diſputat, quos ab Amalekitis ortum trahere, opinatur. *Theologis* denique plurima heic obſervanda veniunt, quibus, cum operis hujus non facile rationem ſint habituri, rem longe gratisſimam facturos nos eſſe ſperamus, ſi eadem paulo accuratius in Acta noſtra retulerimus. De æternitate integra
T. I p. 142. hic habetur oratio, ab Abbate quodam in concione litteratorum, qui rem litterariam inquirendi ſtudio ſocietatem in Belgio inierunt, nullam vero actorum ſuorum memoriam extare volunt, habita, digna omnino, quæ accuratiori diſquiſitioni ſubjiciatur. In
I p. 115. eodem tomo *de gratia Dei*, quam cum ſole, radios quidem ſuos in omnes terræ incolas, ſed diſpari ratione, diſpergente, comparat, dum mentionem injicit, Auguſtinum ſecutus, prædeſtinationem reſpectu hujus vitæ ridet, reſpectu æternæ concedit, atque efficaciam gratiæ in converſione latronis & Pauli potisſimum eluxiſſe, arbitratur. Nec poſſumus, quin probemus ſerio, quando Autor, di-
I p. 113. rectionem intentionis & reſtrictionem mentalem rejiciens, chriſtianos ait vita & moribus paganizare, gentiles e contrario evange-
II p. 364. lio conformiter eſſe locutos. *Religionem Luſitanorum & Hiſpanorum*, non Chriſti, ſed Monachorum eſſe dicit, in indulgentiis, reliquiis, imaginibus cæterisque abuſibus, quos inquiſitionis tribunal foveat, tueaturque & multiplicet, conſiſtentem. Ineptam ve-
III p. 52. ro *Mahomedis* religionem, vel ſi mavis, ſuperſtitionem ideo tam
& 71. longe lateque omnes orientis partes occupaſſe ait, quod Mahomed de religione diſputare prohibuerit, polygamiam conceſſerit, & terrenas voluptates poſt fata promiſerit. Et ſane tantum abeſt, ut Pontificiorum placita cœco obſequio proſecutus ſit Auctor, licet Romano-Catholicam religionem publice profeſſus fuerit, ut potius eadem aperte proſtratum iverit. *Infallibilitatem* Pontificis Romani, homo cum ſit, ab ullo mortalium ratione prædito credi
I p. 95. poſſe, plus ſimplici vice negat, & Clementem VII in finibus terræ
109. 176. &c. maris-

mariſque Orientalis Regibus Hiſpaniæ & Luſitaniæ conſtituendis graviter erraſſe, & triplicis coronæ papalis fundamentum admodum lubricum eſſe: imo religionem ab ipſo Papa commodo ſæpius terreno poſtponi, non diffitetur. *Cultum ſancto-* T. III p. 21.
rum cum idololatria Indorum comparat, & fraudes ſacerdotum, II p. 201,
falſas fictasque producentium *reliquias*, detegit. Sic Patrem Bernhardum, monachum Auguſtinum, natione Luſitanum, radium quendam ſtellæ Magorum oſtentaſſe, aqua chryſtallo incluſa II p. 362.
ope minutæ candelæ cereæ ſplendorem emittente, & de hac fraudulentia interrogatum reſpondiſſe refert: *ad populum phaleras*. Sic etiam inter alios a Franciſcanis in ſanctorum numerum relatos, ſanctum quendam *René de pierre* Nannetibus a mulierculis ad- II p. 207.
oratum, quin imo arroſum fuiſſe, ut gravidæ fierent, huncque cultum duraſſe, donec de la Beaume de Blanc Epiſcopus factus ſit, ſancte teſtatur. Imprimis Societatis, quæ nomine JESU, quod præ ſe fert, multis modis indignam ſe reddat, artes, ſtudia & characteres vivis in hoc opere depinguntur coloribus. *Ieſuitas* enim in Indiam proficiſcentes martyres eſſe fatetur, non Chriſti nec reli- I p. 390 ſ.
gionis chriſtianæ, ſed avaritiæ: hos gemmis & adamantibus, quos III p. 43.
ſubdole nonnemo in ocreis bracteatis celaſſe perhibetur, duntaxat III p. 115.
inhiare, & neglectis regionibus, in quibus nullæ vel exiguæ opes, 124.
multæ vero hominum convertendorum dantur myriades, eas tantum in terras abire, quæ ſplendido ſuo luto ipſos alliciant: hos ha- 120. ſq.
bitu incedentes civili, clandeſtinam mercaturam facere, eamque miſſionarios alios ideo non detegere, ne ſuæ nundinationes ab illis vindictæ cupidis propalentur: hos Confucium palam adorare, 169.
vel parvulam Chriſti crucifixi imaginem in manibus ſuis occultantes, vel formam crucis manibus a capite ad terram, & a dextra ad ſiniſtram protenſis, fingentes: hos decreta papalia in India floc- 130 ſq.
ci facere & ne ſpeciem quidem chriſtianorum gerere, atque rebellione in laponia excitata, nomen Chriſti prorſus exoſum reddidiſſe: hos ab ipſis incolis Canadæ excluſos eſſe, quorum legatus, pace cum Rege Galliæ inita, publico nomine eum obteſtatus eſt, ut 176 ſq.
ne ullus Lojolita adveniat, cauſam interponens, nigros illos ludiones nil niſi feminas & caſtores quærere: hos & triplici potiſſimum ſpectabiles eſſe charactere, quod ſcilicet omnibus ſint odio, 175.

Digitized by Google

ab omnibus tamen timeantur, & hac de cauſa honorentur: & ipſum Regem Galliæ invitum ſæpe Jeſuitis aſſurgere debere, ne novus Ravilliacus exſurgat. Ceteros quidem miſsionarios in informandis ethnicis, & propaganda religione chriſtiana, longe diligentiores eſſe commemorat, eorumque relationes de rebus Indicis & ſimpliciores & a vero non ita alienas eſſe, cum Jeſuitæ rhetoricantes impudentiſſime mentiantur: tribus vero de cauſis reliquos miſſionarios in India contra Jeſuitas nihil efficere poſſe, do-
p. 162. cet: primum, quod Principes Indiæ diſputationes miſſionariorum cum Jeſuitis parvi faciant, totam religionem chriſtianam fabulam eſſe reputantes: deinde quod Jeſuitæ lautioribus donis magnates in ſuas partes trahant; & denique quod Jeſuitæ in aulis Principum non tanquam prædicantes, ſed tanquam litterati & mathematici compareant. Ipſe vero Autor modum convertendi
T. I p. 365. di paganos optimum indicaturus, Paulum ſequi jubet, Chriſtum
II 36. ſq. tantummodo, & hunc crucifixum, claris & perſpicuis verbis prædicantem. Et licet Anglis, a quibus Autor ſe in captivitate
III 40. ſua male habitum eſſe queritur, ſit infenſiſſimus; eos tamen hoc
41. nomine maximopere commendat, quod eorum miniſtri evangelium longe majore cum ſtudio, quam Romano-Catholici rem eccleſiaſticam apud Gentiles tractent, & puriore zelo in miſeras hominum mentes ad Chriſtum perducendas ferantur, a ſpiritu principatus & imperii, ab avaritia & luxuria paullo alieniores.

TROISIEME VOYAGE DU SIEUR PAUL LUcas fait en M DCC XIV par ordre de Louis XIV.

i. e.

PAULI LUCAE ITER TERTIUM, JUSSU Regis Ludovici XIV in Turciam, Aſiam, Syriam, Palæſtinam & Ægyptum ſuperiorem atque inferiorem A. 1714 ſuſceptum.

Tomi III.

Rothomagi, apud Rob. Machuel, 1719, 12.
Alph. 2 pl. 6 tabb. æn 28.

SOla quidem autoritas Gallorum Regis, cujus juſſu & auſpiciis poſt

poſt primam & ſecundam profectionem, quarum illam Hagæ Com. 1705, hanc Amſtel. 1714, utramque in 12 duobus Voluminibus, prodiiſſe novimus, tertium iter ingreſſus eſt Cl. Autor, ipſi fidem ac nomen conciliare, atque ſalivam ea noſcendi quæ tantum Regem oblectare debebant, movere poterant. Sed cum multa eorum, quæ ante propoſuerat Autor, in dubium fuerint vocata, ante omnia fidem aſſerere narrationi ſuæ molitur. Poſtquam itaque generatim eos probandos obſervat, qui ſuis oculis viſa recenſent, ſibi propterea maxime credi vult, quod plurima eorum, quæ retulit, ea imprimis quæ aliis intacta aut plane nova ſunt, per Conſules nationis, Regis Legatos ejusque miniſtros inter diverſas gentes abunde confirmata fuerint. Quibus tamen præpoſtere ſe tuetur Autor, ſi vera ſunt, quæ de iisdem Viris palam ſæpe ipſum mendacii arguentibus ſcribit Autor Novellarum hiſtoriæ literariæ. Finem autem eum libro huic propoſuit, ut cujusvis generis lectoribus, antiquitatum ſtudioſis, iis qui Geographiam ex itinerariis perficere ſtudent, aut qui alia duntaxat curioſa de moribus, veſtimentis &c. diverſarum gentium requirunt, ſatisfaceret. Nihil tamen eorum, quæ ante jam narravit, ſe repetiiſſe contendit, cum, licet easdem adierit gentes, diverſo tamen modo eas reſpexerit, ut hic liber loco ſupplementi priorum eſſe poſſit. Ea enim de cauſa nunc quoque ablegatus fuit, ut quæcunque occurrerent rariora, colligeret, antiquitates rimaretur, & quæ plantas peregrinas, ac hiſtoriam naturalem concernunt, ſedulo annotaret. Allata deinde ab ipſo Dux Aurelianenſis ſic diſpertitus eſt, ut Bibliothecæ Regiæ inferrentur omnis generis MSta, numiſmata & lapides pretioſiores gazophylacio regio, Academia vero literaturæ elegantioris deſignationes, inſcriptiones & tabulas, & Academia Scientiarum plantas, metalla, aliaque curioſa haberet. Ceterum ſubinde pollicetur, ſe Tomo alteri ſubjecturum eſſe inſcriptiones antiquas Græcas paſſim inventas, quarum vero præter perpaucas, quæ vel ſuo loco inſeruntur, vel æri inciſæ admodum quidem truncatæ & corruptæ exhibentur, nihil ſub finem libri comparet. Sedulum tamen antiquitatum ſcrutatorem ipſum fuiſſe nemo negabit, qui indefeſſum ejus in luſtrandis monumentis ac pertinax ſtudium ſæpe cum vitæ periculo conjunctum penſitaverit. Ægyptiis enim & Arabi- Præfat.

Digitized by Google

Arabibus cunctis perſuaſum eſt, Europæos omnes, Gallos præcipue, magicarum artium peritiſſimos eſſe, nec ut prætendunt, rudera antiqua inveſtigare, ſed evocatis dæmonibus,qui theſauros in monumentis defoſſos cuſtodiunt,patriæ ſuæ divitias ſibi ſuffurari. Unde non aliis ſolertius inſidiantur prædatores Arabes,quam quos norunt in antiquitatibus ejusmodi luſtrandis operam ponere. Ea tamen Noſtro felicitas fuit,ut inacceſſa aliis multa loca adierit, licet ſæpe impeditus omnia vel explorare, vel dimetiri, ac annotare nequiverit. Ut adeo iis, qui eandem regionem olim forte repetent, indicis loco liber eſſe poſſit, qui monſtret,quibus in locis deliteſcant, quæ uberiori examine digna ſint. Verum inſervit quoque aliorum erroribus corrigendis, ſiquidem Sponii lapſus Apameam (nunc *Montagniat*) cum Nicopoli confundentis, T. I p. 182, ac portæ ferreæ exſtructionem ſecus ac probabile eſt, Alexandro Maſſerentis,p.185,Monconyſii,parvumMæandrum cum majori miſcentis, p. 219, nec non Petri de la Valle Alexandriæ
Tom. I hodiernæ muros ab Alexandro M. exſtructos credentis,T.II p. 28, aliorumque errata paſſim emendat. Maſſilia itaque Byzantium profecturus, cum diſceſſus ejus ex Gallia aliquantum retardaretur, viduæ Polonorum Reginæ adventum ex Italia cum ſolenni-
13. bus, quibus excipiebatur, ceremoniis deſcribit,& de ſepulcro celebris Aſtrologi Noſtradami,quod interea inſpexerat,diſſerit.Byzan-
21. tium advectus,obiter commemorat, ut Galliæ Regis Legatus Reſidentem Imperatoris Romanorum inviſerit, ubi vix fidem meretur, quando Legatum Gallicum primas præ Imperatoris Le-
77. gato ſemper habuiſſe narrat. Inde cum Græciam verſus abiiſſet, mox Conſtantinopolin repetiit eo tempore, quo ſupplicium ſumebatur a Pſeudo-Principe Abaſſonio,qui ſe Perſarum Regis fratrem, regno injuſte pulſum, ſimulaverat, & multis aliquando inter Gallos quoque impoſuerat,cujus hiſtoriam uberius Noſter per-
88. ſequitur. Porro ritus ſacros Turcarum,quos ob religionis zelum
93. valde commendat, deſcribit.Mira ſunt, quæ de planta,quam Turcæ ſua lingua Serquis vocant, narrat, quæ conjuges Imperatoris ita vegetas ſervet, ut quæ 70 annorum ætatem attigerant, vix triginta annorum eſſe Autori viderentur.Cum vero alias nulli conce-
datur

Digitized by Google

datur & gynecæo Imperatoris ſoli deſtinetur, Autor tamen ſe in Arabiæ petrææ montibus largam ejus ſegetem reperiſſe atque Europæis inde attuliſſe teſtatur. Hiſtoriam primorum Veziriorum inde exhibet, & artes politicas omnes, quibus Sueciæ Rex Carolus XII Benderæ degens, omnique argento deſtitutus (quo alias per Sultanos omnia in aula Turcarum reguntur) gratiam tamen apud primarium Sultanum validam inierit, ejusque conſiliis effecerit, ut caſtellum Azoph cum aliis regionibus a Ruſſorum Imperatore Turcis traderetur, exponit. Ingreſſus deinde Natoliam, terram incultam, ſed quæ, ſi accedat labor, fertiliſſima, ignaviam & paupertatem incolarum deteſtatur, moresque & veſtimenta ipſorum delineat. Smyrnæ Conſulem nationis Anglicanæ convenit, quem ob muſeum omnis generis numiſmatibus rarioribus refertum, & præcipue Catalogum plantarum regionis, Horto Malabarico multo inſtructiorem, & publico olim haud invidendum, vehementer laudat. Inde urbis haud procul Lacedæmone ſitæ, quam Sagalaſſum eſſe ſuſpicatur, rudera recenſet, & amphitheatrum delineat. In Syriam profectus hiſtoriam Maronitarum texit, quorum & religionem Romano-Catholicæ affinem & animum Rom. Pontifici valde addictum obſervat. Dignum notatu eſt, quod circa regionem, quæ in ſacris literis Ogi Regis Baſan & terra gigantum dicitur, ſepulcrum hominis admodum proceri detexerit, & teſtantur incolæ, iis in locis perſæpe monſtroſæ ejusmodi magnitudinis oſſa inveniri. Geographicas inde mappas inferioris Ægypti, quam deinde adiit, & omnium Nili riparum delineat. Rerum natural. curioſos præparationem ſalis Ammoniaci, & ut temperati caloris ope gallinarum pulli in furnis excludantur, prolixe docet. Antiquitatum ſtudioſis rudera ſplendidi Iſidis templi, quod ex ſpatio a ruinis ejus nunc occupato 500 circiter paſſuum ambitu ſuo complexum fuiſſe conjicit, cum nonnullis ibi repertis figuris hieroglyphicis ſiſtit. Addit Pompeji columnam antiquiſſimam Alexandriæ poſitam, quam accurate eſt dimenſus, una cum Cleopatræ columna hieroglyphicis refertiſſima. Porro Nili inundationem & religioſos populi cultus exponit, & natam inde fabulam docet de Sphinge, quam Græci poſtea adoptarunt. Ea incrementum fluvii, quod circa Maji finem contingat & ad menſem Augu-

[Margin: p. 361. — 155. — 203. — 252. — 329. — Tom. II. 6. — 12.]

E ſtum

ſtum usque, quo tempore Sol curſu ſuo Leonis & Virginis ſigna
conficit, continuatur, deſignari, atque adeo modo quodam hiero-
glyphico corpus Leonis cum capite Virginis repræſentari autu-
p. 131 mat. Tranſiens inde ad cultum divinum Ægyptiorum noſtri
temporis, iter verſus Meccam & ſuperſtitioſam religionem, qua
iter hoc proſequuntur, deſcribit. Civilis etiam ac militaris ſtatus
173. admodum corrupti apud eosdem mentionem injicit, & rationem
reddit, cur ex vaſta adeo regione ac opulenta exigui reditus ad
261. Turcarum Imperatorem perveniant. Accedit denique ad Laby-
rinthum, quo neminem peregrinantium hactenus perveniſſe con-
tendit, ſuperbum ædificium, cum quo humanum opus aliud ipſæ-
que tam mirabiles tantæque molis pyramides comparari neque-
ant. Factas hic obſervationes ſuas cum Herodoti, Pomponii Me-
læ & Plinii recenſione confert, quorum ultimum fere ubivis falſi
arguit, admodum miratus, quod poſt tantum temporis interval-
lum Herodoti narrationi accurate adeo omnia reſpondeant. Hoc
fere unico ab ipſo diſcedit, quod hic duplicem meatuum implexo-
rum ſeriem, alteram ſuper alteram, infra terram ſtatuat, cum Auto-
Tom. III ri noſtro tres potius ſuperimpoſitas ſibi fuiſſe videatur. Confir-
p. 8. mat & αὐτόπτης id quod a Plinio relatum multisque fabulis per-
miſtum fuit, de ave Trochilos, quæ rictum hiantium Crocodilo-
rum intrat, & mox rurſus illæſa exit. Avis hæc, ex Autoris opinio-
ne reliquiis prædæ adhærentis dentibus beſtiæ paſcitur, ſed
cum alas habeat admodum aculeatas, adigit crocodilum, a quo
clauſis maxillis detinetur, ut diducto rurſus rictu illæſam dimit-
20. tat. Adiit inde templum olim magnificum Jovis Hermonthita-
rum, cujus Strabo & Stephanus fecere mentionem, illudque ac-
curate delineat, gentemque hanc numen iſtud olim juxta cum Iſi-
de & Apolline coluiſſe probat, numisma quoque addens, quod ab
una parte Hadriani caput, ab altera Jovem, altera manu haſtam
parvam, ſymbolum divinitatis, altera aquilam tenentem, cum in-
ſcriptione ΕΡΜΩΝΘ. i. e. ΕΡΜΩΝΘΙΤΩΝ exhibet. De ſubter-
raneis cavernis & meatibus, qui rupibus montibusque inciſi paſſim
in Ægypto inveniuntur, judicat, eos non, ut vulgi fert opinio, ana-
choretarum opus eſſe, ſed primorum poſt diluvium hominum, ar-
74. chitectonicam artem ignorantium. Denique de promontorio
quo-

quodam, quod avium montem vocant, refert, quod certo anni tempore incredibilis volucrum multitudo in Ægyptum inde deſcendat. Subjicit litteras, quibus prolixius deſcribuntur fata mo- p. 88.
nachorum trium, martyrium apud Abyſſinios expertorum, unde religionis Catholicæ in Abyſſinia ſtatus intelligitur. Sexto libro Lib. VI
notatu digniora de populo, moribus, forma imperii &c. occur- p. 124.
runt, fines ejus geographici curatius determinantur, hiſtoria diverſarum in Ægypto formarum regiminis, commercia Ægyptiorum ab antiquiſſimis usque temporibus, proponuntur, & ſpeciatim merces annotantur, quæ hodie ex Ægypto commode acceſſuntur. 191.
Refert ad illas balſamum, quod ex Arabia inde ad nos affertur, quod in tres claſſes, ſcilicet primæ, ſecundæ & tertiæ guttæ diſcernit, ex quibus non niſi ignobilius, quod ſecundæ eſt vel tertiæ guttæ, Europæis conceditur, cum id, quod primæ guttæ dicitur, ſoli Turcarum Imperatori ſub capitis pœna reſervetur. Attulit tamen Autor vaſculum pretioſo hoc liquore repletum, quod aureo horologio, pretio ſatis vili, ſi uſum ſpectes, ſe redemiſſe teſtatur. Inde de temporis anni diviſione apud Coptas uſitata, quam Mahu- 194.
metani quoque ab illis mutuantur, de varii generis animalibus Ægypto propriis, de arboribus & plantis &c. agit. Inſtituit denique Autor parallelismum inter hodiernorum Ægypti incolarum & antiquorum ceremonias, & ratione religionis, expiationis, votorum &c. miram convenientiam obſervat, quibus ea confirmari poſſunt, quæ antiqui autores de moribus Ægyptiorum commentati ſunt, dumque res naturales Ægypti, ab antiquis recenſitas, 246.
cum iis, quæ nunc ibidem inveniuntur, comparat, egregiam naturæ conſtantiam miratur. Annexa eſt libro epiſtola amici de ſitu 266.
Ægypti, quæ loco compendii Geographiæ antiquæ Ægypti poſſet eſſe. Ad multa curioſa, quæ Autor ejus quæſierat, ſuccedit re- 286.
ſponſio, qua contenditur, dubiis Chronologorum ſatisfieri non poſſe, quam ſi ante Chriſtum natum 6000 annorum tempus ſtatuatur. Optandum vero, ut prolixius reſpondiſſet ad quæſtionem, an Alexandriæ mœnia, quæ olim integro milliari a mari diſtabant, mare nunc alluant. Inde enim partim de nonnullorum ex antiquis opinione conſtaret, qui integrum Ægyptiorum Delta Nili opus eſſe crediderunt, ex limo & terra a flumine advectis forma-

Digitized by Google

tum, partim an Ægyptiaca terra continuo verſus ſeptentrionem augmenta capiat, ſicut oræ maritimæ in Europa auſtrum verſus decreſcere videantur, diſcerni poſſet.

VOYAGE AUX COTES DE GUINEE ET EN Amerique par M. N.

ſive

DESCRIPTIO ITINERUM AD LITORA Guineæ & in Americam inſtitutorum a N. *

Amſtelodami, ſumptibus Stephani Rogerii, 1719, 8.
Pl. 18 cum figur. æn pl. 6.

BInis vel pluribus vicibus Autor itinera in Africæ Americæque inſulas ac regiones quasdam mari adſitas inſtituit. In quibus quæ memorabilia ipſi occurrerunt, exponit, delineationes & deſcriptiones ſatis curioſas variorum naturalium corporum, teſtarum ſcilicet marinarum, concharum, piſcium, arborum, herbarumque, animalium ſerpentium, brutorum rariorum, alitumque, nec non deſcriptiones morborum imprimis in inſula MARTINIQUE Americaque frequentiorum, cum remediis iis adhiberi ſolitis, exhibet. Nullo vero ordine uſus tædium lectionis ſuæ multis fabulis & narratiunculis ex parte ſcurrilibus diſtinguit, clericorum mores acerbiſſimo ſale quavis occaſione perfricans. Paucorum, quæ ad Geographiam ſpectant, ſummam repræſentabimus. GOREA Inſ. aqua, ad 3 leucas inde petenda, ligniſque deſtituitur, ſita ad Caput viride Africæ, cujus tractus incolæ ſunt Muhamedani. Inde venit ad promontorium MESURADE in regione, quæ MALAGUETTE dicitur a piperis quadam ſpecie, inde ad ISIGNIS caſtrum, a Gallis iterum deſertum. In eadem regione occurrit GRAND SESTRE pagus, & in ejus vicinia BAFFAU, & Caput LAHOU, ubi peculiaris aliquis Rex rerum potitur. Porro LAMPY, ex quo tandem Galli iter ſuum in regnum JUDÆ dirigere ſolent. Regnum JUDÆ cinctum ex omni parte, præterquam a latere maritimo, regno ARDRES, vigeſies eo majore; cujus etiam primo pars fuit, poſtea rebelli-

one

one ſeparatum ab ipſo, ſed tamen tributarium factum, & cum tributum recuſaſſet, iterum ad idem pendendum compulſum. Regni ARDRES primaria & maritima civitas eſt JAQUIN, ubi Angli, Batavi, Galli Luſitanique negotia ſua exercent. Regni JUDÆ urbs principalis XAVIER vocatur, 2 leucis a mari diſtans. Rex Judæ circa tempora prioris itineris ab Autore anno 1702 facti centenario major deceſſerat, poſt cujus mortem uxores ejus, quas magno numero habuerat, venditæ. De ſucceſſione certabant duo filii. Nam cum eadem jure ad primogenitum non ſpectet, ſed ab electione procerum & commendatione Regis decedentis dependeat, natu ſecundus poſt mortem patris electus fuerat. Quod iniquius ferens natu primus filius bellum excitavit, quod uno prælio, in quo legitimus Rex ope tormentorum ſex campeſtrium, ut vocant, quibus natu major deſtituebatur, victoriam reportavit, finitum. Magnam in hoc regno eſſe venerationem ſpeciei cujusdam ſerpentum memorat Autor, factumque aliquando, ut cum aliquis ex Gallis ſerpentem ejus generis clam occidiſſet, & metu periculi cadaver ſecreto loco condidiſſet, idem pauciſſimis horis aliquot centenis hominum jam innotuerit, qui parricidam hunc ad mortem depoſcentes, ipſum locum, quo conditus fuiſſet ſerpens, accurate definiverint.

Alio itinere attigit MARGARITAM inſulam, quæ Hiſpanorum eſt, CARRAQVES, GVIANAM, CARTAGENAM, PORTUM BELLUM, ubi navis ipſius 600 mancipia vendidit: etenim dictis Africæ oris atque hiſce Americæ locis commercium fere ſolum eſt mancipiorum Æthiopicorum. GRAVAM minorem in Inſula S. DOMINICI aeris fervore & intemperie incommodam: MARTINICAM, prius MATANINAM dictam, circiter 18000 incolas Gallos, 150000 barbaros utriusque ſexus habere, notat. Occupata primum fuit a Gallis 1635, ſubjugata plane 1658. Statio AU CUL DE SACROYAL, ab omnibus maris inſultibus tuta, 500 fere navigia capit. Inſula TABAGO, de qua pridem tot nationes diſceptarant, nunc plane non habitatur.

Vernünfftige Gedancken von GOtt, der Welt und der Seele ꝛc.

i. e.

MEDITATIONES METAPHYSICÆ DE Deo, Mundo & Anima, Autore CHRISTIANO WOLFIO, *P.R.B. Conſil. aulico, Math. & Nat. P.P.O. Soc. Reg. Brit. & Bor. Sodali.*

Halæ Saxonum, ſumptibus Rengerianis 1722.8.

Alph. 2.

PRiorem harum Meditationum editionem recenſuimus in Actis A. 1720, quo lucem adſpexerat: cum vero nunc ob plauſum eruditorum exemplis omnibus diſtractis novam dare coactus fuerit Autor, noſtrum eſt, ut ejus a priori diſcrimen exponamus. Quoniam veritates morales atque politicas ex methaphyſicis continuo nexu deduxit, eundem retinere debuit articulorum numerum, ne citationes in Philoſophia morali & civili occurrentes confunderet. Etſi itaque (quod in præfatione monet) multa haberet nova, quæ adderet, eaque non exigui momenti, ab iis tamen hac vice conſulte abſtinuit, præſertim cum adhuc firmum teneat propoſitum, partibus Philoſophiæ Germanicis abſolutis Philoſophiam univerſam Latino habitu veſtitam eamque multo locupletiorem edendi. Non aliud egit, quam ut ſphalmata citationum, quæ in priorem editionem irrepſerant, multo cum ſtudio corrigeret, lectionem libri cum fructu facilitaturus, tum ut nonnulla adjiceret, quibus quæ difficiliora viſa illuſtrarentur. In præfatione grato veneratur animo plauſum eruditorum, inprimis quod Theologi non modo noſtrates, verum etiam Reformati ac Pontificii inſigniores, librum utilem judicent ad intimiorem Theologiæ notitiam & religionem contra objectiones profanorum defendendam. Monet autem, nimis anguſtam capitis quinti, quod de anima ac ſpiritibus a priori agit, ideam animo concipere, qui ſibi perſuadent, in eo nonniſi Syſtema harmoniæ præſtabilitæ Leibnitianum explicari: ſe enim ibidem particula-

tim

tim perſequi, quicquid veri ac ſolidi habeat idealiſmus, quid materialiſmus, ex cujus utriusq. combinatione ſequitur ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ, ipſo *Leibnitio* fatente, ac ex illis rationem reddere eorum, quæ animæ ineſſe ac in corpore ejus perceptionibus & appetitibus conformiter fieri obſervamus. Eum in finem Sectas Philoſophorum generaliter ita diſtinguit. Alios eſſe *Scepticos*, a dogmatibus cudendis abhorrentes metu erroris committendi, alios *dogmaticos*, dogmata ſeu veritates generales, unde obſervatorum ratio reddatur, inquirentes. Dogmaticos diſtingui in *Moniſtas* & *Dualiſtas*, quorum iſti nonniſi unicam ſubſtantiarum ſpeciem, hi vero duplicem admittant. Moniſtas eſſe vel *Idealiſtas* vel *Materialiſtas*, quorum illi præter ſubſtantias immateriales non admittant alias, corporeis tantum idealem in iſtis exiſtentiam tribuentes: hi vero ſolas ſubſtantias materiales agnoſcant, immateriales pro fictitiis venditantes. Dualiſtas utriusque ſubſtantiæ, cum immaterialis, tum materialis, exiſtentiam defendere. Idealiſtas denique velle *Pluraliſtas* vel *Egoiſtas*, quorum illi plures ſubſtantias ſimplices, hi vero non niſi unicam, qvam voce ego indigitant, exiſtere arbitrantur. Obſervat etiam, editis meditationibus metaphyſicis prodiiſſe objectiones nonnullas contra ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ *Leibnitianum*, ſed ex male intellecto profectas. Multis majoribus difficultatibus premi ſyſtema influxus phyſici vulgare, quod immortalitati animæ parum faveat. Denuo etiam exemplo confirmat, quomodo veritates mathematicæ, præſertim analyticæ, notiones metaphyſicas illuſtrent & viciſſim methaphyſicæ lucem affundant mathematicis. Mentionem quoque injicit Scientiæ novæ condendæ, quam *Architectonicam* vocat, cujus eſt oſtendere, quomodo maxima perfectio concilianda ſit compoſito. Ex ejus principiis etiam dijudicandum eſſe, quænam conſtructionum geometricarum ejusdem problematis ſit altera melior, plus nempe perfectionis continens ceteris. Obiter monemus, propediem prelum evaſuram tertiam Meditationum Logicarum de intellectu ac ejus in veritate cognoſcenda uſu editionem, exemplis uberioribus illuſtratam, indicatis ſimul locis in Meditationibus Metaphyſicis, Moralibus & Politicis, atque Experimentorum Tomis, unde plura peti poſſint.

Digitized by Google

RESPONSIO AD JOANNIS BERNOULLII Animadverſionem in ſolutionem Problematis cujusdam, quæ animadverſio edita eſt in Actis Lipſienſibus Menſis Junii A. MDCCXXI.

TOmo VII Sectione VIII p. 352. 353 Supplementorum ad Acta Lipſ. Nicol. Bernoullius, Joannis Filius, Problema a Patre acceptum Geometris propoſuit. Brevi poſt adventum hujus Libri in noſtram regionem (Angliam) charta incidit in manus, quæ Problematis Solutionem exhibere præ ſe ferebat; cujus ſolutionis exemplum inſcio nec opinante chartæ Scriptore in publicum emiſi; & nuperrime inveni, Jo. Bernoullium abhinc amplius ſex menſibus animadverſione illud cohoneſtaſſe. Quod videam Cel. Virum elaborare, ne quis Amici mei ſolutionem ſuæ anteferret, in arctum quidem temporis ſpatium ad eam ſolutionem ſumebat; & ut otium ei defuit rem ab illo tempore ulterius proſequendi, ita alia negotia jam quoque obſtant quo minus animum eidem rurſus applicet. Cuperem igitur ſine mora videre ipſam Bernoullii ſolutionem, & ne ſuſpicio de nobis eum impediat, quaſi noſtram ſolutionem ex ea quam prolaturus ſit adornare inſtituerimus, pauca, quæ Amico meo inveniſſe contigit, Notis fictis apponam.

Curvarum, quæ Problemati conveniunt, quæcunq. ſumatur Ordinata illius *ngjy4ubp8ilwiyq4rt7qa2pæn3taxn7blq3jbi2widsr ngamwtiſ* ut ſermone Arithmeticorum utar *9l7ap5an21e6r2tſi9an rb7vwtyusbgcmsiqdgr72ſxæbrc4ny6r98oſ3pn27bxt45pxseoji172951 lgil*ordinatæ *bqzxnægſy3pxjvojlsæ5nvyzzcr8be1g182ſcq6a* jacentes & *qgln3qzti4anapcn96v5yſ8zbcp8* diſtantiam. Hujuſmodi autem Curvæ inveniri poſſunt *use511qib7mz2pqænvszaps9ulb2* Curvam, qualem Problema requirit *6vntrqwt6djſ8wz17xpr5ælv* Curva *bxz zgb4769apadbm3* quæ habeat *ſbvrjb271q4jæ6ri6dtæ* a principio ſuæ Abſciſſæ Ordinatas *sqcrmznrt12cn9p3taxnvglc3pq* Abſciſſæ poſitas. Eſt enim Ordinata Curvæ *g68imxſ6cſvjezvrlqpnqæyv ius* ordinatam habentis *nme2btb91lmna9ſ1d2rjav16g3t1029cvsqms* terminato a *ænv21zdwjvtscbt2pw8* æquales areæ Curvæ *xbcse9tn zrbqæp5xoſ6xjcigdyl* autem *xwdænoſ3p* pendet a *vbse9b* & Curvam Problemati ſatisfacientem *1py7tclicdugtmxmyodjaqbmxlæ5*

dqæ


Digitized by Google

d4æcjbæpı derivat, quæ habeant *qbdvxbrjhznzzyſı915qrmnhpqrw sx5sæloqdhæps* Abſciſſæ Ordinatas *qınezhgpixſg9aſhs73clbsepicd suxlacwxnzcrqyxlbıgı8* poſitas. Et hæc *pxwen8lſgaſc9rdbzhqbn 378sqz5r* ſequens præbet, nimirum ſi aliqua Curva ſumatur, qua Problema ſolvi poſſit *waıbsqzevgyl52ct5ſb9* & ſi hujus Ordinatæ *eyıpgi3473ſvixæ5wgi8xzn3v9sg2p7athdy45m7wqzıdabvı* Curva Problemati ſatisfaciens *qgimln3bldyx9d7* Abſciſſam conſtruatur *gſybphzey7dwixjız* ea lege, ut illius Ordinata *dnæzhiqzitwrıxſd* Abſciſſæ ubique *6zvr5wnryızugrc9rſ3z* aſſumptæ *yt7p8h4cbær7u lbzqa4a5* Ordinatæ *z3yaæxwc5vtſe7mno4qp.en8ogcwnmqivgc8* Ordinatæ *ixcbdrjgſynzrqanyılſzemc9* Curvæ conſtruendæ Ordinata, quæ *tæxzrſegelxovjſd* Abſciſſæ *3zæ.dſ* omnes enim Curvæ hac ratione *bw8ymsiwug82csvy95ſ3mbz7wp7m4byu3twhiu796g spn6staz* demonſtratur Propoſitione ſequenti, quod *qdnſdug713 cmbbymi28r7wudqiepmhct4ır6p5zzavrſejcg3csjſ39cpxvsicrpqıa y 6l* adjacenti æquale eſt rectangulo ſub *æp5nazphı9zzarhpits ybınp ſug4yzs7n81d* adjacentis *hzq6aıdæczriepmlajæp75zi4ntſibeıuıı5v pſgjpc973mlpscnlſ3taxrbbq6zgcd5*. Denique *3pcnrypxjditrz* derivatur a *qæaypibvhgzz92c8nv6ryızdſqdæilxs6r5ajln39* quadratura Curvarum *ſb7zq6hxs5wæmprlc7* Exemplum generale, quod exhibui, Curva Logarithmica & Cyclois *gzg ydctv4i5zabcı* inveſtiari poſſunt *xb3pnrstugdyzq6* Unus Caſus Curvæ Logarithmicæ commode invenitur *wntsgcqzepmr5wıjg5lb9hıxwgd5z3ſ* Linea *cphxſzr8æpn8os5myg7pynbbhslmzqmt* memoratæ. Alter hujus Lineæ caſus deducitur ex *ıaebizdı7wzyn3zqlwanrvt8zqzd sx5szvienrzam* nonæ *hyſtpgcd53pcq6djlı4xlsgti* quæ omnium Curvarum in *mybzhs7gr4qmtv6jmdp5aæn179strzavhyqydægim5 lzc839c* Parabolam cubicam & Hyperbolam conicam. Cycloïs *b8cuc97pyælnſz1o1q6ſn96stapxſdzp9vjcitnhprt8lqi4t* deduci diximus Exemplum iſtud generale *9rydmg9m7wpbycuisgcqzxicnbb buzgcq6dnzphyzxwidjqlig9rbinhqjbı* non ſine ambagibus *sgpnu qpxrlwgiqzynoſbvhn9g3bulxjnıgtlhznaq5l4dægit59* inveniuntur Curvæ geometrice rationales *binm3tq4pyg473bis7ucdyhu3lgsns qzx7zbuxd5bysn9qexcrbdnagipn8o6yx9bzx* pendente; quandocunque enim Curva *zwgidnavıxvſnpq5mbicd6pbvpyl9jqtnads3y*

bydg3lx7jvſlpg7lyp5 habet, cujusmodi *itb9c2pweixwl7zdqæg32lcſ vqlmræa5bpwzncz82* Curvæ quoque inveniendæ Ordinata rationalis erit. Denique *wbpxwjdnugdqmdgin59gyp3mxv7æps9nzi ydſtgtqxtojbpywgmzjjlwhænzxſz* facile eſt invenire *bnpbywxtn s5qtrmdg6l2czbc81qd6tnvsdchtabdueihg3mijqryja6* & quibus *xo pwbeuny6ſx5acf* id fiet. Unde intelligi poteſt *xqzg7pbhvntq5yv gcwbdveælqiænzradx9561* Problemati conveniat.

Hactenus de Methodo Amici mei generali; nil amplius jam reſtat, præter Demonſtrationem, cum Bernoullius id petat, quibus modis Lineæ Logarithmicæ problemati ſatisfaciant; adjungam autem Cycloidis quoque in eodem problemate uſum. Et primum quod ad Cycloidem ſpectat, expediam.

De Cycloide.




Sint *AB*, *CD* duæ lineæ rectæ perallelæ, quas *EF* ad perpendiculum ſecet. In diametrum *EF* deſcribatur ſemicirculus *EGF* & eo ſemicirculo deſcribatur ſemicyclois *FH*. Jam ſi alia ſemicyclois *I L Q* priori ſimilis & æqualis ſed ſitu inverſo intra parallelas deſcribatur, & ſi contingentes *L M*, *LN* ducantur, dico angulum *M L N* rectum eſſe.

Sit *IOP* ſemicirculus, quo deſcribitur ſemicyclois *I Q*, ejus diameter *IP*; ducatur *LGO*, lineis *AB*, *CD* parallela, & jungantur *FG*, *GE*, *IO*. Erit deinde contingens *LM* parallela rectæ *FG*, & contingens *LN* parallela rectæ *IO*, quæ parallela eſt rectæ *EG*. Angulus igitur *MLN* = eſt angulo *FGE* recto, ideoque angulus *MLN* rectus eſt. *Q. E. D.*

De


De Caſu primo Linearum Logarithmicarum.



Sit *AB* linea Logarithmica aſymptoton habens *CD*; eique ordinatim applicetur *EF*, quæ ſit ſubtangenti logarithmicæ æqualis. Ad lineam rectam *EF* & ad quodcunque in ea punctum *I* conſtituatur alia linea logarithmica *GHI* priori ſimilis & æqualis, ſed ſitu inverſo diſpoſita. Deinde ſi contingentes *HL*, *HM* ducantur, dico angulum *LHM* angulo *CEF* eſſe æqualem.

Ordinatim applicetur *HN*, fiat *EO*=*EN*, ordinatim applicetur *OP*, & ducatur contingens *PQ*. Puncta *P* & *H* æqualiter diſtant a recta *EI*, unde punctum *P* in curva *AB* puncto *H* in curva *GI* reſpondet, & angulus *OPQ*= eſt angulo *NHM*, propterea quod curvæ *AB* & *GI* ſimiles ſunt & æquales. Quoniam vero curva *AB* eſt logarithmica & *EN*, *EO* æquales, erit *NH* x *OP*= *EF* q. Eſt autem *EF*=*NL*=*OQ*, unde ut *NH* : *EF* (*NL*) : : *EF* (*OQ*) : *OP*. cum igitur anguli *HNL*, *QOP* ſint æquales, triangula *HNL*, *QOP* ſunt ſimilia, & angulus *QPO*, qui æqualis eſt angulo *NHM*, æqualis quoque erit angulo *NLH*. Unde anguli *NHM* & *NLH* æquales erunt, & angulus *LHM* angulo *CNH* ſive angulo *CEF* æqualis *Q.E.D.*

De Caſu altero Linearum Logarithmicarum.



Sint *AB*, *CD* duæ lineæ rectæ parallelæ, intra quas quælibet alia linea recta *EF*, ducatur. Ad aſymptoton *AB* deſcribatur linea logarithmica *GH*, cujus ſubtangens ſit æqualis lineæ *EF*, & ordinatim applicatæ comprehendant cum aſymptoto angulos verſus contingentes parti æquales dimidiæ anguli *AEF*. Quibus poſitis ſi ad aſymptoton *CD* alia deſcribatur linea logarithmica *ILM* priori ſimilis & æqualis, & ſi ducantur contingentes *LN*, *LO*, dico angulum *OLN* angulo *BEF* eſſe æqualem.

Ducatur *NP* ut angulus *ANP* angulo *AEF* ſit æqualis, & erit *NP* = *EF*. Sumatur *NQ* lineæ *EF* ſive ſubtangenti lineæ logarithmicæ æqualis, jungaturque *QL*. Quoniam igitur *QL* punctum *Q* conjungit cum puncto contactus *L*, *QL* ordinatim ad aſymptoton *AB* applicabitur, adeoque angulus *LQN* verſus contingentem *LN* æqualis parti dimidiæ erit anguli *AEF* vel anguli *ANP*; eſt autem *NP*=*EF*=*NQ*, quoniam igitur *NP*, *NQ* ſunt æquales, & angulus *LQN* æqualis dimidio angulo *ANP*, recta *QL* producta tranſibit per *P* efficiens triangulum *PNQ* iſoſceles. Eadem ratione ſi ducatur *OS* ut angulus *COS* æqualis ſit angulo *AEF* erit *OS*=*EF*; ſi vero ſumatur *OR*=*EF*, ducaturque *RL*, ordinatim ea applicabitur ad aſymptoton *CD*, & producta tranſibit per *S*, propterea quod linea *IM* ſimilis eſt & æqualis lineæ *GH*. Erit autem angulus *PRL* (=angulo *LSQ*) = angulo *LQS*=angulo *NPQ*.

NPQ, unde erit angulus *LSQ* = angulo *NPQ*, & triangula *SLQ*, *PNQ* ſimilia ſunt, angulusque *SLQ*=angulo *PNQ*=angulo *BEF*. Eſt autem & *LS*=*LQ*, *OS*=*NQ*, item angulus *OSL* (=angulo *ORS*) =angulo *NQL*. Triangula igitur *OSL*, *NQL* æqualia ſunt, habentia baſes *OL*, *NL* æquales, & angulos *NLQ*, *OLS*, etiam æquales. auferatur communis angulus *NLS* & relinquetur angulus *OLN*=angulo *SLQ*=angulo *BEF*. Q. E. D.

Coroll. Quando *EF* ad *AB* perpendicularis eſt; adeoque & angulus *OLN* rectus, erit angulus *LQN* anguli recti pars dimidia. Dat. Londini d. 29 Jan. $17\frac{21}{22}$.

BOTANICK ESSAYS, &c.

i. e.

TENTAMINA BOTANICA, AUTORE PATRICK BLAIR, M. D. & Societatis Regiæ Membro.

Londini, apud Wilhelmum & Johannem Innys, 1720, 8.

Alph. 1 plag. 5 fig. æn. Tabb. 5.

Regiæ Societati Anglicæ ſpecimen eruditionis atque induſtriæ exhibiturus Clariſſimus Blair, de differenti plantarum ſexu publice diſſeruit, & cum diſcurſus hi non ſine applauſu fuerint excepti, calcar ſibi currenti addi facile paſſus eſt monentibusque obtemperans, hoc elucidare uberius argumentum in ſe ſuſcepit, unde præſens prognatus eſt tractatus. Idque munus impoſitum eo alacrius aggrediendum ipſi viſum eſt, quo majores fecit ſtudium Botanicum in Britannia paucis abhinc annis progreſſus, poſtquam ſcilicet D. Grew primus utrumque in plantis ſexum detexit, & Moriſon ſi non fundator, certe reſtaurator methodi easdem ſecundum cognationes & affinitates diſtribuendi extitit, prout in Præfatione teſtatur. Conſiderat igitur hoc in tractatu Autor doctiſſimus tam ea, quæ plantis ſeorſim competunt, quam quæ eis cum animalibus communia ſunt, qua opera ſua non ſolum tyrones inſtruere,

verum etiam illos, qui exactam Rei Botanicæ notitiam acquiſivere, ſalutaria ſe edocere poſſe, confiſus eſt. Quinque enim hic leguntur tentamina, quorum I Florum, II Fructuum naturam explicat, utpote quorum conſideratio non minus fundamentum conſtituit methodi in certas claſſes diſtribuendi plantas, quam ſexus explicationem illuſtrat, quin & modum demonſtrat, quo ſemina imprægnantur. Cognoſcitur hic, quæ ſit differentia inter piſtillum & ſtylum, inter calicem & periantheum, ac inter ſiliquam & capſulam ſeminalem. In tentamine III de methodis ipſis agitur. Poſtquam enim intra ſeculi ſpatium tam diverſæ præſcriptæ methodi, plantæ tam varie diſpoſitæ, earumque Autores & Inventores ſibi invicem non ſolum contrarii, ſed etiam maxime infenſi fuerunt, tantum abfuit ut hi Auditores melius inſtruxerint, ut potius ad ſuos errores ſequendum invitaverint; unde ſcientia hæc, per ſe innocens, mutuis altercationibus expoſita, ad interitum magis ruere quam ad altius faſtigium emergere viſa fuit. Cui malo oppoſiturus ſe Noſter, in originem & progreſſum methodorum inquirit, fundamentum earum exponit, omnes atque ſingulas, quæ a Moriſonio ad noſtra usque tempora fuerunt ſtabilitæ, breviter examinat, diverſasque plantarum diſtributiones ita explicat, ut demonſtret, quam regulariter vel irregulariter quodvis genus vel particularis ſpecies reſpectu ſuarum notarum characteriſticarum vel diſtinctivarum fuerit diſpoſita. Exiſtimat vero Clariſſimus Autor, illas plantæ partes quæ ſunt eſſentiales, nec variis mutationibus ſubjectæ, characterem conſtituere debere, cum ubivis ſint obviæ, ac præſervationi pariter ac ſpeciei conſervationi inſerviant, quales ſunt flores, qui ut plurimum adſunt, fructus, qui præſervationi, & ſemina, quæ ſpeciei conſervationi præſunt. Cum Turnefortio itaque ſtatuit, duas tresve partes, ſi conveniant, genus conſtituere, florem vero atque fructum, aut alterutrum, ſi cum una aut duabus aliis plantæ partibus conjungatur, characterem formare. In tentamine IV tractatur de generatione plantarum, ubi docetur, æque neceſſariam eſſe ſexus diſparitatem in plantis ac in animalibus

Digitized by Google

malibus, & cum ſemina in ſe ipſa agere non poſſint, accipere hæc aliunde & ab extra quasdam ſubtiles particulas, a quibus ſubſtantia eorum craſſior actuetur, locoque & tempore opportuno diſponatur, ut ſe explicare & vegetari queat. Facta hinc comparatione ſingularum partium in flore cum partibus generationi in animalibus dicatis, demum concluditur: farinam in ſe continere materiam ſeminalem virilem, ſiquidem, etiamſi quandoque omnes reliquæ, ex quibus flos componitur, partes deficiant, apices tamen nunquam deſiderantur, verum ſemper farina repleti conſpiciuntur, antequam petala expandantur, paratique ſint his ſuum pulverem communicandi; nec ſemina prius turgeſcant, vel augmententur, donec pulvis fuerit immiſſus. Rejecta autem Morlandi opinione, qui exiſtimavit farinam eſſe congeriem plantarum ſeminalium, quarum una intret vaſculum ſeminale, ibidemque in ſemen abeat, illis ſubſcribit, qui farinam ſuper piſtillum, vaſculum ſeminale vel ſemen delapſum impregnare ſemen putant mediantibus ſubtilibus quibusdam particulis, quæ intrant in ſemen ipſum, hocque in capſula ſeminali vel utero actuant. Qua occaſione in ſententiam Leeuwenhœkii de animalium generatione inquirit, qui vermes ſpermaticos ovulum ingredi ibique nutriri & in fœtum faceſſere putavit. Concludit vero, cum farinæ ſubſtantia in plantæ embryonem tranſire haud queat, nec poſſibile eſſe, ut verniculi ovum fœmininum ingredi poſſint; & cum nullum animal absque utrorumque ſexuum concurſu oriatur, nec vermes ſpermaticos niſi a mare & fœmina ſuæ ſpeciei produci; nec adeo determinatum ſervari poſſe numerum fœtuum in quibusdam animalibus, ſi conceptio contingat ab uno horum vermium in ovulum fortuito ingreſſo; nec tam exilem vermem tantas turbas, tamque magnam alterationem in corpore fœminino patrare poſſe; & denique fœtum temperiei & affectuum matris adeo frequenter non poſſe fieri participem, ſi a patre ſolummodo ipſius ſubſtantia fuerit communicata. Ultimum tentamen concernit nutritionem plantarum, ubi ante omnia doctrina de foliis ſeminalibus ante vegetationem in ſemine exiſtentibus, quæ Joſephum de Aromatariis agnoſcunt Inventorem, expli-

Digitized by Google

explicatur, & neglectis phyſicis ac chymicis de attractione, ſuctione, fermentatione, concoctione, digeſtione &c. terminis ſola configuratio particularum & pororum pro fundamento ponitur. Hinc demonſtratur, plantas per extremitates fibrarum radicalium, æque ac animalia per os, nutriri; plantam per continuam particularum nutritivarum ſucceſſionem ita extendi, ut, ſi ad extremitatem usque hæ appulerint, non omnes exhalent vel difflentur, ſed pleræque earum ad radicem remeent, indeque iterum aſcendentes circulationem conſtituant. Demonſtratur inſimul, carnoſas ac parenchymaticas radices in quibusdam vegetabilibus, & fructus in aliis, particularem ſuſtinere circulationem, ab altera diverſam, haud ſecus ac in quibusdam corporis animalis partibus contingere videmus. Comparatur etiam cortex, lignum, & medulla arborum cum cute, oſſibus & medulla animalium, earumque perennis & annuæ ſuperficiei idea ſubminiſtratur, qua conſpicuum fit, reciproce fieri hanc nutritionem, ita ut, quando ſuperficies annua extenditur & creſcit, particulis nutritivis perennis tranſitum concedat absque ſui augmentatione, nutriatur vero, quamprimum illa fuerit emortua; arboremque, ſi in longitudinem creſcat, in latitudine creſcere ceſſare. Explanatur pariter reciprocus motus ſucci nutritii inter radicem & ſummitatem; ſiquidem eo ipſo, dum vernales & autumnales ſurculi vere & autumno protruduntur, fibræ radicis ſucco recipiendo & ad ſuperiora derivando tantum inſerviunt; quamprimum autem illi debitam longitudinem acquiſiverunt, hæ protenduntur, & cortex cum ligno augmentum capit, ut tempore ſolſtitii æſtivi & hyemalis. Poris externis & tubulis plantarum contrarius, quam qualis hactenus aſſertus fuit, uſus adſcribitur. Oſtenditur enim, tracheas Malpiphii & vaſcula aerea D. Grew effluxui, non influxui particularum inſervire, id eſt, inſenſibilis transſpiratio in plantis, ut in animalibus, ſtatuitur. Tandem probatur, nullam plantam nutriri, niſi mediante terra. Specialia magis adducere ex elegantiſſimo hoc tractatu brevitatis, cui ſtudemus, gratia merito ſuperſedemus, L. B. ad ipſum opus ablegantes.

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII Sect. II.

HISTOIRE DE FRANCE,

hoc eſt,

HISTORIA GALLIÆ.

Tomi III.

Pariſiis, apud Ioan. Mariettum, 1720, 12 maj.
Alph. 2 plag. 19.

ACHilles Harlæus, Procurator generalis, ac deinceps primus Parliamenti Pariſienſis Præſes, cum filium recte & ad uſum vitæ vellet inſtitui in hiſtoria Galliæ, ipſe animo concepit methodum, ſecundum quam filius eſſet erudiendus. Voluit ſcilicet, ut omiſſis minoris momenti rebus, potiora facta exponerentur, eaq; e ſcriptoribus ſumma fide dignis depromta. Cum vero per graviora negotia ipſi haud liceret operi huic admovere manum, ac tale corpus Gallicæ hiſtoriæ componere, quale animo finxerat, feliciter incidit in Chalonium quendam, Congregationis Oratorii presbyterum, qui præfectus inſtitutioni filii delineatam ab Harlæo hiſtoriam Galliæ elaboravit, ſimulque ſuis locis annotavit originem conſuetudinum Gallicarum, dignitatum, Parliamentorum, Academiarum, & ordinum, cum religioſorum, tum militarium. Non quidem ad finem perduxit opus propoſitum Chalonius ille, imo non ita longe proceſſerat ab initio. Quicquid tamen elaboratum reliquit, id, ſervatum adhuc in bibliotheca Harlæana, hic fideliter

exhibetur, ſuppletis cæteris a viro quopiam docto, methodi Chalonianæ tenaciſſimo.

Hæc e præfatione docere debuimus lectores, quibus hiſtoricum hocce opus exhibemus, quod quidem deprehendimus magna diligentia conſcriptum eſſe, magnaque fide, nec minori judicio. Nec ſuccenſemus Autori, quod falſum operi ſuo impoſuit titulum, promittens ſolius Galliæ hiſtoriam, cum revera deſcribat maxime memorabilia ex hiſtoria totius univerſi cum civili, tum eccleſiaſtica, tum & literaria, adeoque inter ſcriptores hiſtoriæ univerſalis non immerito referatur, etſi hiſtoriam Galliæ ſtudioſius pariter & copioſius pertractat. Cæterum cum tres in Tomos opus hoc diviſum ſit, *primo* deſcribuntur tempora a Pharamundo usque ad exceſſum Caroli V ſive Sapientis decurſa; *ſecundo*, quæ a Carolo VI usque ad miſerandum Henrici II exitum geſta ſunt, exponuntur; *tertio* denique hiſtoria rerum inde a regno Franciſci II usque ad mortem Ludovici XIII geſtarum exhibetur. Facile intelligimus, præter ea, quæ diximus, ſciendi cupidos eſſe lectores, quæ in hoc Opere occurrant ſingularia & in vulgaribus hiſtoricorum libellis minime obvia. Proinde potiora quædam continuo afferemus. Initio ſtatim Operis de *lege Salica* Autor diſputat. Olim, inquit, *Sala* ſignificabat arcem, ſedem viri principis, ac primores regni, itemque aulici ſupremi ordinis, vocabantur *Salii*. Cum igitur antiquiſſimi Reges Galliæ fines imperii ſui ſubinde extenderent, factum eſt, ut primariis ſuis aulicis exiguas terrarum devictarum portiones donarent, ea lege, ut hi ſibi præſto eſſent in bellis. Hac de cauſa ſucceſſione in has terras a Rege dono datas excluſæ fuerunt fœminæ, quippe ad militaria miniſteria ineptæ. Errant itaque, qui credunt, antiquiſſimis temporibus legem quandam Salicam exſtitiſſe, quæ mulieres excluderet a ſucceſſione in regnum. Leges enim illæ Salicæ ſubjectos tantum Regis obligabant, *Salios* dictos, non ipſos Reges: nec ullius legis de excludendis a regno fœminis unquam mentio facta eſt ante annum 1327, quo Philippus Valeſius repugnante Angliæ Rege factus eſt Rex Gallorum. Hæc Noſter. P. 10 indicat, hiſtoriam de columba ampullam ad Clodoveum inungendum afferente

Digitized by Google

ferente eſſe falſiſſimam fabulam. P. 12 Clodoveo illi duo tribuit maxima vitia, perfidiam & crudelitatem, quibus uſus ſit miniſtris, quotiescunque opus eſſet ad ſatiandam ambitionem: idque probat duobus exemplis inſignioribus, ac p. 15 miratur, hominem tam ſceleratum a nonnullis adſcribi in catalogum Sanctorum. P. 19 docet, olim Reges Galliæ propria autoritate creaſſe Epiſcopos, nec ea de re conſultum ab ipſis Papam fuiſſe. Pari modo p. 50 ſcribit, quondam Romani Pontificis electionem a ſolius Imperatoris voluntate & arbitrio pependiſſe. P. 24 hiſtoriam de triſti fato Beliſarii inter fabulas refert. Reginam Brunechildin, cujus patrocinium a nonnullis ſuſceptum eſſe non ignoramus, p. 46 docet fœminam fuiſſe ſceleratiſſimam, at ſimul ſummo ingenio maximoque animo præditam. De ejus tamen ſupplicio vulgatam narrationem non omni dubio carere, concedit. P. 60 notat morem monachorum, eos recipiendi in numerum Sanctorum, a quibus ampliſſimis affecti fuerunt beneficiis. Atque hanc ait eſſe cauſam, cur etiam Dagobertus I, Rex a ſanctitate remotus longiſſime, a quibusdam monaſterii S. Dionyſii ſodalibus relatus ſit inter Sanctos. Ejusdem generis eſt, quod p. 60 ſq. notat in hiſtoria Clodovei II ineptum hiſtoricorum illius ævi judicium. Illi enim duo ejus Regis facta enarrantes, quod nulla laude dignum eſt, id impenſe collaudant; alterum, quod quidem ſummam meretur laudem, traducunt pro ſcelere maximo. Scilicet, quod Rex ille imperio Epiſcopi Pariſini ſubduxit monaſterium S. Dionyſii, ob id eum vocant *principem DEO amabilem*. Quod vero exorta in regno atrociſſima fame miſericordia erga egenos cives victus aurea & argentea vaſa monaſterii S. Dionyſii impendit ad vitam eorum conſervandam, id improbant, eumque Deo graviſſimas ejus facti pœnas dediſſe fabulantur. Sic & p. 95 indignatur, Carolum Martellum poſt ſumma Eccleſiæ Chriſtianæ præſtita officia, (Autor enim ſibi perſuadet, ſi is non fuiſſet, facile evenire potuiſſe, ut omnis Europa religionem Muhammedanam recipere cogeretur,) tamen a ſacerdotibus judicatum eſſe, ſubiiſſe æternam damnationem, eosque ad id confirmandum lepidam effinxiſſe fabulam. Cenſet vero, hanc quoque fabulam eo fuiſſe

Digitized by Google

contextam conſilio, ut principes abſterrerentur, quo minus homines eccleſiaſticos auderent in ordinem redigere, nimiasque eorum divitias imminuere ac melioribus uſibus deſtinare. P. 101 ſq. falſum eſſe exiſtimat, quod Pipinum ex conſilio atque autoritate Papæ factum eſſe Regem Galliæ perhibetur, ac ſtatuit, ſolos Galliæ proceres, nemine extero in conſilium adhibito, id feciſſe, poſteaquam ſponte ſua Chilpericus abiiſſet in monaſterium. P. 144 in fabularum cenſum rejicit narrationem illam de Joanna Papiſſa, ejusque falſitatem probat e ſilentio hiſtoricorum illius & ſequentis ſæculi. Occaſionem huic fabulæ dediſſe credit muliebrem facilitatem Papæ Joannis VIII, qui vixit imperante Carolo Calvo, & in gratiam Baſilii, Conſtantinopolitani Imperatoris, non obſtante generali Concilio, Photium reſtituit in ſedem patriarchalem. P. 193 obſervat, Papas, antea ſemper ſubjectos Imperatoris imperio, ſub Henrico IV Imp. primum cœpiſſe frenos mordere, ſeque feliciter tandem ſubduxiſſe eorum imperio, imo & jus ſibi arrogaſſe inveſtiendi Epiſcopos in regnis omnibus. P. 213 pro fabula rejicit vulgarem narrationem de ortu ordinis Carthuſiani. P. 243 docet, Rigordum, Philippi Auguſti Capellanum & Hiſtoricum, primum omnium in hiſtoria ſua Regi Galliæ tribuere titulum *Chriſtianiſſimi*; ipſosque Galliæ Reges iſtum titulum tum demum ſuis adſcripſiſſe nominibus, cum Papa Pius II eum dediſſet titulum regi Carolo II. P. 388 Ludovici S. expeditiones cruciatas, quas Galliæ regno pernicioſas fuiſſe judicat, hac ratione excuſat, quod Rex ille ſuccubuerit creberrimis Paparum exhortationibus, quodque ſecutus ſit exempla aliorum ſui ævi Principum communi quodam furore actorum ad oppugnandas in Oriente nationes a Chriſti cultu alienas. P. 440 dubitari a quibusdam docet, an Philippus Pulcher epiſtolam illam ad Papam Bonifacium VIII miſerit, cujus hoc eſt exordium: *Sciat maxima tua fatuitas*. Non enim id narrari a ſcriptoribus συγχρόνοις. Addit tamen, Papam iſtum ita ſe erga Regem geſſiſſe, tali ut reſponſo dignus eſſet. P. 450 ſqq. enarrat excidium ordinis Templariorum, nec obſcure ſentit, & Regem & Papam feciſſe injuſtiſſime.

Tomo II p. 93 refert, de puella Aurelianenſi, quam vocant,

cant, jam ipſo illo tempore, quo tantas ea res geſſit, ſuſpicatos fuiſſe prudentiores, eam a Comite *de Dunois* ſubornatam fuiſſe, ut comœdiam illam ſe auſpice ageret toti Galliæ ſalutarem. P. 214 ſq. deſcribit, quanta ſuperſtitio Ludovicum XI ſub exitum vitæ ceperit, quantamque mercedem Medico perſolverit, a quo vitam ſibi prolongari poſſe credebat. P. 256 vitam minime ſanctam Papæ Alexandri VI deſcribit. Ac p. 293 judicat, Julium II in tota Europa bellum inflammaſſe, ac deteſtabilem ſui memoriam reliquiſſe. P. 299 liberrimo ſtylo exponit Franciſci I & virtutes & vitia. Ac p. 317 non ſine indignatione deſcribit e MS. quodam monumento indignam Rege humilitatem, quam Papæ Rex ille in Colloquio Bononienſi præſtitit. Eodem loco docet, quantopere tum Rex illuſus fuerit a Papa, ſimplicitatem Regis in commoda ſua convertente. P. 329 ſq. Caroli V Imp. characterem deſcribit, judicans, eum aptiſſimo ad regnandum ingenio præditum fuiſſe, ſumma valuiſſe prudentia ſummaque vigilantia, ſagacem fuiſſe & diſſimulandi peritum, ſummum præterea amorem præ ſe tuliſſe erga juſtitiam ac religionem, ſed revera omnia menſum eſſe commodis ſuis, & ambitioni ſuæ ſoli paruiſſe. Ejuſdem Imperatoris p. 387 notat imprudentiam, qui Franciſcum I e cuſtodia prius dimiſerit, quam is impleviſſet conditiones ſibi præſcriptas.

Tomo III p. 28 de famoſa illa Regina, Catharina Medicea, ſentit, eam parum religionis habuiſſe, ſoli ſuæ ambitioni intentam. P. 77 Papam Pium V (quem non ita pridem Sanctis inſertum a Pontifice fuiſſe, ipſe meminit,) ſcribit fuiſſe hominem omnibus vitiis refertum, quibus laborare ſolent ſuperſtitioſi monachi, ac rurſus omnibus carentem boni Papæ virtutibus. Pariſienſem illam lanienam ita deſcribit, ut facile appareat, autorem eam toto pectore exſecrari. Imo p. 121 dicit, omnes Europæ Principes, Papa & Rege Hiſpaniæ exceptis, deteſtatos eſſe hoc facinus tam horrendæ crudelitatis, ut ſimile exemplum nulla ne barbariſſimarum quidem gentium hiſtoria habeat.

HISTOIRE DES DEMELEZ DU PAPE BONIFACE VIII avec Philippe le Bel, Roi de France.

h. e.

ADRIANI BAILLETI, BIBLIOTHECARII *Lamoniani, Hiſtoria diſcordiarum inter Bonifacium VIII P. R. & Philippum Pulchrum Galliarum Regem coortarum. Editio ſecunda.*

Pariſiis, apud Franciſcum Barois, 1718, 12 maj. Plag. 16.

DIſſidia & odia, quæ Bonifacius VIII Pontifex cum Galliarum Rege Philippo, quem Annales Pulchrum appellant, exercuit, non facile quenquam latent; qui vero ordine, copioſe, & ad veterum chartarum fidem ea deſcripſerit, ante noſtrum Bailletum inventus eſt nemo, ut adeo bonam gratiam ab omnibus hiſtoriarum ſtudioſis inierit pius, quicunque ille eſt, poſtumi libri editor. Prodiit equidem anno ſuperioris ſeculi XIV quædam hujus certaminis hiſtoria ex muſeo *Franciſci Pithœi*, & eodem fere tempore *Simon Vigor*, Conſiliarius Regius, edita actorum publicorum eo pertinentium Sylloge operam perquam utilem Reip. litterariæ navavit, quod inſtitutum annis poſt quadraginta uberius & plenius exſecutus eſt *Puteanus*, Conſiliarius & Bibliothecarius Regius, brevi etiam rerum ea tempeſtate geſtarum narratione præfixa, ut taceamus *Richerii* diligentiam, qui hujus contentionis hiſtoriam quinque libris ſcripſit, partem majoris operis, quod animo agitabat, Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, futuram. Tantæ rerum ſcribendarum farragini deerat adhuc hiſtoricus, cum Bailletus ſolita diligentia animum eo applicaret, quam provinciam eo lubentius ſuſcipiebat, quod paſſim, inprimis in Manuſcriptis Briennianis, inveniret monumenta publica, quæ illos diligentiſſimos Viros latuerant, ad integritatem autem ſuæ narrationis maxime pertinebant, ea fini etiam calci operis adjecta. Tardius ad nos allatus eſt liber ex Galliis, ſed hoc nihil vetat, nonnulla dicere de excellenti ingenii fœtu, quem & argumenti dignitas, & ſcriptoris fides diligentiaque commendant. Noſtrum etiam officium id flagitat, cui, ſi paucis velimus ſatisfacere, dici poterat, inſtituta

in

Digitized by Google

in proœmio diſſidiorum Bonifacii cum Philippo R. cum litibus, quæ Ludovico XIV cum Innocentio XI interceſſerunt, comparatione, priori parte tradi, quæ ſedente Bonifacio, geſta ſunt, poſteriori explicari, quid ſub Benedicto XI & Clemente V contigerit, quem iſta odia in Concilio Viennenſi exſtinxiſſe ſatis conſtat. Sed lubet preſſius paulo ſequi Autorem, per ſumma licet veſtigia eundo.

Bonifacius VIII ad Pontificatum pervenit anno 1294; qui- p. 17.
bus artibus, nunc nihil attinet dicere, eo certo animo, ut tandem
Romani Epiſcopi dominatum in Reges ac Principes in tuto &
aprico collocaret. Confligebant inter ſe bello Philippus & Edu-
ardus, ille Galliarum, hic Angliæ Rex, cui ſe arbitrum ingerebat 20.
Pontifex ſub Benedicti Gaetani nomine, quod ante acceptam
tiaram geſſerat, & privati inſtar, cum Bonifacium VIII Pon-
tificem in cauſa ad Eccleſiam nihil pertinente reſpuerent Reges.
Neque tamen ſatis ab eo celari poterat animus ſummis Prin- 25.
cipibus infenſus, decretali Epiſtola: *Clericis Laicos*, promul-
gata, qua & exigentibus tributa de bonis Eccleſiaſticis & ſol-
ventibus graviſſime minabatur: quod cum ad ſe imprimis
pertinere crederet Philippus, iſtam injuriam duplici edicto, 27.
de peregrinis mercatoribus intra regni fines non admittendis,
& de pecunia, gemmis, equis, annona, armis non exportandis
ultus eſt, quo fiebat, ut Pontifici etiam nervi rerum gerenda-
rum, qua eos ex Galliis petere ſolet, ſucciderentur. Hoc omni-
um diſcordiarum eſt initium, quæ per aliquod tempus igni-
culorum inſtar cineri ſuppoſitorum latuerunt, donec anno
fere Jubilæo 1300 in flammam erumperent. Læſum ſe crede-
bat Rex partim iniquo Pontificis arbitrio anno 1298 27 Jun. 59.
pronunciato, quo Angliæ Regi & Flandriæ Comiti manifeſte
favebat, partim artibus clandeſtinis, quibus Alberti Auſtriaci
in Romanorum Regem electionem adjuvarat, cum antea Re- 62.
gis Fratri Carolo Valeſio ejus faſtigii potiundi ſpem dolo
malo injeciſſet. Quare Rex & Columnas, quorum fortunas in- 64.
ſigniter afflixerat Bonifacius, in ſuam recipiebat tutelam, & E-
piſcoporum Laudunenſis & Pictavienſis, quibus ſacris erat inter-
dictum, reditus, ſede quaſi vacante, faciebat ſuos, cum Al-
berto

Digitized by Google

berto etiam Auſtriaco opportuna jungebat conſilia, quod tam
p. 69. male habuit Pontificem, ut non modo Alberti electionem di-
70. ceret nullam, ſed anno Jubilæo Romæ in illo Orbis Theatro
inſigni impudentia Imperatorio Pontificioque habitu alternis
diebus ornatus in publicum prodiret, ſibique duos Petri gladi-
os, regiam ſcilicet ſacramque poteſtatem, ſoli commendatos
72. eſſe jactaret. Admonuerunt eum modeſtiæ Legati a Philippo
miſſi, quos inter princeps fuit Wilhelmus Negaretius, Vir il-
luſtris & prudens, & in Regis ſui juribus defendendis erectus
77. & acer, cujus liberrimis moribus cum offenderetur Bonifacius,
Bernardum Epiſcopum Apamienſem hominem ſeditioſum ab-
legavit in Gallias, Regi primum moleſtum, mox in Occitania
odia in Regem ſpargentem, ut e re publica videretur Philippo,
turbarum & tumultuum auctorem cuſtodiæ ſui Metropolita-
ni, Narbonenſis Archiepiſcopi mandari. Hanc Regis, ut Ro-
manæ Curiæ videbatur, audaciam, Epiſtola decretali non una
94. comprimere annitebatur Pontifex, quas inter eminet brevis
illa ſed inſignis anni 1301 5 die hoc verborum initio: *Boni-
facius Philippo Francorum Regi: ſcire te volumus, quod in ſpi-*
109. *ritualibus & temporalibus nobis ſubes &c.* Sed ille nihil ter-
ritus & prius illud edictum de pecunia non exportanda reno-
vavit, & novum de conſervando *Regalium* Jure condidit; ma-
jorem Pontificis Epiſtolam: *Auſculta fili*, publice comburi
curavit, ad illam vero brevem, cujus modo meminimus, majoris
112. epitomen, literis acerbiſſimis reſpondit, ita orſus: *Philippus
Dei Gratia Francorum Rex Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pon-
tifice ſalutem modicam ſeu nullam. Sciat maxima Tua fatu-*
90. *itas in temporalibus nos alicui non ſubeſſe.* &c. Evocaverat
Pontifex Clerum Gallicanum Romam, cui ut obviam iret Phi-
114. lippus, A. 1362 Status Regni Pariſios convocabat, qui jurium
124. regiorum ſtudioſiſſimi multis legationibus literisque cum ad
Pontificem tum ad Cardinales miſſis Bonifacium in viam redu-
cere annitebantur. Neque tamen impediri poterat, quo mi-
161. nus magna Prælatorum, Abbatum, Theologorumque pars
eosque inter Turonenſis, Burdegalenſis, Bituricenſis, & Au-
ſtienſis Archiepiſcopi, Epiſcopique triginta quinque Romam
ad

Digitized by Google

ad Synodum a Bonifacio in Calendas Novembres anni 1302 indictam proficiſcerentur, qui tamen iſtam imprudentiam dicam an nequitiam bonorum ſuorum ſequeſtratione luebant. In ipſa Synodo fulmen non unum in Regem Regiosque Miniſtros vibrabatur: quibus, ut paria quodammodo referrentur, Guilelmus Noyantius, Sigillorum Cuſtos, publice Bonifacium p. 169. hæreſeos, fraudium, ſcelerumque graviſſimorum accuſabat, Rex vero conditiones a Legato Pontificio, Cardinale, Monacho, 172. oblatas ſane iniquas conſtanter abnuebat, Nicolaum de Beneſracto, Archidiaconum Conſtantienſem (*Coutances*) novorum fulminum gerulum, antequam perferre poterat, carceri 185. mandabat, & cum nondum quicquam proficeret, a Pontifice 194. ad Concilium Generale, magno omnium regni ordinum & univerſitatum conſenſu, anno 1303 appellabat. Mittebat Rex ejus cogendi gratia legatos quaquaverſum, Nogaretium vero ad Pontificem, qui hoc nuntio accepto odii irarumque plenus Anagniam, quam patriam habuit, concedebat, illo in ſeceſſu & fulmina miſſurus, & alia graviora capturus conſilia. 204. Hæc anteveitit Nogaretii diligentia, qui inita cum Sarra 217. Columna & civium Anagnicenſium præcipuis factione, copiis nonnullis ſtipatus urbem intrabat, Pontificem in ſua domo obſidebat, mox capiebat, pretioſiſſima ſimul ſupellectile & theſauro pontificio a milite direptis. Multa in eo carcere gravia & indigna Bonifacius audiit & paſſus eſt, periiſſetque fame cuſtodum negligentia, niſi poſt tridui jejunium, triſte fatis & a neceſſitate imperatum, paupercula mulier panem & quatuor ova obtuliſſet, quibus eo lubentius veſcebatur, quod veneni ſuſpicione carebant. Conclamatum videbatur de Bonifacio, cum populus Anagnienſis, more vulgi aura magis 226. mutabilis, miſericordia civis ſui ejuſdemque ſummi paſtoris correptus, ſubito globum faceret, in milites Nogaretii & Columnæ irrueret, & cæſis, qui aſſiſtere volebant, reliquis fugatis, Pontificem carcere liberarent, felicem, ſi ſe ipſe graviſſimis mœroris vinculis liberare potuiſſet. Sed ita occupaverat animum ſuperbiſſimum dedecoris tanti imago, ut triſtitia paulatim in furorem verſa, in ſe ipſum ſævire inciperet, & paulo 230.

 poſt

Digitized by Google

poſt in iſta mentis alienatione A. 1303 11 Octobris diem obiret ſupremum canina morte, ſecundum vetus vaticinium, poſtquam in ſummo ſacrarum dignitatum culmine, quod vulpinis actibus obtinuerat, leonina ferocia eſſet verſatus.

p. 241. Succedebat Bonifacio VIII Benedictus XI, qui ante mitiſſimis epiſtolis Regem adortus eſt, quam perhonorifica legatione, ad primum factæ electionis nuntium decreta, ſummos honores ei poſſet gratulari, nec dubitandum eſt, novum Papam in plurimis mitiora conſilia amplexum fuiſſe, ſi per præmaturam mortem, qua anno 1304 7 Jul. extinctus eſt, id ei li-
261. cuiſſet. Cardinales, novi Pontificis creandi cauſa Peruſii collecti in unum, animis inter ſe diſſidebant; Itali Bonifacii memoriæ favebant, quam volebat damnatam Philippus Rex; Gallicani Columnarum cauſam amplectebantur, & Philippi partes ſequebantur; utrique de amico ſibi Pontifice acriter, adeoque incaſſum laborabant. Novem menſes a capta electione erant elapſi, cum tandem in has leges conſenſere: Itali tres e Gallicano Clero Pontificatus Candidatos nominarent, Galli ex his tribus unum eligerent. Erat inter hos nominatos Bertrandus, Archiepiſcopus Burdegalenſis, Regi Philippo infenſiſſimus, Bonifacio olim amiciſſimus, in quem Italorum favor eo nomine præ reliquis inclinabant. Et commodum Cardinali Pratenſi, Philippi Regis ſtudioſiſſimo, venit in mentem, ſuadere ſuo Principi, ut rem, quam vix ac ne vix quidem impedire poſſet, ſuum beneficium faceret. Obſecutus eſt Rex Cardinali, & per internuntios Burdegalenſi tiaram obtulit, qui rem inſperatam eo lætiore animo accepit. Acceptæ etiam condi-
264. tiones, 1 Regem in cauſa Bonifacii ſacris interdictis notatum, ampliori formula pronuntiaret liberum, 2 idem omnibus atque ſingulis Regi ſubjectis, Miniſtris, Sociis, & inprimis Columnenſibus contingeret, 3 decimas Regi in quinquennium concederet, 4 memoriam Bonifacii aboleret, 5 Cardinales Columnas in integrum reſtitueret. Sexto loco id faceret, quod Rex ſuo loco ac tempore eſſet ipſi indicaturus, Carolo nempe Valeſio, Regis Fratri, ut poſtea apparuit, Romanum Imperium conciliaret. Hæc pacta juramento firmata ſunt; quo facto Cardinales

nales Galli ad Regis ſui nutum Bertrandum Archiepiſcopum ſummum elegerunt Pontificem, Italis, qui antiqua illa odia noverant, noviſſime geſta ignorabant, omnium maxime plaudentibus. Stetit promiſſis Clemens V, quo nomine nunc vocari volebat, ſi caput quartum & ſextum excipias. Noluit, ut p. 276.
de poſteriori prius dicamus, mortuo Alberto Auſtriaco Germanorum vires in una gente jungi Gallorum opibus, & cum tempeſtive didiciſſet, ſexto loco hoc a ſe petendum eſſe, dum Pariſiis de iſto negotio deliberabant, feſtinata Henrici Lucenburgici ad id faſtigium commendatione tantam ſpem Regis fratri eripuit. Nec minus intererat Clementis, Bonifacium poſt 279.
mortem non damnari, quamvis ea, quæ cum Philippo egerat, ipſe improbaſſet. Cauſa hæc coram Clemente magnis partium 282.
ſtudiis acta eſt; Nogaretio & Gallis accuſantibus, Gaetanis & aliis Italis ſtrenue defendentibus; ſibi tandem rei arbitrium committi petiit Pontifex, quo facto Nogaretio aliisque e Gallis 304.
Anagniæ geſtorum fecit gratiam, Bonifacii vero memoriam ab omni hæreſeos aut alterius criminis nota liberam pronunciavit, quod & Regi Philippo in Concilio Viennenſi anno 1311 311.
perſuaſit, maxime cum duo nobiles Catalauni in iſta panegyri innocentiam Bonifacii duello, ſi ita liberet Gallis, ſe probaturos dicerent. In Concilio Bonifacii damnandi cauſa convocato de aliis rebus, puta, de extinguendis Templariis, de Terra ſancta recuperanda, de moribus emendandis, nonnullisque hæreſibus actum eſt. Anno 1314 & Clemens & Philippus Rex ad plures abierunt.

DE VITA FRANCISCI DE HARLAI, Rothomagenſis primum, deinde Pariſienſis Archiepiſcopi, Libri VI; Auctore LUDOVICO LE GENDRE, Rothomagenſi, eccleſiæ metropolitanæ Pariſienſis Canonico, Hiſtoriæ Franciæ Scriptore.

Pariſiis, typis Simonis Langlois, 1720, 4 maj.
Alph. 2 plag. 3.

NOvam Franciæ hiſtoriam, a celeberrimo Ludovico le Gendre conſcriptam, in Actis noſtris A. 1720 pag. 49 enarravimus. Iam vitam Franciſci Harlæi, ab ipſo compoſitam, prætérire nefas foret; præſertim cum ſæculo ſuperiore varias in theatro Galliæ perſonas ſtrenue ſatis ſuſtinuerit Harlæus; varia quoque operi huic paſſim inſpergantur, lectu non minus jucunda, quam ad hiſtoriam eccleſiaſticam & litterariam præcedentis ſæculi penitius inſpiciendam, ſcitu neceſſaria.

In præfatione quidem Autor, beneficia ab Harlæo in ſe collata prædicans, nihil ſe unquam in hoc commentario ſuo in ipſum amori dediſſe, veritati nihil detraxiſſe, nihil addidiſſe affirmat: ex ipſo tamen opere evidenter apparet, Harlæi virtutes ſæpius ab ipſo plus juſto eſſe elatas; vitia vere leviſſimo adumbrata penicillo, & nonnulla, quæ ab aliis perſtringuntur, (confer. Weismann. Introd. in memorab. eccleſ. hiſt. ſacr. N. T. part. poſter. p. 1023) alto prætermiſſa ſilentio; atque hac ratione illic addendo, hic detrahendo veritati, non tam veritatis, quam amoris rationem habitam eſſe. Sed noſtrum nunc eſt, ea, quæ in hoc opere continentur, qua decet, fide ac dexteritate exponere, & æquo ac rerum theologicarum perito lectori judicio relicto, primum ea, quæ ad Harlæum ipſum, tum, quæ ad alios, resque eccleſiaſticas & litterarias ſpectant, breviter recenſere.

Gentis Harlææ, ex comitatu Burgundiæ, in cujus oppido *Arlai* principatum tenuit, oriundæ, princeps fuit Joannes *de Harlai*, Pariſiis vigilum præfectus, A. 1461, cujus filius natu minor Ludovicus novem ſuſcepit filios, ex quibus tres tantum patres diſtinctæ exſtiterunt familiæ. Ex Chriſtophoro enim Toparcha *de Beaumont*, Harlæi, Bellomontii & Celii: ex Roberto Barone *de Sanci & Montglas*, Harlæi, Sancii & Montglaſii: ex Ludovico Domino *de Ceſi & de Champvallon* Harlæi, Ceſii & Chanvallonii orti ſunt. Ex hac Chanvalloniorum familia natus eſt Franciſcus *de Harlai*, Pariſiis 1629 d. 14 Aug. patre Achille, Marchione *de Breval* & *de Chanvallon*, matre Oudetta *de Vaudetar de Perſan*. Fratrem habuit unicum, regiorum exercituum promareſchallum, & ſorores quatuor, vi-

tæ

tæ monaſticæ addictas. Pater, qui bonarum literarum ſtudio delectatus, Annales Cornelii Taciti in Gallicum ſermonem transtulit, ſi minus eleganter, judice Autore noſtro, ſaltem apposite ad ipſius C. Taciti mentem, a fatidicis, filio huic natu minori magna portendi decora aſſeverantibus, incenſus, quantam potuit maximam in formando filioli ſui ingenio collocavit induſtriam. Ad magna ergo ſubeunda conamina ipſum præparaturus, anno ætatis 7 in ludum Pariſienſem Navarræum miſit, omnibus illis, quæ in puerilem ætatem cadunt, ſtudiis ſolerter imbuendum: ab arte tamen poetica, quam Ovidius jam ſtudium dixit inutile, cum ipſe Mœonides nullas opes reliquerit, eum ad hoc ſtudiorum genus alioquin propenſum, graviter revocavit: cumque anno ætatis 14 Philoſophorum ſcholas adiret, relictis phyſicæ reconditioris, qua delectabatur, latebris, ad doctrinam moralem, & ad illas maxime diſciplinæ hujus partes, quibus ad res gerendas animus inſtituitur, ſe applicare juſſit. In hiſce itaque ſtudiis probe verſatus Harlæus noſter, Politicorum Ariſtotelis partem aliquam in Gallicum convertit ſermonem, quos juveniles labores poſtea, Archiepiſcopus Pariſienſis factus, Vulcano tradidit: & diſputationem publicam de univerſa philoſophia tanto cum applauſu habuit, ut Cardinalis Richelius, Chanvalloniis licet non ſatis æquus, adoleſcentem videre & alloqui deſideraverit; quem cum docte, reverenter & ingenioſe ad ſingulas quæſtiones reſpondentem audiſſet, ſingulari aliquando eccleſiæ Gallicanæ & Regno ornamento fore prædixit. Triennio poſtea in litterarum ſacratiorum ſtudiis conſumto, publicum eruditionis theologicæ ſpecimen editurus, ad exemplum patrui ſui, Archiepiſcopi Rothomagenſis, qui in ſimili ætate adverſus Bajum diſputaverat, Janſenium omnium primus adortus eſt, Auguſtinum ſibi, non Janſenio, favere, ex ipſius Auguſtini verbis probaturus. Quo facto, patruo jam laudato cedente, & primariis Sorbonæ viris Reginæ Annæ Auſtriacæ, ſceptra tum gubernantis, aſſenſum impetrantibus, Abbas Gemeticenſis (vulgo *Jumieges*) declaratus; re tamen admodum anguſta uſus eſt, majore redituum parte a patruo retenta. Iis vero donis opti-

me inſtructus, quæ oratori eccleſiaſtico gratiam & famam conciliant, de ſuggeſtu quoties verba faceret, ſplendidiſſimum ſemper habuit auditorium. Cumque A. 1650 in Cleri Gallicani comitiis ſecundi ordinis viri eum, legatum Metropolis Rothomagenſis tum agentem, præſulem eligere vellent, prudenter obſtitit; Epiſcopalem dignitatem adverſus monachos regulares ſolerter defendit; & patrui ſui cauſam, qui, non obſtante ſenatus Rothomagenſis interdicto, concilium metropoleos habuerat, fortiter egit. Patruo deinde ipſum in adjutorem Archiepiſcopatus poſtulante, & cum hac via res non ſuccederet, præter ſpem atque opinionem Reginæ, Pontificatum abdicante, Archiepiſcopus Rothomagenſis renunciatus eſt, anno ætatis vigeſimo ſeptimo ineunte, & A. 1651 a Nuntio Apoſtolico præter morem apud Carthuſianos Pariſienſes eſt conſecratus. Anno 1652 d. 12 Jan. cauſam Mazarini coram Rege feliciter dixit, & menſe ſequente Rothomagum abiit, graviſſimum, quod ipſi demandatum erat, munus Archiepiſcopale
L. II. ſuſcepturus. Juſta deinde cum ſolviſſet patruo, A. 1653 ex vivis erepto, duobus conventibus Pariſinis, in cauſa Janſeniana habitis, nec non inaugurationi Ludovici XIV, A. 1654 d. 17 Jun. Remis celebratæ, interfuit; & A. 1655 Normanniæ Comitiis præfuit, quorum nomine inſignem ad Regem orationem habuit, typis deſcriptam. Contentione vero orta cum Mazarino & Epiſcopo Conſtantienſi, per biennium in diœceſi ſua exulare juſſus eſt, nec prius inde egredi debuit, quam quæ in Conſtantienſem alioſque ſuffraganeos ab ipſo edicta fuerant, ipſemet abrogaſſet. Famæ itaque ſuæ labefactatæ denuo inſerviturus, Pariſios ſe contulit, & in templo Minimorum ad Circum regium tota quadrageſima orationem ſacram habuit, atque Reginæ primum, deinde etiam Regis gratia ſibi reconciliata, Cleri Comitiis præfuit, eorumque nomine A. 1660 d. 24 Julii elegantiſſima oratione de pace ac matrimonio Regi Reginiſque gratulatus eſt, inque orationis præmium anno ſequente 1661 vitta cœrulea & dignitate Commendatoris ordinis Spiritus ſancti condecoratus. Imprimis oratione plurimum valuit, & non ſolum præmeditatus, ſed etiam ex tempore ſæpi-

us verba fecit, & aliquando argumentum a Franciſcano quodam in Cathedra propoſitum, quod raucitate & deliquio correptus abſolvere non potuit, ſecundum omnes partes egregie eſt perſecutus. A. 1668 Janſeniſtas, ut formulæ ab Alexandro VII propoſitæ ſubſcriberent, commovit, Antonium Arnaud in ſuas potiſſimum partes trahendo. In morbum vero implicitus, Medici inepte chirurgum agentis, & in venæ ſectione arteriam lædentis, imperitia pœne extinctus eſſet, niſi Pariſiis opportune advolaſſet vulnerarius peritisſimus, qui cicatricem obduxit. A. 1671 ſecunda poſt obitum Pereſixii die Archiepiſcopus Pariſienſis a Rege renunciatus, qui Verſaliis in regiis ædibus ipſi ex ſingulari gratia locum adſignavit, Richelii ac Mazarini veſtigia preſſurus, regni adminiſtri munus ambiit, &, cum id conſequi non poſſet, Cancellarii: Rex vero, ut precibus ipſius locum relinqueret, peculiare rerum eccleſiaſticarum judicium conſtituit, novumque tribunal in Archiepiſcopali palatio aperire juſſit. Cujus præſidium Harlæo cum demandatum eſſet, lites monachorum in Gallia examinandi poteſtate accepta, leges illis præſcribere, eosque partim ad priſtinam diſciplinam revocare, partim excitare potuit. Et laudi omnino ei ducitur, quod ipſo monente & pro cauſa eccleſiaſtica animoſe dicente, Rex, gravioribus pœnis conſtitutis, prohibuerit, ne nuptiæ coram Notario fierent, cum eo audaciæ nonnulli deveniſſent, ut matrimonii teſtem non alium aſciſcerent, quam tabularium. A. 1673 Ducis & Paris Franciæ dignitate ſplendidior factus, breviarium Pariſienſe emendare ac corrigere non dubitavit, a Clero quidem donatus, ſed variis ſimul convitiis expoſitus. Ad colloquia vero de re morali habenda cum inſtituto prorſus laudabili animum applicuiſſet, ſtudium & occaſio Calvinianæ, uti Autor loquitur, hæreſeos exſtirpandæ eadem abrupit, ubi Harlæi conſilia & molimina ſummis elogiis extolluntur. Neque minus Innocentio XI ſæpius ſe oppoſuit, a cujus inſultu ut Galliam ſartam tectamque præſtaret, de damnis nationi Gallicæ illatis & inferendis etiam ad concilium generale appellavit. Cardinalem quidem eo jam tempore ipſum Rex deſtinaverat, quo Wilhelmum Principem de Fürſtenberg Cardinalitia purpura

L. III.
L. IV.
L. V.

pura diſcrimini mortis eripere debuit. Sed quanquam Rex A. 1690 d. 10 Martii publice eum Cardinalem deſignaverat, citius diem obiit ſupremum, quam hac quoque dignitate ornari potuit. Etenim cum in comitiis A. 1695 nimiæ in Regem propenſionis inſimularetur, rumore hoc, ac præſulum nonnullorum, mentem cum ſenio ei defluxiſſe inſuſurrantium, ſermone fractus ac perturbatus, alvi profluvio, quod ex eſu peponis, glacie refrigerati, ad ægritudinem acceſſerat, a Medico imprudenter cohibito, quarto poſt die apoplexia, qua dudum jam laboraverat, correptus, remediis tardius adhibitis, d. 6 Auguſti
L. VI. in Villa *de Conſlans* animam efflavit. Quo victu cultuque delectatus, quibusque ingenii animique dotibus inſtructus fuerit, ab Autore etiam prolixe enarratur, & inter ſingularia refertur, quod litem de autore libri de imitatione Chriſti, inter Benedictinos & Canonicos regulares agitatam, opera acutiſſimorum criticorum adhibita, inquiſiverit quidem, attamen dirimere auſus non ſit, eamque in medio reliquerit: quod editionem operum Auguſtini a Benedictinis adornatam promoverit, & omnia impedimenta removerit ac correxerit: quod Theologum quendam, comœdias defendentem, in operibus Bourſautii, mulctaverit, & ad recantandum coegerit: quod novam Dupinii Bibliothecam eccleſiaſticam proſcripſerit, eumque ad palinodiam reduxerit: quod denique tres libros myſticos, nempe orationis mentalis analyſin per Franciſcum *de la Combe; Moyen court & facile de faire oraiſon*, & *Cantique des Cantiques de Salomon interpreté ſelon le ſens myſtique*, edicto A. 1694 promulgato damnaverit. Cæterum plurima in hoc opere larga manu inſperſa ſunt hiſtorica & litteraria, paucis adhuc delibanda. Et ſane non ſolum plurimorum ordinum monachorum origines, mutationes liteſque heic accurate deſcriptas invenies, e. g. Norbertinorum p. 106, Præmonſtratenſium p. 107 ſq. Carmelitarum p. 113, Cluniacenſium p. 142, Congregationis ſancti Mauri p. 146, Cœleſtinorum p. 154, Ciſtercienſium p. 124, Fratrum S. Trinitatis de redemtione captivorum p. 224, Franciſcanorum p. 240, Minimorum p. 266 &c. &c. ſed etiam virorum, ſumma dignitate & eruditione per orbem lit-
teratum

teratum longe lateque celeberrimorum, acta & inſtituta, dotes laudesque ſtudioſe deſcribuntur. Dictis ut fidem faciamus, conferantur, quæ de Mazarino p 14, inter quem & Richelium comparatio inſtituitur p. 37, de Jacobo Chartono & Vincentio de Paul p. 15 & 35, de Jo. Franc. Paulo Gondio de Retz, Archiepiſcoporum Pariſienſium primo, quem alterum Catilinam fuiſſe dicit, p. 52, de Alexandro VII, ſuorum amantiſſimo, p. 66, de Antonio Arnaldo p. 74, de Tellerio & Colberto p. 78, de Harduino *de Perefix*, præceptore Regis, p. 85, de Ferrerio p. 94, de Cæſare *de Buſſ*, qui Doctrinariorum, ſive ſacerdotum, doctrinæ Chriſtianæ elementa pueros docentium, cœtum inſtituit, p. 100, de Bourdaloue, Bituricenſi, quo nullus unquam in Galliis auditus dicitur orator ſacer vel naturæ vel doctrinæ præſidiis paratior, p. 225, aliisque obſervantur. Sic etiam hiſtoria controverſiæ Janſenſiſticæ, nec non Regaliæ ortus, cauſa & progreſſio, & id genus alia momenta in hoc opere percenſentur & illuſtrantur, quæ exinde repetere atque excutere nimis prolixum foret.

Annexum eſt triplex Harlæi elogium ab eodem Autore conſcriptum, quorum *primum* vitam Harlæi Gallico idiomate in compendium exhibet & in hoc exſtirpatio Hugonotarum auguſtum Harlæi dicitur inſtitutum: *alterum* eſt oratio Panegyrica in memoriam Harlæi A. 1696 Gallico ſermone compoſita: *tertium* vero oratio Latina ejusdem argumenti A. 1698 habita, cenſu annuo ad Harlæi memoriam anniverſariam celebrandam a Paula *de Gondi* Duciſſa *de Lesdiguieres* liberaliter legato. In fine habetur ſequens epitaphium mox ab Harlæi morte ab Autore noſtro in lucem editum:

HIC JACET
Reverendiſſimus in Chriſto Pater,
FRANCISCUS ex antiqua atque illuſtri HARLÆORUM gente,
ROTHOMAGENSIS primum, deinde PARISIENSIS
ARCHIEPISCOPUS;
Dux & Par Franciæ; Regiorum Ordinum Commendator;
VIR MAGNI NOMINIS:
Forma egregia, vivido ſublimique ingenio:

I Præ-

præcellenti litterarum omnium notitia:
facundia ſupra fidem, eaque extemporanea:
morum ſuavitate & elegantia:
incredibili de omnibus bene merendi ſtudio:
exquiſitisſimo rerum uſu:
ſingulari in pertractandis negotiis ſolertia:
eximia in Regem fide:
amplificandæ religionis zelo
longe clariſſimus.
ROTHOMAGENSI ARCHIEPISCOPATU
annis undeviginti ſapientisſime adminiſtrato,
ad PARISIENSEM CATHEDRAM provectus eſt
a LUDOVICO XIV REGUM MAXIMO.
Tum
Regis voluntate, omniumque exiſtimatione,
Eccleſiæ Gallicanæ Arbiter,
Controverſias omnes, pacis amantisſimus,
aut compoſuit, aut dijudicavit.
Cleri comitiis novies, quater ſolus, præfuit.
A Chriſtianiſſimo Rege deſignatus eſt Cardinalis,
Purpuræ tamen caruit honoribus;
repentina quippe morte correptus, rebus humanis excesſit
ſeptuagenarius, minus octo diebus,
VIII Idus Aug. A.MDCXCV, Pontificatus Pariſienſis fere XXV.

ANIMADVERSIONES IN ÆQUATIONES differentiales ſecundi gradus, Autore Co. JACOBO RICCATO.

REductio æquationum differentialium ſecundi ordinis plerumque eſt adeo perplexa, atque involuta, ut Analyſtam minus attentum frequentiſſime eludat. Dum ſyntheticæ viæ inſiſtimus, & a primis fluxionibus ad altiorem gradum aſcendimus, cum aſſumatur tanquam conſtans vel nota differentia, vel nulla, eæ difficultates, de quibus ſermo erit, vix occurrunt; quæ tamen evitari nequeunt, ſi problema aliquod proponatur ſecunda

ſecunda elementa involvens & analytica methodo procedendum ſit. Infinitas dari formulas differentio-differentiales, ad quas pervenitur, nulla adhibita conſtante, nemo profecto ignorat: totidem quoque exhiberi poſſe, ad quas pervenire non conceditur, niſi conſtante in ſubſidium vocata, acutiores non latet Analyſtas: at quomodo ab invicem dignoſci queant, & qua ratione tractandæ ſint, non ita compertum neque obvium puto; cum tamen ſublimioris Geometriæ officium ſit inſpicere, quousque, & quibus in circumſtantiis expreſſiones iſtæ ſolutionem admittant.

Sit ex. gr. conſtruenda curva, in qua quælibet abſciſſæ dignitas ſe habeat directe ut ſecunda differentia ordinatæ, & inverſe ut ſimilis differentia ejusdem abſciſſæ, quæ curva exponitur per æquationem differentialem ſecundi ordinis $x^m ddx = ddy$: ajo nullam curvam inter poſſibiles quæſtioni ſatisfacere, ſi a primis ad ſecundas fluxiones fiat tranſitus, absque eo quod aliqua prima differentia uſurpetur pro conſtante, nec juvabit, ſalva æqualitate, æquationes ipſas quomodocunque alterare ſive per additionem terminorum æqualium, ſive per valorum ſubſtitutionem: at ex oppoſito, conſtante determinata, inveniuntur quidem curvæ problematis conditionem implentes, ſed numero infinitæ, & indole differentes; utpote quæ variantur ad arbitrariæ conſtantis mutationem. Poſteriores haſce expreſſiones, quæ ſub falſa ſpecie nobis imponunt, a veris, atque legitimis ſecernere, videtur eſſe profundioris indagationis; nihilominus certum, & quantum ſubjecta materia patitur, generale Criterium Mathematicis examinandum propono, quod ſaltem uſui erit in his omnibus caſibus, in quibus nos calculus integralis haud deſerit.

Porro ad formulas primis tantum differentiis implicitas revocantur æquationes omnes differentiales ſecundi gradus, ad quas, ſive aſſumta ſive non aſſumta conſtante, perventum eſt, & in quibus ſecundæ fluxiones cum primis, & cum finitis magnitudinibus quomodocunque miſcentur, dummodo alterutra ex indeterminatis fluentibus cum ſuis functionibus æquationem propoſitam non ingrediatur; quod dicendum pariter de illis

expreſſionibus, quæ ad hanc formam aliqua adhibita induſtria redigi poſſunt: cæterum in reliquis, quas progreſſus noſter non complectitur, ad aliquos caſus particulares ſe extendere poteſt Analyſtarum ſolertia; at ſi quis canonem generalem inveniret, is profecto eſſet mihi magnus Apollo. Interim conſideranda venit æquatio catholica (A) $zdx=dy$, in qua omnes formulæ differentiales primi gradus continentur; cum litera z deſignet magnitudinem utcunque datam per functiones coordinatarum x & y. Tranſeo ad altiores differentias, nulla aſſumta conſtante, proditque æquatio (B) $zddx+dzdx=ddy$, quæ, dum in eodem ſtatu permanet, nullo negotio integratur. Quod ſi ipſius forma immutetur, ſubrogatis valoribus ab expreſſione (A) mutuo acceptis, tunc infinitæ formulæ oriuntur, quæ majus artificium poſtulant. A ſimplicioribus exemplum peto: loco ipſius dx ſubſtituatur quantitas æqualis $dy:z$, & primus terminus æquationis (B) multiplicetur per dignitatem $z^m dx^m$, reliqui vero per æquivalentem dy^m, unde reſultet nova æquatio (D) $z^{m+1}dx^m ddx+dy^{m+1}dz:z=dy^m ddy$.

Hujusmodi formulæ expedite reducuntur ope alicujus conſtantis, quod ut fiat quantum fieri poteſt, generaliter deſigno pro conſtante fluxionem $dx:q$, eſt autem q magnitudo quomodocunque data per indeterminatas x, y, & conſtantes. Pono $dx:q=dp$, & cum ſit $dx:q$ conſtans, erit pariter conſtans dp. Hinc in æquatione $dx=qdp$ tranſeundo ad ſecundas differentias habebimus $ddx=dqdp$. Præterea ſtatuo $dy=udp$, & ſumtis ſecundis differentiis in eadem hypotheſi conſtantis dp, erit $ddy=dudp$. Subrogatis in expreſſione (D) valoribus ut ſupra determinatis, & inventis, orietur æquatio $z^{m+1}q^m dqdp^{m+1} + u^{m+1}dz:z\times dp^{m+1}=u^m du\, dp^{m+1}$, & dividendo per dp^{m+1}, $z^{m+1}q^m dq+u^{m+1}dz:z=u^m du$, & ſummando per regulas vulgares, non omiſſa conſtantis g additione, $g+q^{m+1}:\overline{m+1}=u^{m+1}:\overline{m+1\times z^{m+1}}$, quæ æquatio dat $u=z\times\overline{q^{m+1}+gm+g}^{\frac{1}{m+1}}$, & quia $dy=udp=udx:q$, opportuna adhibita ſubſtitutione, occurrit æquatio reducta (E) $dy=zdx:q\times\overline{q^{m+1}+gm+g}^{\frac{1}{m+1}}$.

Ex

Ex hoc operandi modo ſponte fluunt nonnulla conſectaria.

Si determinata magnitudine z, æquatio (E) conſtruatur ſaltem per quadraturas quando fieri poteſt, & indeterminatæ ſunt ſeparabiles, manifeſtum puto curvas infinitas noſtræ formulæ reſpondere, variatur enim natura curvæ, ob mutatam conſtantem $dx:q$, & quilibet valor quantitatis q novam ſemper æquationem localem, ſive algebraicam, ſive tranſcendentem ſubminiſtrat. 1.

Quanquam alterato valore magnitudinis q curvæ diverſæ originem ducant, certum tamen eſt in quacunque hypotheſi locum invenire inter ipſas curvam, ut ita loquar, principalem dependentem ab æquatione fundamentali (A) $zdx=dy$; nam ſi fiat æqualis nihilo conſtans g, quam addidimus integrando, ſtatim æquatio (E) tranſit in æquationem (A). In hoc caſu nihil refert, quænam differentia $dx:q$ accepta ſit pro conſtante, cum evaneſcente g, etiam quantitas q evaneſcat. 2.

Si æquatio (E) ulterius differentietur, non reſtituet expreſſionem (D) niſi duobus in caſibus; vel ponendo $g=o$, & procedendo ad ſecundas differentias nulla conſtante aſſumta, multiplicatis tamen terminis per quantitates æquivalentes, ut ſupra factum eſt; vel iterum differentiando, determinata prius pro conſtante fluxione $dx:q$. Utrumque patet relegendo analyſeos veſtigia. Cæterum æquatio (E) rurſus differentiata, neutra conditione impleta, formulam toto cœlo diverſam ab expreſſione (D) quam reducendam aſſumſimus, exhibet. 3.

Idem omnino contingit, ſumto pro conſtante elemento $dy:q$; nam operationem juxta traditam methodum inſtituendo, quam brevitati conſulens omitto, deveniemus ad æquationem reductam $dx=dy:q \times \overline{mg+g}^{\frac{1}{m+1}}$ reſpondentem noſtræ formulæ (D), in quo pariter notandum; quod facta conſtante ſuperaddita $g=o$, prodit expreſſio fundamentalis (A) $zdx=dy$. 4.

Denique ex dictis colligi poſſe videtur, quod propoſita nuda formula differentiali ſecundi gradus (D) $z^{m+1}dx^m ddx+dy^{m+1}dz:z=dy^m ddy$, putarem ex aſſe me ſatisfeciſſe Analyſtæ 5.

quantumvis moroſo, obſervando ad hanc expreſſionem perveniri potuiſſe, vel nulla conſtante aſſumta, quo in caſu locum invenit æquatio integralis $zdx = dy$, vel deſignando pro conſtantibus fluxiones $dx:q$; $dy:q$, & tunc ſummatorias eſſe $dy = zdx : q \times \overline{q^{m+1} + gm + g}^{\frac{1}{m+1}}$; $dx = dy : z - dy : q \times \overline{mg + g}^{\frac{1}{m+1}}$. Adderem, æquationem unicam $zdx = dy$, quæ differentiata absque conſtantis beneficio tranſit in æquationem (D) ab aliis infinitis artificio ſupra explicato diſtingui poſſe, quia ſemper eadem manet in quacunque conſtantis ſuppoſitione, reliquæ vero variata conſtante mutationi ſunt obnoxiæ.

Supereſt ut videamus, utrum in aliis expreſſionibus, & præcipue in æquatione (F) $x^m ddx = ddy$ reſpondente problemati ab initio propoſito aſſignatæ conditiones adimpleantur ad mutationem conſtantis, & quæ rurſus differentiata, nulla conſtante aſſumta formulam (F) ſaltem terminis additis, vel ſubductis, aut valoribus ſubrogatis, ſalva æqualitate reſtituat. Fiat igitur de more $dx = qdp$, eritque propter conſtantem dp. $ddx = dqdp$. Sit iterum $dy = udp$, hoc eſt $ddy = dudp$, & ſubſtituendo $x^m dqdp = dudp$, ſeu $x^m dq = du$, & integrando $\int x^m dq + g = u$; ſed $dy = udx : q$; ergo $dy = dx : q \times \int x^m dq + gdx : q$.

Hic noto, quod facta $g = 0$, & reducta ultima æquatione ad ſimpliciorem formam, videlicet $dy = \int x^m dq \times dx : q$, quilibet valor ipſius q æquationem, & curvam diverſam ſubminiſtrat, niſi fortaſſe poneretur exponens $m = 0$, quod aſſumtam hypotheſin evertit. Idem dicendum ſtatuta conſtante fluxione $dy:q$, ex quibus infero, fruſtra quæri æquationem differentialem primi ordinis, quæ propoſitum præſtare queat, & formulam (F) $x^m ddx = ddy$, ſine conſtantis auxilio, reſtituere; nam ſi daretur talis æquatio, prodere ſe deberet in quacunque conſtantis ſuppoſitione, cum tamen noſtra analyſis contrarium oſtendat.

Conſtat igitur problema propoſitum, nempe curvam invenire, in qua data dignitas abſciſſæ ſit ſemper directe ut ſecunda fluxio ordinatæ, & reciproce ut ſimilis fluxio ejusdem abſciſſæ, ſolvi non poſſe, ſi curva quæſita talem proprietatem obtinere debeat, ſumtis ſecundis differentiis nulla conſtante determinata,

&

Digitized by Google

& ex oppoſito curvas infinitas ſatisfacere, ſi modo una, modo altera conſtans uſurpanda ſit.

Non erit abs re aliud exemplum in medium afferre, & ſequentem formulam (G) $x^m ddx = zddx + dz^2 + zz dz^2$ examini ſubjicere. Hanc ſub canone noſtro non comprehendi, videtur primo aſpectu colligi ex eo, quod æquatio utramque indeterminatam x, z cum ſuis functionibus contineat: verum ſi fiat $zdz = dy$, nova expreſſio (H) $x^m ddx = ddy + dy^2$ ex hac ſubſtitutione reſultans juxta regulas ſupra explicatas ſolutionem non reſpuit.

Inprimis deſigno pro conſtante differentiam dx, unde fit $ddx = o$. Evaneſcente igitur termino $x^m ddx$, remanet $-ddy = dy^2$, vel $-ddy : dy = dy$, & integrando log. $dx : dy = y$, vel $dx : dy = 1^y$, hoc eſt $dx = 1^y dy$, & tandem $dx : x = dy$, quæ æquatio dat logarithmicam vulgarem. 1.

Statuo tanquam conſtantem alteram differentiam dy, in qua hypotheſi, exiſtente $ddy = o$, erit $x^m ddx = dy^2$. Pono $dx = sdy + cdy$, c conſtans eſt ſive affirmativa ſive negativa, & s variabilis determinanda. Transeo ad ſecundas differentias, & ſeſe offert æquatio $ddx = dsdy$. Hinc ſubſtituendo $x^m ds = dy$, ſed $dy = dx : \overline{s+c}$; igitur $sds + cds = x^{-m} dx$, & ſummando omiſſa inutili conſtantis g additione $ss : 2 + cs = x^{-m+1} : -\overline{m+1}$, ſeu $s + c = \sqrt{(2x^{-m+1} : -\overline{m+1}) + cc}$: atqui $dx = \overline{s+c} \times dy = dy \times \sqrt{(2x^{-m+1} : -\overline{m+1}) + cc}$; igitur $dx : \sqrt{2x^{-m+1} : -\overline{m+1} + cc} = dy$. 2.

Quæro utrum logarithmica inventa num. 1 adhibita conſtante dx, locum pariter habere poſſit in ſuppoſitione conſtantis dy num. 2 uſurpata. Facta conſtante $c = o$, periculum facio an forte quantitas $\sqrt{2x^{-m+1} : -\overline{m+1}}$ poſſit eſſe æqualis magnitudini x. Quoniam hinc inde quadrando $2x^{-m+1} : -\overline{m+1} = xx$; igitur $2x^{-m+1} = -\overline{m+1}\, xxx$, & cum eadem quantitas debeat eſſe, tam in coefficiente, quam in exponente binario æqualis, ſequitur ad æqualitatem non perveniri, niſi ponendo $-m+1 = 2$, quo in caſu determinatur valor exponentis $m = -1$. 3.

In

4. In formula (H) $x^m ddx = ddy + dy^2$, limitando, ut dictum eſt, valorem exponentis $m = -1$, tunc ad æquationem $x^{-1} ddx = ddy + dy^2$ pervenire poſſumus nulla aſſumta conſtante, ejusque ſummatoria in hac hypotheſi eſt æquatio differentialis ad logiſticam $dx : x = dy$; nam aſcendendo ad ſecundas differentias absque conſtantis auxilio, habebimus $ddx : x - dx^2 : xx = ddy$, ſed $dx^2 : xx = dy^2$; ergo $ddx : x = ddy + dy^2$.

5. Quod ſi valor ipſius m non ſit æqualis quantitati negativæ -1, ad expreſſionem (H) nullo modo pervenire conceditur, niſi aliqua fluxio tanquam conſtans determinetur.

6. Procedendo autem generaliter, ut ſupra factum eſt, repeto æquationem (H) $x^m ddx = ddy + dy^2$. Sumo pro conſtante elementum $dx : q = dp$, & ſtatuo pariter $dy = udp$, ut obtineam rurſus differentiando $ddx = dqdp$; $ddy = dudp$, & ſubſtituendo $x^m dqdp = dudp + dy^2 = dudp + udydp$, & dividendo per dp, $x^m dq = du + udy$; ſed $dy = udp = udx : q$; igitur $x^m dq = du + uudx : q$.

7. Methodus generaliter ſeparandi variabiles in hac expreſſione, etiamſi quantitas q detur quocunque modo per functiones ſolius ignotæ x, pro deſperata habenda eſt. Moneo tamen, quod ſi fiat exponens $m = -1$, ſimplicior indeterminatæ u valor prodit æqualis fractioni $q : x$; nam loco ipſius u hoc valore ſubrogato, omnes termini in æquatione ſe mutuo deſtruunt. Hinc collocata in æquatione ſubſidiaria $dy = adp = udx : q$ hoc valore, redit æquatio ad logarithmicam $dy = dx : x$, quæcunque fuerit conſtans aſſumta per magnitudinem $dx : q$ expreſſa.

Denique manifeſtum eſt, noſtrum operandi progreſſum in maximam difficultatem ſeparationis indeterminatarum poſtremo deſinere. Hanc ſpartam olim exornandam ſuſcepi, ſpecimenque aliquod in Diario Italico exhibui: ſed aut ego fallor, aut negotium tam ſubtile, tam arduum, ex quo potisſimum pendet calculi infinitorum optata perfectio, non niſi conjunctis viribus promovendum eſt. Ut igitur ad hanc inquiſitionem profundioris analyſis & Geometriæ cultores excitem, ſequens problema propono.

In

In ſuperiori formula $x^m dq = du + uudx : q$, dato ad libitum exponente m, ſtatuatur quantitas $q = x^n$. Peto qua ratione determinandi ſint valores alterius exponentis n, ut ſuccedat indeterminatarum ſeparatio, & æquationis conſtructio per ſolas quadraturas.

DANIELIS BERNOULLI, JOH. FIL. MED. Cand. Notata in præcedens ſchediaſma Ill. Co. Jacobi Riccati.

ANimadverſiones has in æquationes differentiales ſecundi gradus ab Autore acceptas Frater meus, Nic. Bernoulli, apud Italos *h. t.* agens, transmiſit ad Patrem, quem nomine Autoris rogavit, ut illas una cum ſcriptis ſuis Actis inſerendas Lipſiam deferri curaret. Perlectis, priusquam mitterentur, Riccatianis Animadverſionibus, ſequentia in illas mihi obſervata fuerunt.

Recte quidem aſſerit Ill. Riccatus, ſæpiſſime difficulter methodo, quam vocant *a priori*, integrari, cujus integratio *a poſteriori* nullo negotio exhiberi poteſt: ſed exemplum, quo illud probare contendit, ſcopo quem habet non ſat bene reſpondere videtur: Æquatio differentio-differentialis exempli loco allata hæc eſt (D) $z^{m+1} dx^m ddx + dy^{m+1} dz : z = dy^m ddy$, quam peractis nonnullis ſubſtitutionibus deduxit ex æquatione differentiali $zdx = dy$. Hæc enim æquatio (D) differentialis ſecundi gradus haud magno negotio *a priori* reducitur ad æquationem ſimpliciter differentialem, nimirum hoc modo: Æquatio (D) æquivalet huic $dx^m ddx = dy^m z^{-m-1} ddy - dy^{m+1} z^{-m-2} dz$, quæ poſitis $dy = q$ & $ddy = dq$ (ut integrabilitas terminorum eo melius pateſcat) degenerat in hanc $dx^m ddx = q^m z^{-m-1} dq - q^{m+1} z^{-m-2} dz$, quæ integrata dat $\frac{1}{m+1} dx^{m+1} = \frac{1}{m+1} q^{m+1} z^{-m-1} + \frac{c}{m+1} dr^{m+1}$ (per $\frac{c}{m+1} dr^{m+1}$ intelligo quantitatem conſtantem arbitrariam reliquis terminis homogeneam) & tandem reſubſtituto pro q valore dy habebitur æquatio dif-

ferentialis gradus primi $\frac{1}{m} dx^{m+1} = \frac{1}{m+1} dy^{m+1} z^{-m-1} + \frac{c}{m+1} dr^{m+1}$ ſeu $dx^{m+1} = dy^{m+1} z^{-m-1} + c\, dr^{m+1}$; poſito autem $c = 0$ poſteaque reducta æquatione habetur $zdx = dy$. *Q. E. F.* Errat quoque ex inadvertentia Ill. Riccatus, cum æquivalentem ſtatuit æquationem log. $dx : dy = y$ huic æquationi $dx : dy = 1^y$; illa enim eſt pro logarithmica, hæc pro linea recta, ſiquidem 1^y ſeu unitas ad quamcunque poteſtatem ſive determinatam ſive indeterminatam elevata nil niſi ipſam producit unitatem. Autor in animo haud dubie habuit dicere æquationem log. $dx : dy = y$ ſumtis logarithmorum numeris abire in hanc $dx : dy = n^y$, ubi per n non quidem ipſa unitas ſed talis intelligendus eſt numerus, cujus logarithmus eſt unitas, adeo ut Autori contigerit confundere unitatem cum numero, qui unitatem habet pro logarithmo, quem numerum deſigno per n. Poſtea transformat æquationem $dx : dy = n^y$ (loco 1^y ſubſtituam ſemper n^y) in hanc $dx = n^y dy$, ex qua colligit $dx : x = dy$, id quod verum quidem eſt, ſed patet Cl. Riccatum hanc conſequentiam formando ſupponere $x = n^y$, quæ jam eſt ipſiſſima æquatio pro logarithmica, uti dudum hoc oſtendit Parens meus, vid. Act. 1697 p. 132, unde liquet Riccatum delabi in petitionem principii, dum ſupponit æquationem eſſe pro logarithmica, quod id ipſum eſt, quod demonſtrare ſibi propoſuit.

Oſtendit tandem doctiſſ. Riccatus, quam neceſſaria ſit ſeparationis indeterminatarum doctrina, in qua excolenda multus fuit, ſtrenueque, ut audimus, etiamnum ſe exercet non ſine ſucceſſu egregio; quin & ſtimulos admovet Mathematicis, ut conjunctis viribus negotium hoc promovendum amplectantur. Hunc in finem iisdem problema proponit dignum a ſe habitum, cujus ſolutionem tentent. Perſcribit Frater meus, ſe illud ſolviſſe; ſed præter ipſum alii quoque exiſtunt ſolutores, ſolutionem enim eruerunt Pater & Patruelis Nic. Bernoulli, pariter ac egomet: eorum vero analyſes nondum vidi, excepta illa a Parente excogitata, quæ ratione operationis & in procedendi modo a mea diverſa eſt. Interim nos ſinguli ſua quisque methodo utentes in eosdem valores exponentis n incidimus, unde

ſuſpi-

Digitized by Google

ſuſpicor, alios non dari ſeparabilitatis caſus, quam quos per diverſas vias deteximus; ſolutionem addo, ne tamen aliis idem tentandi occaſionem adimam, illam characteribus occultis involvo, revelaturus ſignificationem, quando tempus poſtulaverit.

Solutio problematis ab Ill. Riccato propoſiti characteribus occultis involuta.

24 a, 6 b, 6 c, 8 d, 33 e, 5 f, 2 g, 4 h, 33 i, 6 l, 21 m, 26 n, 16 o, 8 p, 5 q, 17 r, 16 s, 25 t, 32 u, 5 x, 3 y, +, −, ——, ±, =, 4, 2, 1.

COMITIS JULII CAROLI DE FAGNANIS, Patritii Senogallienſis, Defenſio Art. VII Tom. XXXI Diarii Eruditorum Italiæ, qua occurritur reſponſioni a D. N. Bernoulli vulgatæ in Actis Eruditorum Lipſiæ Anno 1720 Menſe Julio, atque exhibetur ſolutio Problematis ad calculum integralem pertinentis.

CUm ab ingenio in privatis epiſtolis commendavi doctiſſimi Domini Nicolai Bernoulli primas oppoſitiones, meque ab eisdem nequaquam lædi affirmavi, non illo id egi conſilio, ut ipſis tanquam veris aſſentirer, publicisque ſcripturis quæ falſa eſſent refellendi eam mihi libertatem adimerem, qua unice uſus ſum, ut illorum emolumento proſpicerem, qui hujusmodi ſtudiis oblectantur. Et quamquis mea cum hoc Geometra agendi ratio minime culpanda ſit, præſertim ubi innoteſcant quæcunque nobiscum interceſſerunt, quæque hic nihil attinet commemorare, eandem tamen in poſtremis ſcripturis vehementer accuſat, verbisque utitur maxime abhorrentibus a mea loquendi circumſpectione in Art. VII Diarii XXXI. Liceret mihi non minus acri ſtylo certare, ſed quia argumentis occurrere præſtat quam verbis; ea, qua literariæ contentiones tractari ſolent, moderatione reſpondebo.

Breviori quidem Defenſione indigerem, ſi Domino Bernoulli libuiſſet aſſertiones meas juxta genuinum ipſarum ſenſum interpretari, meque ab onere dilucidius easdem explicandi liberare.

berare.

rare. Principio nunquam affirmavi ex binis hiſce æquationibus

$$(1)\ Xdy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{b\,ddx}{dx^2} + \frac{c\,ddy}{dxdy} + \frac{f\,dy}{ydx}.\ (2)\ dy : y^{m:n} = x^{t:n} dx : \left(\frac{n}{u}\int X x^{nt:n} dx + k\right)^{1:n}$$

ſecundam eſſe *ſolam*, & perfectam integralem primæ. Ajo alteram ab altera perfecte integrari, ſed nusquam enuntio hac unice via ad integrationem perfectam perveniri, vocando ſcilicet integrationem perfectam, quæ non involvit expreſſionem numeri infiniti conſtantis, & multiplicantis quantitatem conſtantem finitam (conſulatur pag. 69, & 70 Diarii 31). Scripſi equidem pag. 72 ejusdem Diarii „Ma in „virtu del mio Teorema ritrovaſi in primo luogo, che per giun„gere alla perfetta integrazione &c. dee prenderſi queſta co„ſtante (3) $x^{t-a} dx^{n-b} y, \frac{mu}{n} - f dy^{c-n}$; ſed non ideo aſſerui alia methodo inveniri non poſſe conſtantem aliam aptam integrationi æquationis (1), verbum quippe *dee* Italis interdum neceſſitatem ſignificat, interdum etiam convenientiam, quo poſteriori ſenſu ab animo ſtudiis partium libero vocem illam accipiendam confidebam, atque in fine hujus Defenſionis Problema reſolvam, quo oſtenditur infinitas conſtantes ſuppetere novarum curvarum productrices, quibus integrari poſſit æquatio (1). Minus recte etiam interpretatur D. B. hæc mea verba proſtantia pag. 77 Diarii 31 „Il Sigr. Bernulli ammette l'uſo di tali „equazioni ſolamente nel caſo in cui la coſtante fu aſſunta, „e determinata *prima* di pervenire all equazione differenzio „differenziale del Problema, ed io l' introduco liberamente „anche nel caſo, in cui l' aſſunzione, o determinazione della „coſtante ſiegue *dipoi* che ſi è ritrovata la medeſima equazi„one finale, atteſoche intanto nel primo caſo ha luogo queſt „uſo, in quanto l' aſſunzione della coſtante non determina l' „eſſenza della curva ricercata, ma la medeſima ragione mi„lita con tutta la ſua forza eziandio nel ſecondo caſo; perchè „dunque hanno da ſopprimerſi in eſſo i dritti della coſtante „aſſunta, che furono iſtituiti per dilatare i confini della nuova

Analiſi

Digitized by Google

Analiſi? &c. Dixi præterea pag. 396 Diarii 27. „Poichè per „giungere all' equazione (1) nulla di coſtante è ſtato ſuppoſto, „io ſono in libertà di ſupporre coſtante quella quantità dif- „ferenziale che mi parrà più propria, mentre potendo farſi „queſta ſuppoſizione in tutte le curve immaginabili ſenza va- „riarne l' eſſenza, eſſa laſcerà tuttavia indeterminata la natura „della curva, che dee ſoddisfare all' equazione (1). Dixi inſuper p. 73 Diarii 31: „la quantità coſtante (3), laquale può „ſempre aſſumerſi in qualunque curva immaginabile dove al- „tra coſtante non ſia ſtata ſuppoſta differenziata anch' eſſa &c. „dimoſtra &c. Ex hiſce locutionibus, attento præſertim ſcopo in quem verba collineant, æquum fuerat nihil aliud inferre, niſi quod, cum poſſit quælibet differentialis conſtans aſſumi in qualibet curva, nulla differentialis conſtans ex ſe ſola ſpectata alterat vi tantum ſua eſſentiam curvæ cujuſcumque, & conſequenter nec curvæ quæſitæ, quanquam differentiales conſtantes (antea, vel poſtea acceptæ) ſi referantur ad æquationem problematis, atque ut cum ipſa permixtæ & confuſæ conſiderentur, in caſibus utique infinitis generare queant curvas diverſæ indolis infinitas. In hac ſignificatione mea verba uſurpanda fuerant, etiamſi ulteriori eorundem explicationi ſuperſediſſem. Quid igitur rei eſt quod D. B. a recto ſenſu aberrando ſibi & aliis perſuadere nitatur, ſentire me ab æquatione (2) unam eandemque ſemper curvam repræſentari, etſi conſtans (3) variet, aut alia conſtans aſſumatur? In hanc ſententiam me invitum trahere illi certe omnium minime licuit, quippe qui legerit pag. 399 Diarii 27, in Corollario ſcilicet Theorematis quod oppugnat, hanc explicationem „le lettere „indeterminate *t*, & *u*, che entrano nell' equazione (2) deno- „tano eſponenti arbitrari, e conſeguentemente infinite curve „ſodisfanno all' equazione (1), il che è degno d' oſſervazione. Nimirum quemadmodum liquet a variis *t*, & *u* valoribus pro variatione conſtantis (3) diverſas curvas ex æquatione (2) ſimul progigni; ita patet quæ hac de re mea mens fuerit ab initio. Sed nihil facilius alteratione ſententiæ germanæ allegando textum avulſum a præcedentibus, & ſubſequentibus verbis autoris.

Non abſimili artificio contemnitur oppoſitio mea petita ex curva reſpondente huic analogiæ (4) $dx^n . dy^n :: \frac{X}{y^m} . \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$, ex qua D. B. abſurdum per vim deducere conatur, nempe poſſibilitatem cujusvis proportionis, in qua duo primi termini ſint homogenei, & reliqui duo finiti. Verum enimvero apparebit æquo rerum æſtimatori tam ab homogenitate duorum primorum terminorum anologiam quartam conſtituentium, quam a finita quantitate duorum poſtremorum, atque ab æquali uniformique intelligibilitate quarti termini, ſive $c = -b$, ſive c æquetur cuilibet alteri numero rationali, apparebit inquam ex his omnibus non niſi unam partem oppoſitionis in medium productæ conſtitui, partemque alteram reſultare ex analytica expreſſione analogiæ (4) ubi quantitates x, & y cum ipſarum primis, ac ſecundis differentialibus ita Geometrarum oculis loquuntur, ut quacumque alia expreſſione vehementius eorundem animis inſinuent quidquid evincere contendebam, eaque de cauſa me nequaquam teneri ad rem verbis involvendam, quam non brevius modo, verum etiam enucleatius diſertiusque analyticum idioma manifeſtat. His addatur me ideo de homogeneitate duorum primorum terminorum analogiæ (4) locutum fuiſſe, ut eam opponerem argumento Bernoulliano tunc a me ſoluto quod innitebatur æquationi heterogeneæ, cujus alterum membrum quantitate finita, alterum infinita, vel infiniteſima conſtabat, quemadmodum liquet ex Art. 5 Diarii 31. Neque hic D. B. finem facit ſenſus meos perperam exponendi; audiamus quam belle interpretetur hanc meam aſſertionem art. XI Diarii 27 p. 396: „Poiche per giungere all' equazione (1) nulla di „coſtante è ſtato ſuppoſto, io ſono in libertà di ſupporre co„ſtante quella differenziale, *che a me parrà più propria.*„ Eandem ille p. 312 Actorum Lipſienſium ſic effert: „In articulo XI „Tomi XXVII dixit, & recte quidem, licitum eſſe ponere conſtantem quam libuerit„

Io nol diſſi giamai ne dir potria
Per oro, per cittadi, o per caſtella.

Aliud

Aliud eſt dicere: liberum mihi eſt conſtantem ponere eam differentialem, quæ opportunior videbitur, aliud vero longe diverſum aſſerere: licet mihi ponere conſtantem quam libuerit. Etſi in qualibet curva quælibet conſtans poni queat, non tamen inde ſequitur quamlibet poſitam conſtantem idoneam eſſe ad æquationem (1) integrandam. Ergo erroneum eſt illud *recte dixit*, quo D. B. ſententiam mihi tributam cohoneſtare dignatur; ego quidem adeo gratioſam approbationem alias ultro poſtulaſſem, nunc vero, ſua venia, eam reſpuere cogor tanquam *non hos quæſitum munus in uſus*, & interim ad rationes, quas noviter attulit, diſcutiendas tranſeo. Unam ex iis per modum reſponſionis intorquet, ait enim, mihi in eadem opinione *permanenti* ſe melius reſpondere non poſſe, quam rogando, *ut exemplum*, vel ſolutionem alicujus problematis proferam, *ubi ad* æquationem controverſam perveniam ſine ſuppoſitione differentialis conſtantis. Quanam, Deus bone, reſponſione, & ratiocinatione redarguor! Si mihi exemplum non ſuppetat, numquid de aliis omnibus conclamatum erit? Si antiquiores, recentioresque Geometræ ad Circuli atque Hyperbolæ tetragoniſmum nondum pervenerunt, numquid dimenſiones hujusmodi pro non poſſibilibus habendæ? Plura ex Geometricis inventis partim fortunæ partim induſtriæ debentur: at quomodo innotuit D. B. quibus limitibus poſterorum fortuna atque induſtria tenebuntur? Eſto, poſteritas nunquam perveniat ad requiſitum exemplum proferendum, ſolutionemque alicujus problematis juxta expoſitas leges depromendam: numquid inde demonſtratum fuerit adynaton eſſe? Hobbes forte id ſibi ſuaderet quippe qui definiret poſſibile: quod fuit, eſt, vel erit. At norunt quicunque non eo usque deſipiunt, validioribus fulcris ſtabiliendum quidquid in Geometria adynaton pronuntiatur; atque idcirco cum D. B. ingenue fateatur, *ſe melius reſpondere non poſſe*, de cauſæ ſuæ ſtatu candidus lector conjecturam faciat. Ex alia parte expendendo notionem a voce *Problema* importatam conſtat per hanc ſignificari propoſitionem, quæ aliquid faciendum præſcribat. Hac definitione utitur in ſcientia cal-

Digitized by Google

calculi celebris Pater Reyneau, quæ quidem communi Geometrarum ideæ conformatur. Ergo ſi quis curvam expoſceret huic analogiæ ſatisfacientem $yy.s::1.x$ (ubi y ſignificat ordinatas, x abſciſſas, s ſubtangentem, unitas vero arbitraria homogeneorum leges ſupplere concipitur) procul dubio is problema enodandum proponeret. Siquis autem curvam peteret aptam ad hanc analogiam ſervandam $r.s::\frac{ddx}{dx2}.1$ (ubi r ſubnormalem repræſentat, & (x) accipiendæ ſunt in axe) qua tandem de cauſa problema nequaquam proponere dicendus eſſet? Si hæc propoſitio aliquid faciendum præſcribit, cur a notione problematis eſt excludenda? Num fractio $ddx:dx^2$ hanc quæſito appellationem interdicet? At quotusquisque mortalium jus ſibi acquiſivit duram hanc legem ferendi, qua excludantur ab aditu in novas Geometriæ regiones problemata non omnino immunia ab expreſſionibus infiniteſimis ſecundi gradus? Porro ſi hæc ſecunda quæſtio problema eſt, ægre admodum evincetur hanc tertiam propoſitionem problema non eſſe: Curvam invenire per quam ſalvetur ſequens analogia (ubi (s) ſignificat ſubtangentem $s^n.y^n::\frac{X.}{ym}\frac{a}{x}+\frac{bddx}{dx^2}+\frac{cyddy}{sdy^2}+\frac{f}{s}$ & ſi hujusce analogiæ beneficio ad æquationem (1) ſine ullius conſtantis aſſumtione, ac determinatione pervenitur, cenſura vacabit meum Theorema art. XI Diarii 27 propoſitum, atque in logomachiam deſinet tanto ſtrepitu excitatum certamen. Neque huc facit opponere ab hac analogia æquationem involvi, quæ ſine aſſumtione alicujus differentialis conſtantis integrationem non patiatur, quia, uti adverti in art. V Diarii 31 p. 74, rurſumque hic repetere operæ pretium arbitror, motæ litis cardo in eo vertitur ut conſtet num ad æquationem (1) pervenire liceat ante determinationem atque indicationem illius differentialis conſtantis, quæ integrationem parit, an non? Sed tempus poſtulat ut cum D. B. Achille congrediar, cum illo ſcilicet novo ratiocinio quod directe demonſtrativum autumat, & cujus viribus me proſternendum confidit.

Nunc animis opus, nunc pectore firmo.

In

Digitized by Google

In hunc finem ſequens lemma præmittit. Omnis æquatio differentialis ſecundi gradus in qua dx eſt variabilis, & dy conſtans transmutari poteſt ſalva æquatione integrali in aliam, in qua dx eſt conſtans, & dy variabilis ſcribendo pro ddx hunc valorem $-\frac{dxddy}{dy}$. Tum dy conſtantem ſupponit in æquatione (1) quæ in hanc transformatur (5) $Xdy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{fdy}{ydx}$. Ponit præterea conſtantem dx, & æquatio (1) in ſequentem mutatur (6) $Xdy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$. Demum æquationem (5) absque variatione integralis transformat ſubſtituendo vi præmiſſi lemmatis $-dxddy : dy$ pro ddx, ut æquatio infra ſcripta reſultet, quæ differentialem dx conſtantem ſortitur (7) $Xdy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} - \frac{bddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$: quibus peractis pronunciat ab æquationibus (6) & (7) congruentiam ſervari, atque idcirco æquando membra ſecunda, ac delendo redundantes terminos hanc æquationem aſſequitur $cddy : dxdy = -bddy : dxdy$, ex qua admodum facile concludit $c = -b$. At enim D. B. ante hanc præcipitem illationem onus incumbit probandi quod ex præſuppoſita æqualitate inter ipſas x, earumque differentiales ad æquationes (6) & (7) pertinentes, etiam ipſæ y, earumque differentiales tam primæ quam ſecundæ, immo vero etiam quantitas per f deſignata vere æquentur in utraque æquatione: quippe ſi ſecus res ſe habeat ſuppoſita utriusque æquationis congruentia evaneſcit, ac tota novæ directæque demonſtrationis moles in purum putum paralogiſmum diſſolvitur. Ipſius demum ſolertiæ fuerat advertere quod quemadmodum in communi uſu loquendi eadem vox nonnunquam diverſa ſignificat; ita in idiomate analytico quamvis y, dy, ddy, & f eædem viſui appareant, poſſunt in æquationibus (6) & (7) diverſis quantitatibus reſpondere

Per eſto loco
ſi vuol tenere agli occhi ſtretto il freno
Però ch' errar potrebbeſi per poco.

Et revera ſi exempli gratia æquationem (1) integremus methodo a me expoſita in art. XI Diarii 27 ſupponendo primo *dy*, deinde *dx* conſtantem; inveniemus quod cum in primo caſu *ddy* ſit $=o$ poteſt ſubtrahi $cddy:dxdy$ ab æquatione (1), quæ transmutabitur in hanc (8) $Xdy^{n}:y^{m}dx^{n}=\frac{a}{x}+\frac{bddx}{dx^{2}}+(c-c)\frac{ddy}{dxdy}+\frac{fdy}{ydx}$. Oportet igitur æquare conſtantem (3) quantitati dy^{λ}, in eaque concipiendo $c=o$, quia (c) in ipſa repræſentat coefficientem ipſius $ddy:dxdy$ in æquatione (8), ſcilicet zerum, orietur hæc æquatio $x^{t-a}dx^{n-b}y^{\frac{mn}{n}-f}dy^{-u}=dy^{\lambda}$: ex qua reſultabit $t=a$; $u=b$; $\frac{mu}{n}-f=o$, ſive $f=mb:n$; $\lambda=-u=-b$, qui valores ipſius (t), & (u) in æquatione ſecunda ſubſtituti eandem ſic transformant (9) $dy:y^{m:n}=x^{a:b}dx:\left(\frac{n}{b}\int.Xx^{na:b}dx+k\right)^{1:n}$. Apparebit etiam ex ſuppoſitione ipſius *dx* conſtantis reſultare $ddx=o$ ita ut ſubtrahi poſſit $bddx:dx^{2}$ ab æquatione (1), quæ vertetur in iſtam (10) $Xdy^{n}:y^{m}dx^{n}=\frac{a}{x}+(b-b)\frac{ddx}{dx^{2}}+\frac{cddy}{dxdy}+\frac{fdy}{ydx}$. Æquando igitur conſtantem (3) ipſi dx^{π}, in eaque concipiendo b æqualem zero, eo quod b in ipſa denotet coefficientem fractionis $ddx:dx^{2}$ in æquatione (10), obtinebitur hæc nova æquatio $x^{t-a}dx^{n}y^{\frac{mn}{u}-f}dy^{-c-u}=dx^{\pi}$, quæ manifeſtat $t=a$; $-c-u=o$, vel $u=-c$; $\frac{nm}{u}-f=o$, vel $f=-\frac{nm}{c}$; $\pi=u=-c$, atque hi valores quantitatum t, & u in æquatione (2) ſubſtituti illam in hanc aliam convertunt (11) $dy:y^{m:n}=x^{-a:c}:\left(\frac{-n}{c}\int.Xx^{-na:c}dx+k\right)^{1:n}$. Tandem videbimus quod vi lemmatis a D. B. indicati, & ſupra citati poteſt ſubſtitui in æquatione (8) pro *ddx* hic valor $-dxddy:dy$ ſalva æquatione integrali (9) ita ut liceat transmutare æquationem (8) in ſequentem, ubi *dx* conſtans eſt, & loco ipſius f apparet ejuſdem valor $mb:n$ (12) $Xdy^{n}:y^{m}dx^{n}=\frac{a}{x}-\frac{bddy}{dxdy}+\frac{mbdy}{nydx}$; ſed etiam æ-

quatio

quatio (10) ſubſtituendo pro f ipſius valorem $-mc{:}n$ hanc ſpeciem induit (13) $Xdy^n{:}y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{cddy}{dxdy} - \frac{mcdy}{nydx}$. Ergo liquet primo, quod cum binæ æquationes (9) & (11) ſint reſpective integrales binarum æquationum (12) & (13) quantitates y, & dy valorem diverſum in binis poſtremis æque ac in binis primis ſortiuntur (ex hypotheſi quod in unaquaque ipſarum concipiantur æquales x, & dx ſimulque c non æquetur $-b$) & conſequenter quod y, dy, ddy multum differre debent in æquationibus (12) & (13) quando c non æquatur $-b$. Liquet ſecundo æquationes (12), & (13) eſſe reſpective eaſdem cum æquationibus (6) & (7), unde ſequitur quod cum illæ congruentiam nequaquam ſervent niſi in caſu quo $c = -b$, neque iſtæ eandem congruentiam extra caſum $c = -b$ ſervabunt. Liquet tertio ab argumento Bernoulliano nihil aliud evinci quam c æquati $-b$ cum c æquatur $-b$, id quod parergis omiſſis ſignificat nihil probari. Atque hic D. B. documento meo uti oportebat, quod contra me pag. 312 fruſtra retorquet videlicet „che l' influſſo della coſtante aſſunta è va-„levole a produrre vari fenomeni nel Mondo intelligibile

In una parte più, e meno altrove.

Quod ſi ipſe contendat ex impotentia integrandi æquationem (1) abſque aſſumtione alicujus differentialis conſtantis, atque ex generatione diverſarum curvarum prodeuntium ab eadem æquatione hac vel alia methodo integrata quoties dy, dx, vel alia quantitas pro non fluente ſumitur, *demonſtrativa indicia* haberi, quibus conſtet ad æquationem (1) perveniri non poſſe ſine præcedenti determinatione differentialis conſtantis; hanc ego a doctis, & partium ſtudia declinantibus lectoribus æquitatem imploro, ut id ipſum illi non ante concedant, quam debitas probationes in medium produxerit, quas ſi forte repetat *a ſola inductione*, id eſt ab exemplis variarum, notarumque curvarum, atque ab earum æquationibus, quæ bis prius differentientur, ruſumque integrentur, advertant eruditi ratiocinia hujusmodi omnino invalida eſſe ad litem hanc dirimendam, quippe ipſis geometricæ probationis vim tribuere perinde eſſet, ac *generalem concluſionem manca inductione fulcire*. Inductioni

L 2 vitioſæ

vitioſæ (ut alibi notavi) originem debet etiam illa propoſitio, quam D. B. pag. 305 ſecundæ diſſertationis condecorat ſpecioſo titulo *Axiomatis nobiliſſimi*. Ego in art. 5 Diarii 31 ejusdem imbecillitatem oſtendi argumentis, quæ minime refellit Adverſarius, cum tantummodo conetur propoſitionem eandem clarius enunciare, eo tamen infelici exitu, quem cuique oſtendet collatio hujus mei ſchediaſmatis, atque articuli 5 Diarii 31 cum binis cenſuris Bernoullianis. Idcirco hac ſuper re verbis parcam, dummodo mihi liceat breviter iterare primo quod binæ æquationes differentio-differentiales concipi poſſunt *F*, & *H* ejus naturæ, ut aliqui termini reperiantur in æquatione *F* diverſi ab aliquibus terminis æquationis *H*, & nihilominus æquatio *H* æquipolleat æquationi *F* vi differentialis conſtantis aſſumptæ ab Analyſta *ante* vel *poſtquam* pervenerit ad æquationem *H*, quia eadem differentialis conſtans ubi differentietur producit æquationem cujus ſecundum membrum nullum eſt, atque hæc nova æquatio aptata æquationi *H* eandem transformat in æquationem *F*. Secundo quod in iſto caſu æquatio G quæ integralis eſt æquationis *F* repræſentat curvam, in cujus, ut ita dicam, viſceribus utraque æquatio *F* & *H* continetur. Tertio quod ex his præmiſſis ſequitur æquationem *G* non modo integralem eſſe æquationis *F*, verum etiam æquationis *H* æquipollentis æquationi *F*. Quare ſi æquatio *G* absque ullius conſtantis aſſumtione differentiata producit æquationem *F* non autem æquationem *H*; inde inferre non licet æquationem *G* integralem non eſſe æquationis *H*, aut ipſam æquationem *H* ejus naturæ eſſe ut ad ipſam pervenire non detur absque aſſumptione alicujus differentialis conſtantis. Id quod unice colligitur eſt, ad integrandam æquationem *H* ope æquationis *G* requiri aſſumtionem alicujus differentialis conſtantis vel *antequam* Analyſta ad æquationem *H* perveniat, vel *poſteaquam* perveniret ad eandem. Hiſce ad meam defenſionem productis ſupervacaneum reputo in cæteris ubi D. B nihil ſolidi mihi objicit diutius immorari, atque idcirco gradum facio ad fidem promiſſi Problematis liberandam.

PRO-

Digitized by Google

PROBLEMA.

In ſubjecta æquatione (14) literæ b, c, f, g, n exprimunt quemvis numerum integrum, vel fractum, poſitivum, vel negativum comprehenſo etiam zero. X, & P majuſculæ ſignificant quantitates quomodolibet datas per x, conſtantesque finitas, & ipſum zerum; at Y, & Q denotant quantitates quomodolibet datas per y, & conſtantes, ipſumque zerum; demum litera & repræſentat quantitatem quomodolibet compoſitam ex variabilibus, & conſtantibus. Invenire ſuppoſitionem differentialis conſtantis, quæ æquationem (14) integrabilem reddir. (14) $XYdxdy^n : dx^n = Pdx + \frac{bddx}{dx} + \frac{cddy}{dy} + Qdy + \frac{gd\&}{\&}$.

Solutio prima

Ponatur $adz : z = Pdx$, & $fdb : b = Qdy$ (a, & f ſignificant quemvis numerum integrum, vel fractum, poſitivum vel negativum, ipſumque etiam zerum ubi nulla fuerit P vel Q) dabunturque z, & b ſaltem tranſcendenter prima per x, ſecunda per y, quia integrando obtinebitur (15) $a\,l.\,z = S.\ Pdx + M$, (16) $f\,l.\,b = S.\ Qdy + N$. ($l.$ eſt characteriſtica logarithmorum, M, & N indicant conſtantes arbitrarias cum ſuo ſigno). His poſitis æquatio (14) mutabitur in ſequentem (17) $XYdx\,dy^n : dx^n = \frac{adz}{z} + \frac{bddx}{dx} + \frac{cddy}{dy} + \frac{fdb}{b} + \frac{gd\&}{\&}$. Valor majuſculæ C expreſſus in infra ſcripta æquatione (18) eſto differentialis conſtans quæſita ubi β denotat exponentem arbitrarium, t, u, e, s ſignificant exponentes incognitos, & majuſcula A indicat quantitatem quomodocunque datam per x & conſtantes, & conſequenter etiam per z (18) $C = dx^t dy^u Y^\beta b^e A \&^s$. Concipiatur nunc hæc æquatio, in qua r eſt numerus incognitus (19) $\frac{dV}{V} = -\frac{ardz}{z} + \frac{brddx}{dx} + \frac{crddy}{dy} + \frac{frdb}{b} + \frac{grd\&}{\&}$ Multiplicetur æquatio (17) per hanc quantitatem $rz^p dx^n dy^{-n} Y^{-\beta} A^q$, in qua p, & q repræſentant exponentes adhuc incognitos, ac ponendo in eadem æquatione (17) $dV : V$ pro ſuo valore, illa hanc formam ſubibit (20) rXz^pA^q

 $dx = z$

$dx = z^p dx^n dy^{-n} Y^{-t} A^q dV : V$, cujus æquationis ſecundum membrum ut integrabile appareat concipiatur (21) $V^k = z^p dx^n dy^{-n} Y^{-t} A^q$: (k eſt exponens incognitus) & ſubſtituendo V^k loco ſui valoris in æquatione (20) obtinebitur $rXz^p A^q dx = V^{k-1} dV$, atque integrando $rS.Xz^p A^q + B = \frac{1}{k} V^k$. ($B$ eſt conſtans arbitraria cum ſuo ſigno) hinc reſtituendo pro V^k ipſius valorem ſupra expreſſum apparebit (22) $r\int . Xz^p A^q dx + B = \frac{1}{k} z^p dx^n dy^{-n} Y^{-t} A^q$. Supereſt nunc detegendus valor literarum r, k, p, q ad hanc æquationem integralem pertinentium, ipſarumque t, u, e, i, quæ locum habent in ſuppoſita conſtanti (18). Ad hoc conſequendum integretur æquatio (19) atque orietur $l.V = l.z^{ar} + l.dx^{br} + l.dy^{cr} + l.b^{fr} + l.\mho^{gr} + s\,l.C$. Logarithmus conſtantis C multiplicatus per numerum incognitum s eſt quantitas conſtans, quam huic æquationi integrali mihi addere libet, ex qua rejectis logarithmis deducitur $V = z^{ar} dx^{br} dy^{cr} b^{fr} \mho^{gr} C^s$, atque elevando utrumque hujus æquationis membrum ad dignitatem k, ſimulque ponendo pro C ipſius valorem conſequemur (23) $V^k = z^{ark}, dx^{brk+stk}, dy^{crk+suk}, b^{frk+sek}, \mho^{grk+isk}, Y^{\theta sk}, A^{sk}$. æquando mox hunc valorem ipſius V^k alteri, qui apparet in æquatione (21) id eſt æquando utriusque exponentes reſpectivos; infertur primo nullos eſſe exponentes ipſarum b, & $\mho$, adeoque detegitur (24) $e = -fr : s$, (25) $i = -gr : s$, (26) $k = p : ar$, (27) $k = n : (br + st)$, (28) $k = -n : (cr + su)$, (29) $k = -t : s\theta$, (30) $k = q : s$. Quare ex comparatione æquationum (29), & (30) reſultat (31) $q = -t : \theta$, ex comparatione æquationum (26), & (29) (32) $p = -ar : s\theta$, ex comparatione æquationum (27), & (29) (33) $t = (-ns\theta - br) : s$, ex comparatione æquationum (28), & (29) (34) $u = (ns\theta - cr) : s$, tandemque valores ipſarum $e, i; k, g, p, t, u$ deſumpti ab æquationibus (24) (25) (29) (31) (32) (33) (34) ac ſubſtituti in æquatione (22), & in conſtanti (18) Problema reſolvunt. *Q. E. J.* Notandum literas r, & s indeterminatas remanere, ſed r nullam eſſe non debere, s vero nullam eſſe non poſſe niſi in caſu, quo æquatio (14) integrabilis fuerit ſine aſſumtione alicujus differentialis conſtantis.

Solu-

Digitized by

Solutio ſecunda.

Multiplicetur primum membrum æquationis (17) per $\frac{dy}{dy}$, mutabiturque in ſequentem (35) $XYdydx^{1-n}:dy^{1-n}=\frac{fdh}{h}+\frac{cddy}{dy}+\frac{bddx}{dx}+\frac{adz}{dz}+\frac{gd\&}{\&}$ hinc ratiocinio ſimillimo ei, quo in præcedenti ſolutione uſi ſumus, quodque idcirco iterare non eſt opus, conſtabit quod concipiendo $e=-ar:s$; $i=-gr:s$; $k=-1:s\theta$; $q=-1:\theta$; $p=-fr:s\theta$; $t=(ns\theta-s\theta-cr):s$; $u=(s\theta-ns\theta-br):s$, & faciendo conſtantem infra ſcriptum valorem majuſculæ G (ubi E repræſentat quantitatem quomodolibet datam per y, & conſtantes, & conſequenter etiam per h) (36) $G=dy^t dx^u X^\theta z^e E\&^i$, integrale æquationis (35) id eſt æquationis (14) erit ut ſequitur (37) $rS.Yh^pE^qdy+B=\frac{1}{k}h^pdy^{1-n}dx^{n-1}X^{-1}E^q$. Q. E. D.

Cor. 1. Ad dignoſcendum quibus in caſibus æquatio (14) integrabilis ſit abſque aſſumtione ullius differentialis conſtantis; fiat in conſtanti (18) atque in æquatione (23) $A=1$, itemque θ,t,u,e,i omnes æquales zero, comparatio quippe æquationis (23) hoc pacto modificatæ cum æquatione (21) deteget $Y=h^{-frk}$; $k=n:br=-n:cr=p:ar$, atque ex his valoribus ipſius k deducetur $c=-b$; $Y=h^{-fn:b}$; $p=na:b$. Hinc liquet quod ſi in æquatione (14) habeatur $Y=h^{-fn:b}$; $c=-b$; & $g=o$ integrale ejuſdem æquationis obtinebitur abſque aſſumtione ullius quantitatis conſtantis eritque æquatio (22) dummodo ſubſtituantur pro A,p,k ipſarum valores in hoc Corollario expreſſi; litera X juxta hanc methodum ſuam univerſalitatem retinente.

Cor. 2. Similiter concipiendo in conſtanti (36) $E=1$, omnesque θ,t,u,e,i æquales zero, atque adhibendo analyſin conformem Corollario præcedenti, conſtabit æquationem (35) & conſequenter æquationem (14), quæ eadem eſt integrari abſque conſtantis aſſumtione quando habeatur $X=z^{a(n-1):c}$; $b=-c$, & $g=o$; integrale vero eſſe æquationem (37) dummodo fiat $k=(1-n):cr$; $p=f(1-n):c$; $E=1$; litera Y hic ſuam generalitatem retinente.

Cor. 3. Quare quoties in æquatione (14) habetur $X=z^{a(n-1):c}$; $Y=h^{-fn:b}$; $b=-c$, & $g=o$ bina Corollaria præcedentia, binæ-

binæque æquationes (22) (37) binas formulas ſubminiſtrant ad integrandam eandem æquationem (14) abſque aſſumtione ullius differentialis conſtantis.

Cor. 4. Si in æquatione (14) b, c, g, n fuerint eodem tempore æquales zero, annihilentur hæ ipſæ literæ in æquatione (17), tum ſupponatur conſtans (18) æqualis unitati, eritque etiam $A=1$; atque obſervetur in hiſce ſuppoſitionibus ab æquatione (21) exhiberi $V^k = z^p Y^{-1}$ ab æquatione autem (23) reſultare $V^k = z^{ark} b^{frk}$ ex comparatione vero binarum expreſſionum ipſius V^k prodit $k=p:ar$; $Y=b^{-frk}=b^{-pf:a}$, ac ponendo valores ipſarum K, Y, A, n in æquatione (22) dignoſcitur, quod (ſuppoſitis binis æquationibus (15) & (16), in quibus ſaltem tranſcendenter continentur valores ipſarum z, & b) æquatio ſequens $Xdx : b^{pf:a} = Pdx + Qdy$ habet pro ſua integrali hanc aliam $\int \cdot Xz^p dx + B = \frac{a}{p} z^p b^{pf:a}$.

Cor. 5. Si in æquatione (17) ſupponatur $z=x$; $b=y$; $Y=y^{-m}$; $g=0$, atque inſuper in conſtanti (18) concipiatur $i=0$; $A=x$ φ^{-a}; $\theta=-\omega:n$ (φ, & ω repræſentant exponentes arbitrarios, & φ poteſt eſſe etiam zerus) r autem, atque s fiant ambæ æquales unitati; hi valores ipſarum $\theta, r,$ & s ſubrogati in æquationibus (24) (33) (34) (29) (31) (32) manifeſtant $e=-f$; $t=\omega-b$; $u=-\omega-c$; $k=n:\omega$; $q=n:\omega$; $p=na:\omega$. Hinc valores ipſarum $Y, b, t, u, e, \theta, A, i$ poſiti in conſtanti (18) ac valores ipſarum r, z, A, K, Y, p, q ſubſtituti in æquatione (22) pariunt formulas mei Theorematis vulgati in art. XI Diarii 27 Literatorum Italiæ, ubi vocantur t, u, k quantitates quæ hic reſpective appellantur φ, ω, B.

Schol. 1. Non erit inutile advertere quod ubi Pdx, vel Qdy reſolvi poſſunt in differentiales quantitatum logarithmicarum per quantitates conſtantes multiplicatarum, valor ipſius z in æquatione (15), vel ipſius b in æquatione (16) dabitur per x, vel per y ope æquationis algebraicæ, vel exponentialis.

Exemplum æquationis algebraicæ.

Eſto $Qdy = e^3 dy : (y^3 - eey)$; ſecundum hujus æquationis membrum, in quo e ſignificat quantitatem conſtantem in ſequen-

quentes differentiales logarithmicas reſolubile eſt $\frac{1}{2} edy:(y+e)$; $+\frac{1}{2}(\pm edy):(\pm y\mp e)$; $-edy:y$ ita ut habeatur $\int . Q\,dy = \frac{1}{2} l.(y+e) + \frac{1}{2} l.(\pm y \mp e) - l.y$: collocando autem hunc ipſius $\int . Q\,dy$ valorem in æquatione (16), facto in eadem $N = l.F$, ſublatisque per notas methodos logarithmis, æquatio (16) in hanc aliam abit $bf = \frac{eF}{y}(\pm yy \mp ee)^{1:2}$ ubi F eſt quantitas conſtans cum ſuo ſigno.

Schol. 2. Conſiderando æquationes (14) & (17) perinde ac ſi nullam involverent relationem ad æquationem (35); apparebit, quod tam in prædictis æquationibus (14) & (17) quam in conſtanti (18) atque in integrali (22) pro $dx^{\pm n}$, & dx^r ſubſtitui poteſt reſpective $dw^{\pm n}$, & dw^r dummodo pro $\frac{ddx}{dx}$ ſubrogetur $\frac{ddw}{dw}$ in æquationibus (14), & (17). Eadem valent reſpectu $dy^{\pm n}$, & dy^n, pro quibus licet ſubſtituere $d\Delta^{\pm n}$, & $d\Delta^n$ dummodo in æquationibus (14) & (17) pro $\frac{ddy}{dy}$ ponatur $\frac{dd\Delta}{d\Delta}$.

Exemplum.

Una ex formulis ſolventibus Problema directum circa radium circuli oſculatoris absque ſuppoſitione ullius differentialis conſtantis eſt iſta $z = xdxdw^2 : (adydxdw + xdwddy - xdy\,ddw)$ ubi z radium evolutæ ſignificat, dw in hoc exemplo indicat elementum curvæ, a vero unitatem exprimit quando applicatæ x diſcedunt ab eodem puncto fixo, & zerum indicat ubi applicatæ ſint ad axem normales. Hæc omnia inferuntur ex prima formularum radii evolutæ a celebri Varignonio demonſtratarum in Monumentis Academiæ Regiæ Scientiarum ad an. 1701, & 1706, ubi ille vocat y, dy, ddy dx, ds quantitates quas ego reſpective appello x, dx, ddx, dy, dw. Jam vero multiplicando hanc formulam per $(adydxdw + xdwddy - xdyddw) : z$, atque inde reſultantem quantitatem per $xdydw$ dividendo, hæc alia invenitur (38) $\frac{dxdw}{zdy} = \frac{adx}{x} - \frac{ddw}{dw} + \frac{ddy}{dy}$ quæ eſt æquatio inſerviens

ſerviens ſolutioni Problematis inverſi circa radium circuli oſculatoris, ſupponendo radium ε quomodolibet datum per x, & conſtantes: ad eam autem integrandam adverto ipſam revocari ad æquationem (17) atque ad caſum Corollarii primi concipiendo $Y = 1 = y^0$; $X = \frac{1}{\varepsilon}$; $n = 2 - 1$; $dx^n = dw^n = dw^{-1}$; $ddx : dx = ddw : dw$; $b = -1$; $c = -b = 1$; $z = x$; $f = 0$. Quapropter integrale æquationis (38) eſt æquatio (22) dummodo valores quantitatum Y, X, n, dx^n, b, c, z in ipſam, atque in formulas, quibus relatio cum ipſa eſt invehantur, faciendo $E = 1$; $p = a$; $k = 1 : r$; ita ut ſubſtituendo $(dx^2 + dy^2)^{1:2}$ pro dw in eadem æquatione (22) uti dictum eſt modificata, illamque debita cautela tractando obtineatur $dy = dx \left(\int \cdot \frac{x^a dx}{\varepsilon} + B\right) : \left[x^{2a} - \left(\int \cdot \frac{x^a dx}{\varepsilon} + B\right)\right]^{1:2}$ brevitatis ſtudio ulteriora perſequi non vacat. Addam tantummodo Corollarium, quod cum noſtra controverſia cognationem habet.

Cor. 6. Supponendo quemadmodum in Corollario 5 quod in æquatione (17) fit $z = x$; $b = y$; $Y = y^{-m}$; $g = 0$, & primo concipiendo $ddy = 0$ poterit ab æquatione (17) ſubtrahi $cddy : dy$ inque ipſa coefficiens ipſius $ddy : dy$ reddi æqualis $c - c = 0$: habebitur præterea conſtans (18) æqualis ipſi dy^u, hoc eſt nulli evadent omnes exponentes ejusdem conſtantis præter u; at A æquabitur unitati, atque idcirco erit $Y^\theta b^s \left(= y^{-m\theta \cdot \frac{fr}{s}}\right) = y^0$, unde oritur $f = -ms\theta : r$. Atqui concipiendo $t = 0$ in æquatione (33) reſultabit $s\theta = -br : n$; ergo hunc valorem ipſius $s\theta$ ponendo in inventa expreſſione quantitatis f, & in æquationibus (29) (32) (34) detegetur $f = mb : n$; $k = n : br$; $p = na : b$; atque $u = -r(b + c - c) : s = -br : s$. In æquatione (34) generaliter conſiderata repræſentat litera c coefficientem ipſius $ddy : dy$, quæ quantitas in caſu noſtro eſt $c - c$, & propterea in præſenti valore ipſius u ponitur $c - c$ pro c. Secundo ſupponendo $ddx = 0$ poterit ſubtrahi $bddx : dx$ ab æquatione (17) ubi coefficiens ipſius $ddx : dx$ æquabitur $b - b = 0$. Erit etiam conſtans (18) æqualis dx^r, nempe nulli evadent omnes ejusdem conſtantis indices præ-

ter

ter t, reſultabitque ut ſupra $f = -ms\theta : r$ ac ponendo $u = o$ in æquatione (34) reſultabit $s\theta = cr:n$, quæ expreſſio ejusdem $s\theta$ ſubſtituta in valore ipſius f nuper invento, atque in æquationibus (29) (32) (33) deteget $f = -mc:n$; $k = -n:cr$; $p = -na:c$; $t = -r(b-b+c):s = -cr:s$. In æquatione (33) generaliter conſiderata ponitur litera b pro coefficiente ipſius $ddx:dx$, ſcilicet in caſu noſtro pro b − b, atque hac de cauſa $b - b$ ſubrogatur pro b in peculiari valore ipſius t.

Schol. 3. Nota quod ubi in primo caſu ipſius dy conſtantis habetur $b = o$, & $n = o$, fieri poteſt ut valor ipſius u non ſit nullus non ſubtrahendo $cddy:dy$ ab æquatione (17) at in iſto caſu $b:n = o:o$ nihil detegit, atque ideo in formulis primi puncti hujus Corollarii pro $b:n$ ſubſtituenda eſt quantitas $f:m$, eo quod hæc fractio æquetur $-s\theta:r = b:n$. Similiter ubi in ſecundo caſu ipſius dx conſtantis nullæ ſunt c, & n, fieri poteſt ut valor ipſius t non ſit nullus non ſubtrahendo $bddx:dx$ ab æquatione (17). ſed quia in hoc caſu habetur $-c:n = -o:o$, in formulis ſecundi puncti hujus Corollarii pro $-c:n$ ponenda eſt quantitas $f:m$, eo quod fractio hujusmodi æquetur $-s\theta:r = -c:n$.

Schol. 4. Reſumendo nunc ſextum Corollarium, & inde ratiocinium eruendo ſimile ei, quo ſuperius ad trutinam revocavi D. B. argumentum, palam fiet etiam in hac generaliori methodo a ſuppoſita *demonſtratione nova, & directa* nihil concludi.

Joh. Chriſtoph Sturms, Math. & Phyſ. P. P. O. in Acad. Altorffina, Vorſtellung von der lügenhaften Stern-Wahrſagerey rc.

hoc eſt,

JO. CHRISTOPHORI STURMII DEMONſtratio vanitatis aſtrologiæ divinatricis, cura GEORGII RICHARDI STURMII, filii natu minimi, cum præfatione M. BONIF. HENR. EHRENBERGER'S, Math. & Methaphyſ. in Gymnaſio Caſimiriano P. P. O.

Digitized by Google

Coburgi, ſumtibus Pauli Güntheri Pfotenhaueri, 1722, 8.
Plag. 9½.

ETſi videri poſſit, libellum hunc poſthumum *Sturmianum* eundem eſſe cum Prælectione prima ab *Algœwero* inter ceteras ejusdem Prælectiones nuper edita, de quo libro alibi dicemus, conferenti tamen patebit, utrumque eſſe diverſum. Cum enim in illa prælectione de omni aſtrologia agatur, in hoc libello nonniſi de arte themata genethliaca erigendi tractatur, quam omni ratione deſtitutam, immo rationi adverſam ut oſtendat, omnem Autor lapidem movet.

THE ANSWER OF THE EARL OF NOTTINGHAM to Mr. WHISTONS Letter to him concerning the Eternity of the Son of God and of the holy Ghoſt.

id eſt,

RESPONSIO COMITIS A NOTTINGHAM ad WHISTONI Literas ipſi miſſas de Æternitate Filii Dei & Spiritus S.

Londini, apud Eduardum Valentinum, 1721, 8.
Plag. 12.

IN hoc ſcripto fatetur Ill. Autor, ſe quidem Theologicis rebus non ex profeſſo incubuiſſe, eoque non eſſe mirum, ſi forte optimæ cauſæ defenſoris imperitia ſit præjudicio: interim tamen negari haud poſſe, quin in cauſa Dei æque ac in publica proditione quisque arma arripere aciemque inſtruere debeat & hinc ſua quoque auſa non fore ſpernenda. Et patet ſane ex totius materiæ tractatione, eum ab iſto militiæ genere non alienum eſſe. Whiſtoni primo opiniones adducuntur ex ipſius epiſtola citata: *Filium nempe eſſe creaturam a Deo Patre, voluntate ipſius factam, cum id commodum duxiſſet ſcil. paulo ante creationem mundi, genitam vel natam ineffabili quodam modo: & Spiritum S. quoque creaturam eſſe per Filium factam. Lumen naturæ & ſenſum communem Athanaſianæ*

ſtanæ doctrinæ adverſari: *Teſtimonia pro ipſa* (ſi comparative agatur) *pauca eſſe & incerta, quæ contra ipſam ſint & numero & gravitate abundare.*

Contra hæc opinionum portenta ita pugnat Autor, ut 1) oſtendat, Filio Dei non poſſe adorationem præſtari divinam, niſi Deus ſit. Quod ſi excipiat adverſarius: *non eum proprium directumque adorationis objectum eſſe*: reſpondet Autor, eo nullam ſuſpicionem prolabi poſſe, ſiquidem adoratio Chriſti non tantum permittatur, ſed & jubeatur, Pſ. XCVII, 7, Hebr. I, 6, *Adorabunt eum omnes angeli Dei.* Unde & Whiſtonus ipſe Epiſt. ad Londin. Epiſc. p. 9, 10 fateri cogatur, nonnullas Scripturæ doxologias ad Patrem & Filium ſimul: nonnullas ad Chriſtum ſolum dirigi. 2) Res omnes creatas rurſum extingui & deſtrui poſſe, quis autem illud de Filio Dei auſit dicere, eum deſtrui poſſe? 3) Whiſtoni allegata ſecum pugnare. Alio enim loco dici: *Filium ex ſubſtantia Patris oriundum*: alio aſſeri: *Eum factum quendam atque a Patre creatum Deum eſſe.* Jam vero Patris ſubſtantiam indubitato increatam eſſe, qui igitur Filius ex iſta ſubſtantia oriundus creatus dici poſſet? 4) Whiſtonum haud negaturum: Chriſtum verum, proprium & ſatisfactorium ſacricificium pro peccatis hominum juſtitiæ Patris fuiſſe. Si vero ſit creatura aliqua Chriſtus, fix fieri poſſe, ut tantum valeat creaturæ paſſio, quantum Chriſti valuit, ad iram Dei placandam, & obtinendam plenariam peccatorum remiſſionem. 5) Ex Irenæo Whiſtonum ipſum probare, verba illa: *Faciamus hominem*, Filio & Spiritui S. a Deo dicta eſſe: jam ſi ſit Filius creatura, & Spiritus S. Filii creatura, perverſiſſime creaturas haſce ad creationis opusglorioſiſſimum & non niſi divina virtute peragendum conſiliarios adhiberi. 6) Si Spiritus S. ſit creatura Filii, qui poſſet ab ipſo formari ulla ex parte is a quo ipſe creatus ſit? At vero expreſſe in ſacris literis dici: *Spiritum S. obumbraſſe Mariam*: & quod *vi ea natum ſit, ex Spiritu S. eſſe*, Luc. I, 35, Matth. I, 20. Progreditur Autor & oſtendit, quam periculoſa ſit hæc doctrina & quantum diſper-

gat venenum. Primo enim Mahometiſmum non aliunde originem ſuam trahere quam ex Arii peſtiferis opinionibus Secundo per eandem Judæos in infidelitate ſua blaſphemiisque contra Chriſtum confirmari. Tertio ſcepticos hujus ſeculi, qui omnem relevationem præfracte negent, mirum in modum quoque in erroribus ſuis roborari. Accingit ſe poſtea ad demonſtrandum, quam illa teſtimonia, quæ Whiſtonus alleget, ſint partim inepta ad id probandum, quod probare debent, partim mutila, partim contradictoria: ubi & *ὡς ἐν παρόδῳ* monet, Ante-Nicænos Patres, veræ fidei de Trinitate confeſſores, ſatis a Rev. Epiſcopo *Bullo*, & D. *Waterlando* in Vindiciis divinitatis Chriſti defenſos eſſe: Whiſtonum quoque ipſum in ſua epiſtola multoties ſibi ipſi contradicere, dum Filium Dei *vere Deum*, *verum Deum* appellet: *divinam naturam*, *ipſam paternam dignitatem in eo eſſe: omnem eum potentiam Dei Patris poſſidere* affirmet, quæ omnia ejus ſint generis, ut male *creaturæ* conveniant. Origenem quidem *factum Deum* eum appellare, ſed propterea ab Epiphanio graviter notari: imo Pamphilum innocentiam Origenis in hoc fidei articulo urgere & in Apologia ſua pro illo ſcripta luculenter declarare, quod Origenes de Trinitate non minus accurate ac poſtea Nicæna ſynodus aut Athanaſius ipſe ſenſerit. Cumque Pamphilus longe propior ætati Origenis quam Epiphanius & martyr fuerit, longe etiam credibiliora eſſe, quæ iſte proferat, quam quæ hic. Accedere & iſtud, quod Origenes jam ſuo tempore de corruptione ſcriptorum ſuorum conqueratur. Oſtendit porro Autor alias contradictiones in Whiſtoni allegatis teſtimoniis, carpitque eundem, quod ex Euſeb. demonſtr. Ev. IV, 15, ubi Euſebius dicit; *Deum Verbum ſolum ex ipſo* (ſcil. Patre) *genitum*, *μετοχῇ τοῦ γεννήσαντος*, reddiderit *per communicationem*, cum *μετέχειν* & *κοινωνεῖν* eosdem habeant ſignificatus, & *communionem*, quod majus eſt, non vero *communicationem*, indicent. Eundem, quod male efferat Euſebii ſenſum in eodem loco, rurſum carpit: quod & alibi facit. Teſtimonia ex Athenagora, Irenæo, Tertulliano a Whiſtono adducta Autor ſcrutatur, verumque eorum ſenſum excutit, quem Whiſtonus fœde torſerat, cui & Tertulliani illud, quod in Hermogenem conjecerat, applicat: *A quibusdam verbis anſam, prout hæretici ſolent, arripit, planas & dilucidas res detorquendi.* Origenis veram ſententiam tutatur contra ejusdem frivolas detorſiones, præcipue in loco, quem ex lib. contr. Celſ. p. 238 adduxerat, & de Filio Dei interpretatus erat, quaſi de *effluvio luminis æterni*, quod Origenes Platonizans ſtellis tribuerat: *οἱ ἐν οὐρανῷ ἀστέρες ζῶά εἰσι λογικὰ καὶ σπουδαῖα καὶ ἐφωτίσθησαν τῷ φωτὶ τῆς γνώσεως ὑπὸ τῆς σοφίας ἥτις ἐστὶν ἀπαύγασμα φωτὸς ἀιδίου.* Si idem Origenes appellet eum *antiquiſſimam creaturam*, explicandam ejus opinionem per alia ipſius verba, ubi eum *ἀγέννητον* & *primogenitum* omnis creatæ naturæ dicat ex lib. contr. Celſ. p. 287 L. 6. Fatetur quidem de *generatione Chriſti æterna*, eam comprehendi non poſſe, ſed addit, anguſtum no-

noſtrum intellectum non eſſe menſuram, qua id quod infinitum eſt, metiamur: æternitatem Dei quoque eſſe incomprehenſibilem, nec tamen propterea negandam. Cum Patres ſubinde durius hac de re loquantur, perutilem obſervationem adjicit Autor, eos fere omnes, cum de hoc venerabili myſterio dicendum ſit in genere, illud reverenter agnoſcere & divinitatem uniuscuiusque perſonæ S. S. Trinitatis verbis apertiſſimis declarare: ubi vero ad ſimilia & comparationes deſcendant, tunc plerumque in labyrinthos & errorum varios nexus implicari, cum ſimilitudines a finitis rebus petitæ infinitas res nunquam niſi imperfecte & obſcure, interdum & falſo, repræſentare ſoleant. Objicit & Whiſtono, Euſebium ab ipſo citari, qui generationem Chriſti ἀΐδιον, æternam prædicet: & dicat, Filium *ſemper ἄναρχον* h. e. ſine principio fuiſſe: *ſemper eum cum Patre & omni tempore antiquiorem fuiſſe: inde ab omnibus ſeculis principio & fine carentibus extitiſſe & cum Patre regnaſſe*; & Presbyteros Alexandrinos dixiſſe: *Deum ante æternitatem omnem ipſum genuiſſe*. Quæ quidem adeo clara ſint de æternitate, ut ineptiſſime a Whiſtono pervertantur ad exprimendum tantummodo tempus quoddam ante mundi initium: ineptiora vero adhuc eſſe, quæ idem Whiſtonus prodat, *nonnullos iſtorum Patrum vitio educationis in iſtum quoque fatalem de æternitate Filii errorem inductos eſſe*; ex Euſebio manifeſtum facit, eum Filio tribuere *nomen tetragrammaton*, ejusque textum pluribus locis a vitioſa Whiſtoni traductione purgat. Maximopere vero invehitur in Whiſtonum, quod audeat impudentiſſime pronuntiare: *ſacros ſcriptores nullibi intellectum noſtrum obruere abſoluta ejusmodi æternitate vel a parte ante* (ut ait) *vel a parte poſt, quam Scholaſtici commenti ſint*: monſtratque, ſi ne in Scripturis quidem plene & plane exprimatur *Æternitas a parte poſt*, jam immortalitatem omnem animarum peſſum ire, nec aut gaudia cœli aut tormenta inferni æternum duratura: & ſi nulla alia afferatur ratio, quam quod intellectus noſtri facultates ejusmodi æternitatis idea obruantur, illam *a parte poſt* haud dubie immerito ita culpari: multos enim impios adeo parum de morte cogitare, ut vel ſuſpicari liceat, eos æternæ cujusdam durationis ſpe hac quoque in vita teneri; extitiſſe vero etiam veterum Philoſophorum multos & hujus ſeculi atheos adhuc extare, qui terram ſemper duraturam ſibi fingant, adeoque vel *Materiæ* æternitatem a *parte poſt* tribuant. Paganorum quoque adducit teſtimonia Autor, Plutarchi, Platonis &c. qui fere in Moſis ſententiam de æternitate Dei pronuntiarint & Deum τὸ ἀεὶ ὄν h. e. qui ſemper ſit, & in quem nec *ante*, nec *poſt*, nec *nunc*, (quæ particulæ durationem in tempore exprimant) cadat, definiverint. Verum ſenſum Græc. vocabulorum *αἰώνιος*, *ἀΐδιος*, *συναΐδιος* præclare evolvit, tueturque uſitatum eorum ſignificatum *veræ æternitatis* contra varias Whiſtoni ludificationes. Atque inde contra eundem loca Prov. VIII, 4, 22, Col. I, 15 aliaque p. 77, 89, 91 & paſſim accurate vindicat. Denique Ill. Autor divinitatem Chriſti ulterius probat *1)* quod varia V. T. loca, quæ expreſſe de Deo lo-

quan-

quantur, a doctis Judæis Verbo Dei ὑποστατικῷ applicentur, qualia ſunt Deut. XXXIV, 4, 10, Exod. XIX, 3. XVII, 7, Gen. XXVIII, 20, 21, Jeſ. XLIII, 10. 2) Meſſiam, ut æternum Deum, prædici atque promitti, Gen. I, 26, ubi Euſebius H. E. p. 6 verba: *Faciamus hominem* Chriſto, Irenæus autem Filio & Spiritui S. ſimul arbitretur dici; Jeſ. XL, 9, LIV, 5, Exod. VI, 3. Jer. XXIII, 6 3) Judæos hanc de Meſſia ſuo concepiſſe opinionem, quod filius Dei, & ſic æqualis Deo futurus eſſet: idque apparere ex S. Pontificis quæſtione Matth. XXVI, 36: Esne tu *Chriſtus Filius Dei?* Luc. XXII, 69, 70. ex quo etiam pateat judicium extremum Meſſiæ tanquam Filio Dei a Judæis aſſignatum; Joh. XIX, 17, Joh. V, 18, Joh. X, 30, 33, Joh. I, 45, ubi Nathanael eum, poſtquam pro Meſſia agnovit, Filium Dei ſtatim ſalutat; Joh. XI, 27, ubi Martha inquit: *Tu Chriſtus Filius Dei es, qui in mundum venire debuit*; Matth. XVI, 16. Si locus Joh. VII, 27 objiciatur: *Cum Meſſias venerit, nemo ſciet unde ſit*, de generatione hoc ejus æterna tanquam *Filii Dei* accipi debere, Jeſ. LIII, 8, Act. VIII, 3, tanquam Meſſiam enim ut hominem compariturum e. m & ex ſemine David oriturum, compertum ſatis fuiſſe, Act. VIII, 42 & Matth. XXII, 42. conf. Joh. XII, 34, Pſ. CX, 4. 4) Scripturam N. T. expreſſe Salvatorem noſtrum Deum ſenſu excellentiſſimo & ſummo appellare, Matth I, 23, Jeſ VII, 14, Immanuel, Luc. II, 11, Chriſtum Dominum, Matth. III, 16, 17, XVII, 5, Joh. IV, 26, IX, 35, VIII, 12, Lumen mundi, eo ſenſu quo Deus ita appelletur, 1 Joh. I, 5, Joh. VI, 38, 33, Joh. XVI, 28, 29, 30, VIII, 24, 28, 58, conf. Exod. III, 14, Deut. XXXII, 39, &c. Col. I, 19, Joh. I, 14, 2 Pet. III, 12. Phil. II, 6, ubi optime notatur ab Autore, ſi forma Dei tantum per ſimilitudinem quandam explicari debeat, formam quoque ſervi non verum hominem, ſed tantum ſimilitudinem quandam & apparentiam ſignificaturam, quod ſit abſurdum; Rom. I, 20, 1 Cor. VIII, 6, Rom. XI, 36, Col. II, 9, Rom. IX, 5, quo loco inepte pro τῶ ὁ ὢν, quod eſt in textu, & ſecundum ordinem cohærentiamque aliter fluere haud poteſt, τὸ ἴσω a nonnullis Trinitatis hoſtibus ſubſtitui monet; 1 Joh. I, 5 cum Joh. I, 9 & VIII, 12, 1 Tim. II, 15, Apoc. XVII, 14, XIX, 20, Act. XX, 28, Ebr. XIII, 8. Fides quoque in Chriſtum, adoratio Chriſti, preces ad Chriſtum &c. divinitatem ejus recte demonſtrare probantur.

Errata:

In Actis 1721 pag. 271 lin. 5 pro *algebraicum* leg. *algebraicarum*. Ibid. lin 7 a fine pro *aliquo* lege *obliquo*. In Actis 1718 pag. 459 lin. 11. 12, 13, 14. Hic quædam verba a Typotheta omiſſa pervertunt ſenſum: Ubi enim legitur, *Conſtat, corpus hoc motum in circulo horizontali, cujus radius = 2a, habiturum vim centrifugam æqualem illi, quam voco normalem corporis projecti, quæ reperitur faciendo* &c. inter voces *æqualem* & *illi* reſtituentur omiſſæ hæ *vi ſui ponderis & comparandam;* legatur itaque hunc in modum, *Conſtat, corpus hoc motum in circulo horizontali, cujus radius = 2a, habiturum vim centrifugam æqualem vi ſui ponderis & comparandam illi, quam voco normalem corporis projecti, quæ reperitur faciendo* &c.

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII Sect. III.

CLEMENTIS UNDECIMI PONTIFICIS Maximi Orationes Conſiſtoriales.

Romæ, apud Jo. Mariam Salvioni, ſuperiorum permiſſu, 1722, f. Alph. 3 pl. 8.

SPlendidum opus allegamus, quod ad typos, chartas, & ornamenta æri inciſa attinet, ſplendidius, ſi Autorem intueris, Pontificem Maximum, quem, poſt juventutem in litteris tritam, poſt ætatem adultam in uſu rerum, & negotiorum eccleſiaſticorum adminiſtratione exactam, fata nondum ſenem in Pontificio faſtigio collocarunt, & in eo ultra vicennium inuſitata felicitate commorari ſiverunt, quam provinciam temporibus ſane dubiis & ancipitibus quam multa virtute & gravitate adminiſtraverit, res ab ipſo geſtæ ſatis loquuntur. Noſtrum eſt inſpicere quid dixerit, poſtquam ejus ex fratre nepotis, Annibalis S. Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalis *Albani*, Romanæ Eccleſiæ Camerarii, beneficio ea nunc verba legere eſt, typis excuſa, quæ diſertiſſimus Papa per omne ſui Pontificatus tempus in Secretis Conſiſtoriis ad Venerabiles Fratres fecit. Continet hoc Orationum Conſiſtorialium Volumen, ut Cardinalis Albani in Præfatione, qua opus Innocentio XIII dedicat, verba repetamus, *ſinceram genuinamque Prædeceſſoris Imaginem*; qua in re, ſi forte fallitur Nepos, ſi Patruus eam aliquando aliter expreſſit, quam fuit; jucundum tamen eſt noſcere, qualis tan-

tus Pontifex videri, qualis haberi maluerit. Eloquentiam, pu-
ritatem, in dicendo dignitatem, gravitatem Pontificiam, &
quidquid ad decus & majeſtatem tanti Oratoris pertinet, ubique
elucere, nec poterit negari ab hoſte. Sed meretur Pontifex, ut
ipſum paulo curioſius, & in iis etiam, quæ ex Sectæ ſuæ placitis
concionatur, patienter audiamus.

p. 1. Orationum ſunt quatuor & nonaginta. I Cardinalium
1700. 15 Collegio de ſua in Pontificem electione gratias agit. II Obitum
Dec. Caroli II Hiſpaniarum Regis Catholici commemorat, graviſſi-
p. 3. mum ſane caſum, ex quo orta ſunt atrocia illa bella, quæ Pontifi-
1701. 21 cem per omnem reliquam ætatem curis exercuerunt. III Con-
Febr. queritur, *Fridericum Marchionem Brandenburgenſem nomen &*
p. 6. *inſignia Regis Pruſſiæ, profano prorſus ac forte inaudito hactenus*
1701. 18 *apud Chriſtianos more, omni Eccleſiæ Dei autoritate contemta,*
April. *nec ſine gravi antiqui juris, quod in ea provincia ſacro & milita-*
ri Theutonicorum ordini competit, violatione, ſibi publice arro-
p. 20. *gaſſe.* V Obitum Jacobi II Magnæ Britanniæ Regis ſignificat,
1701. 3 laudes proſequitur. VII De Religionis Chriſtianæ in Sinarum
Octob. & Indiarum Regnis ſtatu, & de Carolo Thoma Maillardo Tour-
p. 16. nonio, Viſitatore Apoſtolico cum poteſtate Legati a latere,
1701. 5 quem Alexandrinum Patriacham creat, eo ablegando verba fa-
Dec. cit. X Iram divinam, cujus argumentum erat urbs proxima
p. 23. nocte ingenti terræ motu concuſſa, precibus placandam Cardi-
1702. 15 nalibus indicit. XI Quaſſata iterum vehementius urbe, cum
Jan. ipſe ſacris operaretur, *ut in memoria æterna ſit dies, qua cogi-*
p. 25. *tantem Dominum diſſipare murum filiæ Sion impavida precum*
19 Febr. *humilitate placarunt, ſingulis annis in feſto purificationis Beatiſſi-*
mæ Virginis Mariæ, abſoluto Sacro, quod ea die in Pontificia Cap-
pella de more peragitur, hymnum Te Deum laudamus perpetuo de-
cantari, ipſiusque feſti pervigilium in ejusdem Deiparæ obſequi-
um cum jejunio, dilectis Filiis Senatu Populoque Romano id
ipſum quam enixe expetentibus, perpetuo itidem in Alma Urbe
p. 29. *ſua ſervari vult ac præcipit.* XIII *Nuncio de obitu cla. me.*
1705. 18 *Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi allato, iisdem*
Maji. *plane verbis utitur, quibus Beatus olim Ambroſius ſuam in Theo-*
doſii Imperatoris funere exorſus eſt laudationem: Hoc nobis, *in-*
quit

quit ille, hoc nobis motus terrarum graves minabantur, quod
clementiſſimus Imperator exceſſurus eſſet e terris *Eam Chri-
ſtianæ Reipublicæ jacturam nuper nutante ſolo naturam ipſam
præſenſiſſe ait.* XVII Cardinales, ut pacis obtinendæ cauſa, Do- p. 39.
minum precibus adeant, emendatioreque vita propitium reddant 1706. 6
cohortatur, iis verbis, quæ Pontificiam gravitatem prorſus præ ſe Dec.
ferunt. *Agite*, inquit, *Venerabiles Fratres, opportuno hoc atque
acceptabili Dominici Adventus tempore, qui eſt multæ miſericor-
diæ omnibus invocantibus ſe, ſine intermiſſione obſecrate*, ut auf-
ferens bella usque ad finem terræ, arcum conterat, & confrin-
gat arma & ſcuta comburat igni; *in oratione*, *in lacrymis*, *in
jejuniis atque eleemoſynis ſcindite corda veſtra atque eſtote cæle-
ſtis iræ atque divinæ ultionis placamina. In omnibus, ut Apoſtolus
admonet, & Vos, miſerante Domino, facere conſueviſtis, præ-
bete vos ipſos exemplum bonorum operum; ſublimemque ac præ-
clarum locum, quem in Catholica Eccleſia obtinetis, eximia-
rum virtutum ſplendore illuſtrare pergite. Enixe vobis potiſſi-
mum commendamus, ut vigilem domeſticorum veſtrorum curam
habeatis, quorum aliquando vitiis ipſa dominorum virtus obnubi-
latur. Illos proinde ita regite atque inſtruite, ut in omnibus ſuis
actibus nil, niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe fe-
rant; ab iis porro, quos ex illis in ſortem Domini vocatos eſſe con-
tigerit, exacte adeo ac fideliter Sanctionem illam, quam pro veteri
Clericalis habitus diſciplina inſtauranda, ac abuſibus, qui hac in
re deplorandum in modum irrepſerunt, tollendis propediem evul-
gari curabimus, obſervari ſtudete;* ut per decentiam habitus ex-
trinſeci, *(Concilii Tridentini verbis loquimur)* morum honeſta-
tem intrinſecam oſtendant, aliisque exemplo eſſe poſſint, ſicut
decet Miniſtros Myſteriorum Dei. *Splendor Veſter facit, Vene-
rabiles Fratres, ut peccare ſine ſummo Reipublicæ detrimento ac
periculo non poſſitis. Ab iis quippe, quibus plus datum eſt, plus
etiam requiretur.* Vos eſtis lux mundi & civitas ſuper montem p. 45.
poſita: *in quos ex univerſa Eccleſia Populi, tanquam in Specu- 1707. 8
lum, oculos ſuos conjiciunt; neceſſe ergo eſt, ut ex Vobis habeant, Jun.
quod imitentur.* XIX Narrat, quomodo auctoritati ſedis Pon- 58.
tificiæ in cauſa electionis Monaſterienſis ſatisfactum ſit. XXIII 1709. 19
Significat Cardinalibus, Franciſcum Mariam Mediceum purpu- Jan.

ram ſponte poſiturum, quod quibus ritibus fieri ſoleat, ibidem
traditur. Nos id per Procuratorem Vincentium Amadorium de
Manieris Signaturæ Juſtitiæ Votantem factum, literis tamen Car-
dinalis ſeſe abdicantis & Pontifici & Purpuratorum Patrum colle-
gio ſimul oblatis, & poſt ceſſionem Cardinalatus admiſſam, Pon-
tifici Galerum Cardinalitium ſuper Pollubrum argenteum a
Procuratore oblatum, a Cerimoniarum Magiſtro receptum, no-
p. 71. tamus. XXVII Se Carolum Imperatoris fratrem pro Rege Hi-
1709. 14 ſpaniarum Catholico agniturum, indicat, ſed ad normam Cle-
Octob. mentinæ in Concilio Viennenſi editæ, *qua cautum fuit, quod ſi
quem ſummus Pontifex ſub titulo cujuslibet dignitatis ex certa
ſcientia, verbo, conſtitutione vel litteris nominet, honoret, ſeu quo-
vis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipſum approbare*
p. 76. *non intelligatur, aut quicquam ei tribuere novi juris.* XXX Ec-
1710. 7 cleſiis Polonicis Antiſtites ſe daturos pollicetur, & docet, quam
Maji. diligenter Annibal Albanus Regem urſerit, *ut conſilium ineat
adjungendi quamprimum principi ejus nato pios ac probos Viros,
qui illum orthodoxæ religionis præceptis ac ritibus imbuant.*
p. 81. XXXI Nunciat purpurato Collegio, *dilectum filium, Nobilem Vi-
1710. 19 rum Antonium Ulricum Ducem Brunſuicenſem & Lunæburgen-
Maji. ſem, inclytæ ſuæ ſtirpis longe omnium Principem & Caput, magno
non tam annorum, quam ſingularium animi dotium numero ſpe-
ctabilem ſenem, ob illuſtria Regiarum affinitatum decora præcla-
rum, ob excelſæ ac non vulgariter eruditæ mentis ornamenta præ-
ſtantem, nullo præcipitis conſilii incitamento commotum, nulla in-
genii levitate ſive inconſtantia impulſum, nulla temporalis ſui
commodi illecebra illectum: poſt diuturnam complurium anno-
rum deliberationem, poſt prævisam ingruentium ſibi diſcrimi-
num ac moleſtiarum graviſſimum cumulum, ſola agnitæ veritatis
ratione excitatum, ſola ſupernæ gratiæ illuſtratione perfuſum, ſolo
demum animæ ſuæ ſalutis deſiderio incenſum, Lutheranæ hæreſe-
in qua natus & educatus fuerat, erroribus ejuratis, Catholicam*
p. 129. *religionem ac fidem amplexum fuiſſe.* XLVIII Franciſcum Lu-
1712. 5. dovicum ex Comitibus Palatinis Rheni Epiſcopum electum
Octob. Wormatienſem, Adminiſtratorem Eccleſiæ Uratislavienſis nec
non Theutonicæ militiæ Magnum Magiſtrum, Coadjutorem
con-

conſtituit Archiepiſcopo Moguntino, ſed qua lege, intelligere operæ eſt pretium. *Curavimus per eum*, inquit Clemens, *qui Archiepiſcopo Moguntino dandus erit Coadjutor, literas ad nos ſcribi, quibus poſtquam ad ſui favorem factus fuerit locus ſucceſſioni in regimine Eccleſiæ Moguntinæ, omnis honoris ac reverentiæ ſignificationes noſtris & Apoſtolicæ ſedis nunciis ſive ordinariis ſive extraordinariis quandocunque & ubicunque juxta antiquum morem ſe exhibiturum & delaturum eſſe ſpondeat, tam expreſſis ac diſertis verbis, ut omni prorſus ambiguitate ſublata, nihil jam ejuſmodi in re nobis deſiderandum ſuperſit. Indicabunt profecto hæ literæ, quid etiam ab aliis, quos Eccleſiis pari Electoralis S. R. I. Principatus prærogativa gaudentibus de cætero præfici continget, ſimiliter præſtari debeat. Nec alias de illius tam diu petita deputatione in Coadjutorem Archiepiſcopi Moguntini agi permiſimus, niſi prius accepto ejus reſponſo, quo ea omnia, quæ tum in Pactionibus* (Altranſtadenſibus) *tum in Receſſu* (Religionis A. 1705 in Palatinatu edito) *præfatis Apoſtolica cenſura judicii confiximus, ita ſe habiturum eſſe aperte declararet, perinde ac ſi nunquam emanaſſent, ac inſuper ſe enixe curaturum eſſe ſponderet, ut illa in Wormatienſi ac Vratislavienſi reſpective diœceſibus ſibi commiſſis omni prorſus effectu de cetero carerent.*
Quinquageſimæ orationis loco narrantur, quæ in Conſiſtorio p. 139.
ſecreto 28 Aprilis 1713 habito geſta ſunt. Ea nempe die Samuel Capaſulis, Patriarcha Alexandrinus ritus Græci, a Coſma quodam Epiſcopo iſtam Ægypti ſedem ambiente oppreſſus fere, & poſt magnam pecuniæ vim, jus ſuum tuendi cauſa in avidiſſimos Turcarum magiſtratus erogatam atque effuſam, valde obæratus, per Joannem Joſephum Mazet, ordinis fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum Profeſſorem & in Terra S. Miſſionarium, fidem Græcam ſolenniter ejuravit, ubi & literæ Capaſulis, & ejurationis formula, & quæ Clemens XI in tam ſplendida Panegyri locutus eſt, præ ceteris legi me-
rentur. LI Idem Pontifex eccleſiæ Tornacenſi, ceſſante ite- p. 157.
rum Indulto Chriſtianiſſimis Regibus a Clemente IX conceſſo, E- 1713.
piſcopum dat Joannem Erneſtum ex Comitibus a Lowenſtein. 22 Maji.
LIV Marchioni de Prié, Oratori Cæſareo, literas Caroli Impera-

p. 165. toris, ut inſcriptio habet, *Beatiſſimo in Chriſto Patri Domino*
A. 1714. *Clementi XI, divina providentia ſanctæ Romanæ ac Univerſalis*
16 Februar. *Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino Reverendiſſimo*, ſcriptas, offeren-
ti, & *omnem obſervantiam & filialis amoris affectum* ſponden-
p. 171. ti reſpondet. LVI Antonii Ulrici Ducis Brunſuicenſis & Lu-
A. 1714. næburgenſis obitum Cardinalibus nuntiat, & ejus animæ refrige-
7 Maji. rium publicis Exequiis in Eccleſia Collegii de Propaganda fide
p. 180. comparari mandat. LX Pontifex ſuam de Badenſi pace dicit
A. 1715. ſententiam, & uti lætatur, in tertio ac decimo illius pacis capiti-
21 Januar. bus Riswicenſem firmari, Electores Bavarum & imprimis Co-
lonienſem in integrum reſtitui, huic etiam Hildeſienſis Epiſcopa-
tus poſſeſſionem promitti, & articulo 27 caveri, *ut in locis Bel-
gii, quæ a Rege Chriſtianiſſimo Imperatori Electo ceduntur, o-
mnia, quæ Religionem Catholicam concernunt, immutata cuſto-
diantur*; ita dolet, Pacem Weſtphalicam, non ſemel ab Apo-
ſtolica ſede damnatam & reprobatam, fundamenti loco poni,
Ducem Hannoveranum pro Electore, Marchionem Branden-
burgenſem pro Rege haberi, articulo 25 caveri, *ut nihil ratione
fructuum aut proventuum* (etiam ex bonis Eccleſiaſticis) *perce-
ptorum & tempore præteriti belli usque ad diem publicationis
tractatus Radſtadienſis ceſſorum petere poſſint*, denique de Sici-
liæ utriusque regno, *absque ulla Pontificii aſſenſus præſervatio-*
p. 201. *ne*, conſtitui. LXVI Obitum Chriſtianiſſimi Regis Ludovici
A. 1715. XIV iis verbis nunciat, ut facile cuilibet conſtare poſſit, ea ex
23 Sept. intimo Pontificiæ caritatis ſenſu eſſe profecta. LXXX *Ex cla-*
p. 243. *riſſima domo Saxonica Principem Regis filium, Cardinalis et-*
A. 1717. *iam de Saxonia Germanum fratrem natu majorem, ejusque ex*
11 Octobr. *altero fratre nepotem ad agnitionem veritatis adductos*, ait,
ubi ſimul *Cardinalis Albani*, ſui & Nepotis & ea tempeſtate *in
Germania Legati, rogatu Eccleſiam in civitate Lipſiæ ad uſum
Catholicorum in illa degentium apertam*, magnam vero in Sere-
niſſimo Principe Eccleſiæ ſuæ acceſſionem, *Bononiæ in mani-
bus Joannis Baptiſtæ Salerni, Societatis Jeſu Presbyteri*, *coram
Laurentio S. R. E. Cardinali Caſono tum Bononiæ ſuo & Apoſto-
licæ Sedis Legato, ac uno ex Cardinalibus in tota republica Chri-
ſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus*,

ab

Digitized by Google

ab eadem ſede ſpecialiter Deputatis, die XXVII Novembris anni MDCCXII factam narrat. LXXXV Ambigi monet Pontifex, p. 258.
an Conſtitutione Pauli IV, qua ſancitur, *Decanatum Collegii* A. 1719.
Cardinalium non niſi ad Epiſcopum Cardinalem antiquiorem 26 April.
in Romana Curia præſentem, aut ex cauſa publica abſentem, atque extra eandem curiam per Romanum Pontificem deſtinatum, devenire poſſe; an, inquam, illa Conſtitutione *comprehenderentur, an potius excluderentur Cardinales promotione antiquiores, qui incidente ejusdem Decanatus vacatione ab eadem quidem Curia abſuerint, ſed apud illas Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias reſederint, quibus eos una cum aliqua ex iis Cathedralibus Eccleſiis, quæ ipſis Cardinalibus antiquioribus pro ſuis titulis ſeu dominationibus aſſignari ſolent, præeſſe contigerit*, quæ lis equidem tunc ſpontanea juris ſui, quod habere videbatur, remiſſione a Cardinale Urſino ſopita eſt, Decanatu in Aſtallium Cardinalem collato. LXXXVI Mediobarbum, p. 261.
Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate Legati a latere per Luſi- A. 1719.
taniam, ad Sinas proficiſci jubet, hoc autem iter per Luſitaniam, 28 Sept.
non ex neceſſitate quadam, ſed liberrimo ſuo juſſu a Legato ſuſcipi, multis verbis monet atque inculcat. XCIV, quæ ultima p. 289.
eſt, docet, litem de Decanatu exortam eſſe veterem, aliamque A. 1721.
novam Cardinales Tanarium inter & Judicem, illum antiquio- 3 Maji.
rem Epiſcopum, juniorem Cardinalem; hunc juniorem Epiſcopum, antiquiorem Cardinalem, & quid in veteri lite a ſeptem Prælatis decretum ſit, prælegi curat.

Attigimus potiora, quæ ad nos propius attinere videbantur, ea fide, quam res ipſa exigit, ea verecundia, ut ſperamus, quam illis, qui dixit, & de quibus dictum eſt, debemus, & ipſis plerumque Pontificis verbis, in eorum maxime gratiam, qui ipſum librum manibus verſare non poterunt. Cui dabitur integrum perlegere, ille id cum voluptate faciet & multa alia ad interiorem Hierarchiæ Pontificiæ cognitionem pertinentia diſcet. Gratias debemus Cardinali Albano, qui poſthuma in Patruum pietate incenſus, liberali ſimul in omnes beneficio, quemcunque Latinæ linguæ non expertem in ſecretius Pontificis Conſiſtorium admiſit: num omnes dederit Clementinas, num

pror-

prorſus tales, uti ab Oratore recitata ſunt, non definimus. Dubitare facit p. 91, ubi exempla ſciſſa habent nonnulla, quæ in iterato expreſſis non leguntur. Noſtrum eſt, pro diligenti opera, quam huic libro navavimus, doctos viros de hac re monere; vulgare ea, quæ Romæ vulgari, quamvis minus caute, voluerunt, religioni nobis ducimus.

ANNALES TYPOGRAPHICI AB ANNO MD ad annum MDXXXVI continuati. Opera MICH. MAITTAIRE, A.M.

Tomi ſecundi Pars prior & poſterior.

Hagæ Comitum, apud Fratres Vaillant & Nic. Prevoſt, 1722, 4.
Alph. 4 plag. 18.

SI primus horum Annalium Tomus, cujus in noſtris Actis A. 1719 facta eſt mentio, ſuo jure meruit, ut a peritis rerum æſtimatoribus vehementer probaretur, fatendum profecto eſt, hunc alterum Tomum, ſive rerum pertractatarum varietatem ac jucunditatem, ſive accuratam nobiliſſimi Autoris diligentiam conſideres, nihilo minori laude atque applauſu dignum eſſe. XXXVI annorum tempus complectitur, ſcilicet a ſeculi ſexti decimi initio ad obitum magni Eraſmi, cujus vita complures libri paginas implevit, ob frequentes neceſſariasque, quæ ipſi per totum ætatis ſtadium cum eruditis variorum locorum Typographis interceſſerunt, conſuetudines. Quamvis enim, cum prius Volumen quinquaginta circiter annorum ſpatium comprehendat, eundum huic quoque numerum deſtinaviſſet doctiſſimus Maittaire, atque adeo Catalogos ſuos ad medium usque ſeculi tempus continuare decreviſſet; tamen ſentiens, chartarum molem jam plus, quam a principio inſtituerat, intumuiſſe, ac lectori longius forſan (ut ipſe ſubvereretur) iſtius materiæ tædium faſtidienti, ſibique ex crambe hac cocta ac recocta pæne nauſeanti, aliquod reſpirandi ſpatium daturus, continuit calamum, voluitque, hunc ſecundum ſuarum lucubrationum Tomum

Tomum intra tempus, de quo diximus, conſiſtere. Diviſit eum in partes duas, quarum altera res typographicas annorum XX, altera annorum XVI perſequitur. In utraque doctiſſimorum iſtius ætatis virorum, rerumque ad illos pertinentium, frequens occurrit mentio. Ea enim tunc erant plerique Typographi eruditione, ut ſua non ſolum edendis doctorum hominum operibus commodarent prela, ſed ab iiſdem etiam in familiaritatem conſuetudinemque ultro reciperentur. Quo factum eſt, ut illorum hiſtoriam contexens Cl. Autor etiam horum ex magna parte vitas deſcribere cogeretur. Frequenter, quas ad ſe invicem de literariis rebus dederunt eruditi, litteræ fuerunt admiſcendæ; mutuumque iſtud commercium his Annalibus multam & elegantiorum rerum intulit farraginem, quæ omitti ſine operis ipſius detrimento haudquaquam potuit. Quod ad inſertos librorum Catalogos pertinet, non vult expectari Noſter perfectum omnium, qui ubique ab omnibus excuſi prodierunt, Codicum Indicem: in quo abſolvendo opere ſcriptorem (ſi quis reperiri poſſit, cui cunctas & publicas & privatas Bibliothecas in toto terrarum orbe diſperſas attentiſſime evolvere licuiſſet,) tempus, charta, patientia, neceſſario deficerent. *Novi, eruditis cauſam fore conquerendi*, inquit, *multas imo & præcipuas notabilesque a me editiones fuiſſe prætermiſſas: ſed hanc materiam exhauriendi, vix ullarum, pro dignitate aliquatenus ornandi, non mearum eſt virium. Neceſſariam harum rerum cognitionem mihi non permiſit ignobilis meæ vitæ obſcuritas, nulla in exteris (quod ſemper percupivi & adhuc percupio) regionibus peregrinandi occaſio, & non ſatis liber & frequens Bibliothecarum inſigniorum aditus.* Quemadmodum vero ſpem ſibi facit certiſſimam, inventum iri a Lectore poſt annum quingenteſimum ſupra milleſimum Typographos, quorum gratia hoc alterum Annalium Volumen non minus quam prius gratum fuerit: ita multos, præſertim in Anglia, editionum vetuſtiſſimarum ſeculi XV nimia admiratione captos eſſe, ingenue atque libere fatetur. *Ex quo*, ait, *antiquariæ illæ editionum merces requiri ubique, & Soſiis merere æra cœperunt, tanta tranſit mare huc ad nos advecta earum ſeges, adeo*

O *nullus*

nullus vel intimus non penetratur angulus, nulla non perreptantur taberna, plateæ, gymnaſia, latebræ, tot in lucem protrahuntur hactenus incognita volumina, pleraque vermiculorum dentes paſſa, carioſa, interlinearibus gloſſis oblitterata, ſola vetuſtate ſpectabilia; tot, inquam, quotidie confluunt, ut, absque pretio eſſet, (quod, cum & ratione & fide majus nec modum nec fines certos norit, emptores non, niſi marſupiis bene nummatis onuſtos admittit,) metuendi foret cauſa, ne rurſus evileſcerent, & ad antiquum pretium recidentes ad pauperiorum etiam Scholaſticorum forulos pervenirent. Non autem id ago, ut antiquitatem impotens oblatrem, meque opinioni receptæ, magiſtelli inſtar ineptientis, opponam, ac honorem vetuſtatis autoritati debitum elevem. Contendo nihilominus, his ut & aliis rebus, pretii plus nimio ſtatui poſſe; ideoque id intra quosdam limites eſſe coercendum, nec arbitrio quorundam, qui nil aliud quam lucrum ſpectant, Bibliopolarum permittendum. Hæc nobiliſſimus Maittaire; cujus diligentiamne magis collaudes, an ſuſpicias eruditionem, an denique ames modeſtiam & candorem, difficile eſt judicare. De cetero præterire non poſſumus, quin paucis verbis mentionem faciamus epiſtolæ Jo. Tolandi ad Hug. Wrotteslejum, quam huic alteri ſuorum Annalium Tomo præmiſit clar. Autor. Agitur ibi de prima Typographiæ inventione, eademque negatur ad Europæos perveniſſe a Sinis, quippe cum horum imprimendi ratio, ut antiquiſſima, ita a noſtra prorſus aliena, & Cholcographiæ quam Typographiæ ſimilior ſit. Perquam vero probabile exiſtimatur, primam ideam, quæ inventori Typographiæ ſeſe obtulit, e Cicerone hauſtam eſſe. Locus, qui huc ſpectat, reperitur lib. II cap. 20 de Nat. Deorum, ubi Balbus Stoicus contra Vellejum Epicureum ſequentibus argumentatur verbis: Hic ego non mirer, eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quædam ſolida atque individua vi & gravitate ferri; mundumque effici ornatiſſimum & pulcherrimum ex eorum concurſione fortuita? Hoc qui exiſtimet fieri potuiſſe, non intelligo cur non idem putet, ſi *innumerabiles unius & viginti formæ litterarum (vel aureæ vel quales libet)* aliquo conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis Annales Ennii, ut deinceps legi poſſint,

poſſint, effici: quod neſcio anne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna. Ipſa denique locutio, *imprimendi litteras* apud Tullium occurrit lib. I de Divin. cap. 13. Sed minime timendum eſt cum Celeb. Petro Leſcaloperio, ne ex hujusmodi locis adoleſcentes ſibi perſuadeant, cognitam fuiſſe Romanis typographiam: cum inde ſolum modo concludendum ſit, quod, ſi hujus inventi ſuggeſtio ab ullo antiquorum manaverit, ea Ciceroni imprimis tribuenda videatur.

REMARKS UPON NAZARENUS &c.

id eſt,

ANIMADVERSIONES IN NAZARENUM,

in quibus falſitas Evangelii Muhammedici & recenſionis, qua TOLANDUS Muhammedanorum de Chriſtiana religione opiniones exhibuit, oſtenditur; Autore THOMA MANGEY, LL. D. Rect. ad S. Nicol. in Guilford. & Capell. Epiſc. Londini.

Londini, apud Guil. & Joan. Innys, 1719, 8.
Plag. 17 & dimid.

TAntum abeſt, ut ea, quæ Cel. Tolandus, de cujus Nazareno diximus Supplem. Tom. VII Sect. 7, occaſione novi ſui Evangelii, Muhammedici quidem, cum orbe erudito communicavit, amicam quandam animorum conſenſionem reſtituerint, ut potius nova diſſenſionum ſemina ſparſerint ubique, Viroſque eruditos inter ipſos cives ejus contra illum excitaverint. Producimus jam in aciem contra illum Cl. Mangejum, qui priorem epiſtolam Tolandi de Evangelio Muhammedico & Muhammedanorum de Chriſtianiſmo & primæva Chriſtianiſmi facie judiciis in Animadverſionibus capp. XV exhibitis examini ſubjecit. Ea vero, quæ in alteram epiſtolam de MSto Hybernico quatuor Evangeliorum animadverti poſſent, exſpectare juſſit eruditos a Cl. Wanlejo in obſervationibus in MStum Hybernicum. Praef. p. 3. Inſcripſerat Tolandus libellum ſuum *Nazarenus*, quod primi & genuini Chriſtianiſmi ſectatores ſemet ipſos hoc nomine inſigniverint. Hac in re vero falli Tolandum æque ac Epiphanium

p. 6, 7. phanium Mangejus, Cap. II evincit oſtendens, Chriſtianos nunnunquam ſemetipſos hoc nomine appellaſſe, ſed hoc ipſis nomen æque ac Galilæorum a Judæis in contumeliam datum eſſe, cum prius fratres, diſcipuli, & ſi Chryſoſtomo fides, *οἱ τῆς ὁδοῦ*
9. viri viæ dicerentur. Quod ſi vero ſectæ ſuæ nomine frontem libelli ſui exornare Tolandus voluiſſet, porro obſervat Mangejus, non Nazareni, ſed Nazaræi nomen inſcribendum fuiſſe, cum illud civem urbis Nazareth, hoc vero ab aliis ſeparatum, & Deo ſanctificatum notet. Hoc vero nomen hæreticos ceremonias legales fidei Chriſtianæ adjungentes, ut peculiaris ſanctitatis titulum affectarent, ſibi arrogaſſe credit. Dixerat Tolandus præfat. Nazareni ſui p. 2, teſtimoniis omni exceptione majoribus a ſe demonſtratum eſſe, priſcos ſcriptores Eccleſiaſticos Evangelium quoddam Barnabæ vindicare. Opponitur illi ſilentium
p. 12. 13. omnium veterum patrum, ſola autoritate relicta, quæ illi ex decreto Papæ Gelaſii ſec. V, ſi vera fabula, enato, veteribus ante ſec. IX non allegato, & manifeſtæ *νοθείας* propter ſcripta
14. ipſo decreto recentiora allegata ſuſpecto, vindicari poſſet. Ipſe vero Mangejus fabulam de Evangelio, cujus Autor ſit Barnabas, ex eo ortam, ingenioſe ſuſpicatur, quod Theodorus, Nicephorus, & Sigebertus referant, reliquias Barnabæ in Inſula Cypro repertas; ſimulque Evangelium Matthæi a Barnaba deſcriptum pectori ejus ſuperimpoſitum, inventum narrent, quod cum a Barnaba deſcriptum dicatur, eodem modo alios, ut Ludov. Vivem not. in Aug. de C. D. in errorem inducere potuit, ut Barnabam Autorem alicujus Evangelii crediderint. Autoritate Ev-
16. angelio Barnabæ conciliata, Cap. IV eandem translationi Italicæ Evangelii Muhammedici a ſe inventæ vindicare ſategerat Tolandus. Poterat vero illum ab hac opinione avertere totum argumentum Evangelii, in divinitatem, mortem & reſurrectionem Chriſti, nec non *θεοπνευστίαν* Pauli injurium, præterea vero ad-
18. verſum prorſus doctrinæ epiſtolæ Barnabæ, quæ extat. Verum epiſtolam hanc, quæ in Græco adhuc extat, teſtimoniis Tertulliani, Origenis, & Hieronymi comprobatam, quæque tot loca totidem verbis, quibus ea citat Clemens Alexandrinus, exhibet, ſpuriam eſſe vult Tolandus, ut Evangelio antea prorſus in-

inaudito autoritatem conciliet, cujus tamen ſola aliqua translatio barbara in linguam recentiorem, quæ annos trecentos vix ſupergrediatur, extet, in qua tandem portiunculam invenerit, ab ipſo tamen ne quidem verbis Evangelii exhibitam, ſed parallelam ſententiæ a MSSto quodam Barocciano allegatæ. Cap. V p. 24.
negat Mangejus contra Tolandum, Chriſtianos in eo conſentire, quod quinque ſint inſtituta divinitus orbi revelata, probatque teſtimoniis Irenæi, & Methodii, quod ipſi quatuor, ſub Noacho, Abrahamo, Moſe & Chriſto recenſeant, Muhammedanis longe aliter horum inſtitutorum Autores recenſentibus. Porro o- 28.
ſtendit Mangejus, quod Turcæ Evangelio, licet illud cœlitus quidem ad Jeſum miſſum credant, nec autoritatem tribuant, nec teſtimonia ex illo producant, nec ut librum ſacrum legant, multo minus quatuor Evangelia præ aliis libris recipiant. Oſtendit etiam, quod nullum Evangelium Barnabæ Turcæ adſcribant, cum ſolum Jeſum ejus Autorem credant. Oſtendit, Tolandum 29. 30.
in eo quoque falli, quod ſibi quidem perſuadere videatur ea, quæ Muhammedani de Chriſto habent, ex exemplaribus Evangeliorum, quæ a noſtris diverſa fuerint, depromta fuiſſe, cum & ſententiæ & phraſes oſtendant, eſſe illa ex noſtris, prout a Neſtorianis, aliisque in Arabia hæreticis expoſita fuere. Ea, quæ Tolandus hiſtoriæ de Sergio Monacho opponit, non contra rem, ſed contra nomen Sergii a recentioribus adinventi diſputa- 35.
ri notat. Cap. VI Genealogiam Chriſti apud Matthæum contra Tolandi ſuſpicionem autoritate antiquiſſimorum codd. & verſionum, teſtimonio Africani apud Euſeb. confeſſione denique Cerinthi, & Carpocratis, hæreticorum ſec. I ad hanc Matthæi Genealogiam provocantium, defendit. Neque vero ex eo, quod hæc genealogia in Evangelio Nazaræorum, & MSSto Hibernico non extet, eidem ſuſpicionem moveri poſſe oſtendit, cum Evangelium Nazaræorum non ſit Matthæi Evangelium, MSStum vero Hybernicum ſingulare, nec tantæ antiquitatis, contra codd. conſenſionem nihil evincere poſſit. Idem notat, Muhammedanos Evangelium noſtrum Joh. XVI in voce παράκλητος male corruptionis arguere, cum vox ab ipſis ſubſtituta περίκλυτος nec Scripturæ vox ſit, nec ſenſum vocis Arabicæ Muhammed

exprimat. Hac occaſione integritatem Scripturæ tum Vet. tum
N. T. vindicat Mangejus: negat, dari variantes lectiones, quæ
ipſam religionis noſtræ doctrinam corrumpant. Siquidem cor-
p. 38. ruptioni librorum N. T. obſtitit exemplarium a primo ſtatim
ſcriptionis tempore in omnes terræ partes diſperſio, publica ejus-
dem in Eccleſia lectio, ſtudium denique hæreticorum hanc ma-
40. culam orthodoxis, ſi potuiſſent, adſpergendi. Integritatis con-
tra indicia ſunt doctrinarum conſenſio, & frequens earundem in
variis locis repetitio; mutatio ſi qua facta eſſet, in illis locis fa-
cta eſſet, quæ vel ad rationem vel ad affectus accommodanda
magis videri poterant, quod tamen factum non eſt. Quæ-
dam vero lectionum varietas ſingulari Dei providentia non om-
nino impedita eſt, cum ejusdem doctrinæ alibi facta repetitio ge-
nuinum ſenſum ſatis nos edocere poſſit. De Chriſtianiſmo Mu-
hammedico dum agit Cap. VII Mangejus, concedit, Tolandum
49. hic quidem ea commemorare, quæ in ſectatores Alcorani com-
50. petant, obſervat tamen, Sociniſmum hoc nomine abs eo egre-
gie commendari potuiſſe. Provocat ea propter ad epiſtolam
quandam Socinianorum A. 1682 ad Imperatoris Maroccani
nuntium exaratam, a Leslæo in controverſ. Socin. exhibitam,
46. qua, ſi genuina epiſtola eſt, Sociniani Turcas pugnæ pro ve-
ritate ſocios dixerint. Ipſe vero docet, Muhammediſmum
44. complecti partim reliquias ſuperſtitionis Arabum, partim opi-
niones hæreticorum in Arabia maxime errores ſuos diſſeminan-
tium. Hi vero in eo potiſſimum conſenſerant, ut divinitatem
Chriſti impugnarent, hinc & eædem Muhammedis blaſphemiæ:
Chriſtum ſervum ſimilem aliis ſervis, nec ſua virtute miracula
feciſſe, nec Deum filium habere: hinc ille Chriſtianos divinita-
tis Chriſti & trinitatis confeſſores damnat, alios vero qui Chri-
ſti nempe divinitatem negant, Cap. V Alcorani abſolvit. Ex
quo patet, tantum abeſſe, ut nomen Chriſtianiſmi ulla ratione
Muhammediſmo vindicari poſſit, ut potius ſententiarum, quæ
fundamentalibus fidei noſtræ capitibus opponuntur, farrago
Mumammediſmus dicendus ſit. Porro Nazaræorum ſeu Ebio-
56. nitarum res Cap. VIII excutitur. Negatur contra Tolandum,
Ebionitas quaſi אביונים a paupertate dictos, oſtenditur ve-
terum

terum teſtimoniis allegatis, extitiſſe Ebionem Hæreſiarcham, neque illud Origenem & Euſebium negaſſe, etſi hoc nomine ad vocem Hebraicam, quæ paupertaten notat, alludi crediderint. Hæc vero alluſio etiam non ſatis commoda judicatur, quod non ſit ex lingua Syriaca tum vernacula petita, nec evangelicam paupertatem ſignificet. Obſervatur de his Ebionitis, quod non p. 57. 58. tantum in Paulum Apoſtolum, ſed etiam in Redemtorem noſtrum J. C. quam maxime fuerint injurii, dum divinitatem ejus omnes negaverint, etſi quidam ex illis nativitatem ejus miraculoſam ex Maria virgine conceſſerint: notatur etiam, quod reliquos libros Canonicos faſtidiverint, Evangelium quoddam Matthæi Hebraicum ſe ſequi prætexentes, quod tamen a noſtro Matthæi Evangelio diverſum eſſe oſtenditur. Adſtruitur contra Tolandum, quod Nazaræi & Ebionitæ non modo Chriſtianis ex Judæis, ſed & ex gentibus converſis jugum legis Moſaicæ tanquam ad ſalutem neceſſariæ imponere tentaverint. 54. Quod dum contra Tolandum evincit Mangejus, provocat partim ad defectum teſtimoniorum ex veteribus, quæ Tolando faveant, partim ad contrarium teſtimonium Auguſtini. Denique 59. quod Ebionitæ & Nazaræi non fuerint, quos primævos Chriſtianos dicere debebat Tolandus, ex eo demonſtratur, quod poſt excidium Hieroſolymæ, teſtibus Epiphanio, Euſebio in chronico, chronico Alexandrino & Theodoreto demum exorti fuerint. Cap. IX de abolitione ſucceſſiva legis Moſaicæ agitur. Conveniebat quidem praxis Apoſtolorum & Ebionitarum, in lege Moſaica obſervanda, ſi ad externam ſpeciem attendas, cauſæ & fundamenta vero multum diſcrepabant. Apoſtoli legem Moſai- 61. cam tanquam ceremoniam ἀδιάφορον ſuis temporibus tolerabant: Ebionitæ contra eandem tanquam rem ad ſalutem neceſſariam inculcabant. Scilicet lex Moſaica per gradus ad tantum faſtigium elevata erat, per gradus eadem abolenda erat. Quare Chriſtus quidem, etſi exemplo ſuo ad legem Moſis ſe componeret, eidem tamen ſua præcepta (inſtar novorum præceptorum a Mangejo habita) quæ Moſaica non obſcure abolerent, addebat. Tollebat ciborum diſtinctionem, redarguebat 64. praxin divortiorum Judæis receptam, legem denique & Prophetas

phetas usque ad tempora Johannis, i. e. initia Evangelii de re-
gno cœlorum valere, expreſſe docebat, etſi nec diſcipuli hæc ſa-
p. 65. tis intelligerent, nec ipſe praxes Moſaicas ſuo tempore tolleret.
Factum hoc exiſtimat Mangejus, tum, ne uno impetu Judaicæ
religioni addictos opprimeret, tum, ne Chriſtum ſequentes in
illam opinionem adduceret, ac ſi vetus Teſtamentum, nec Deo
dignum, nec aliquis ejus apud Chriſtianos uſus ſit. Diſcipuli
ergo Chriſti per gradus eo denique pervenerunt, ut legem Ju-
67. daicam abolerent. Petrus occaſione ſic ferente viſione cœleſti
monitus Evangelium gentibus annunciandum eſſe didicit, idem
in Concilio Apoſtolico, quod Chriſtianorum quorundam Pha-
riſaicorum ſuperbia excitaverat, una cum reliquis Apoſtolis le-
gem ceremonialem reſpectu gentium, & Judæorum jugum in-
tolerabile dixit. Ex hoc tempore Apoſtolorum ſententia fuit,
obſervationem legis Judaicæ, ſi gentes ſpectes, vitium habere:
ſi Judæos ſpectes, ἀδιάφορον & ſuperfluam ceremoniam eſſe.
Contra vero Ebionitæ & Nazaræi in præjudicium efficaciæ ſa-
tisfactionis Chriſti neceſſitatem hujus legis ad ſalutem inculca-
bant. Facile ex his judicare licet de diverſa praxi Pauli Apoſtoli
68. in circumcidendo. Circumcidebat ille Timotheum ex συγκα-
ταβάσει, qua infirmis favebat, ut oſtenderet, non peccari, ſi
quis circumcideretur: nolebat idem Titum circumcidere, cum
tanquam medium ad ſalutem neceſſarium circumciſio a falſis
69. fratribus urgeretur. Petrum a Paulo reprehenſum eſſe propter
vitæ converſationem fatetur Mangejus, contra vero nullam pro-
pterea labem præconio ejus aſpergi defendit. Qua occaſione
70. Tolandum etiam reprehendit, quod Auguſtinum quidem Na-
zaræis favere, aliis perſuadere tentaverit, cum idem diſerte ad-
ſerat, illum, qui ceremonias Judæorum obſervaverit, ſive ex
Judæis, ſive ex gentibus ſit, in barathrum diaboli devolutum iri.
71. Denique deſtructio urbis Hieroſolymæ, & expulſio Judæorum
ab Hadriano facta, Epiſcopos Hieroſolymæ, qui fuerant ex cir-
cumciſione, diſcrimen Judæorum & Gentium, totam denique
legem ceremonialem ſuſtulit, ita, ut qui ab illo tempore legem
ceremonialem Evangelio jungerent, Nazaræi hæretici, quorum
77 ſqq. cauſam Nazarenus egit, dicerentur. Cap. X primæva Chriſtia-
niſmi

niſmi delineatio exhibetur. Negat Mangejus contra Tolandum,
Deum intendiſſe, ut converſi ex Judæis legi Moſaicæ obſtrin-
gerentur, & contrarium ex Rom. III, 20, Hebr. VIII, 7, Gal. III,
& inprimis ex cap. V, 1 oſtendit. Obſervat ad locum poſterio-
rem ſermonem Apoſtolo eſſe non de converſis ex gentibus, quip-
pe qui nunquam ante jugo ſervitutis Moſaicæ colla ſuppoſuerint,
ſed de converſis ex Judæis, quos nolit iterum jugo ſervitutis ſubje-
ctos. Probat idem ex re ipſa, quod alias duriorem cultum Ju- p. 79.
dæis ad Chriſtum converſis, quam converſis ex gentibus præ-
ſcripſiſſe Deus videatur, quodque Judæi & gentes in unum cor- 81.
pus coaluiſſe, dici non poſſint, ſi diverſis inſtitutis perpetuo
ſcinderentur. Ne vero aliquid in Paulo offendat Tolandum, ſin- 75.
gulare opus divinæ providentiæ in eo agnoſcit Mangejus, quod
hunc vel maxime teſtem fidei Chriſtianæ elegerit, qui quod an-
tea hoſtis fuerat, minime poterat eſſe ſuſpectus. Porro vero 83.
ejusdem cum Petro & univerſo Apoſtolorum collegio conſen-
ſum oſtendit provocans ad egregium Petri 2 epiſt. c. III, 15 judi-
cium, & Clementis, Ignatii & Polycarpi de Paulo teſtimonia,
iis, quæ ex epiſtola quadam Petri ad Jacobum ab Ebionitis ficta
allegavit Tolandus, longe anteponenda. Cap. XI pergit Man-
gejus ex ipſa lege Moſaica abolitionem hujus legis adſtruere. O-
ſtendit multa præcepta Moſaicæ legis data fuiſſe populo Iſraeli-
tico, ut a cultu gentium idololatrico abduceretur. Sic boum ovi- 86.
umque ſacrificia, ea propter quod ab Ægyptiis religioſe coleren-
tur, imperata Maimonides docet. Ex hoc vero infert Mangejus,
eandem horum præceptorum neceſſitatem noſtro tempore non
eſſe, cum jam non idem ſit ſeductionis ad idololatriam pericu-
lum, ingenio quippe humano variis artibus & ſcientiis cultui
ſpirituali magis accommodato. Sic & lex ceremonialis ea parte, 88.
qua typos rerum futurarum exhibere debuit, rebus ipſis exhibi-
tis exſpirabit. Liberatio inſignior per redemtionem Jeſu Chriſti, 89.
cujus & recentior memoria, vix locum reliquit memoriæ libera-
tionis ex Ægypto feſto Paſchatos alias celebratæ: quin & recenti-
us beneficium evangelii dati feſto Pentecoſtes memoria recolere
conveniebat magis, quam legis in Sina datæ. Quapropter & ve- 91.
teribus Judæis viſum fuit, novum fœdus a Prophetis promiſſum
novam legem eſſe per Meſſiam promulgandam. Nec obſtat,

quod lex Moſis dicatur duratura לעלם. Vox enim עולם
p. 92. non tempus ſine omni fine, ſed durationem, qualem res permittit, ſtylo Scripturæ ſignificat. Sabbathum Chriſtianorum non
93. conſtitutioni legis Judaicæ, ſed autoritati primitivæ Eccleſiæ, ad exemplum Judaicæ, hunc diem eligentis, deberi ſtatuitur. De lege Moſaica, quæ uſuras vetat, obſervatur, illam Judæos tantum in terra Canaan obligaſſe, quod incolæ Judææ nullum ex commerciis cum aliis gentibus fructum pecuniæ mutuo acceptæ capere poſſent. Statuerat Tolandus, eſum ſanguinis Act. XV illis tantum Chriſtianis, qui in ſocietate civili cum Judæis vi-
105. vant, propter *συγκατάβασιν* cum Judæis converſis interdictum eſſe. Hanc vero ſententiam Tolandi Mangejus Cap. XII incongruam dicit ex ea potiſſimum ratione, quod nec reſtrictio ad lo-
97 ſqq. ca a Judæis inhabitata in textu reperiatur, nec conveniat, præceptum de ſanguine ad certa loca reſtringere, cum præceptum de idololatria & fornicatione ita reſtringi non poſſit. Ipſe contra cum Tertulliano, Cypriano & aliis de abſtinentia a cæde humana hæc exponit. Rationem, cur decreto quodam Apoſtolico hujus generis abſtinentia prohibita fuerit, ex eo petit, quod gentes homicidia in ludis gladiatorum, ex more infantes exponendi, parvi fecerint, quodque recens converſi moribus prioribus mul-
101. tum adſueti fuerint, ut abſonum non fuerit, decreto Apoſtolico illos abſtrahere, illo præſertim tempore, quo epiſtolæ Apoſtolicæ nondum extabant. Præceptum vero de ſuffocato ingenio li-
102. brariorum, quorum oſcitantia τȣ̃ πνικτȣ̃ irrepſerit, textui illatum eſſe, ſibi quidem perſuadet. Praxin primitivæ eccleſiæ, qua a ſanguine abſtinebant, in qua plus juſto tenaciores erant, non tam ex decreto Apoſtolico, quam ex præcepto Noachico priſcis Chriſtianis receptam fuiſſe, credit. At vero nec præceptum Noachicum eo trahi potuiſſe, judicat. Hoc enim eſum membri animalis vivi prohibebat, ut homines eſui carnis, qui gratum manſuetumque edentium animum proderet, aſſuefierent, cum contra præceptum de ſanguine prorſus non comedendo Judæis datum fuerit, ut ab idololatria vicinarum gentium, quæ victimarum
109. ſanguinem dæmonum pabulum eſſe credebant, avocarentur. Cap. XIII loca quædam Scripturæ contra Tolandum vindicantur. Legem non tantum reſpectu gentium, ſed Judæorum maxime

xime Pædagogum ad Chriſtum dici, obſervatur: opera, per quæ Jacobus fidem declarari velit, non legis ceremonialis, ſed moralis opera notare, demonſtratur. Cap. XIV Tolandum reprehendit Mangejus, quod legis Moſaicæ abolitionem, odiumque Chriſtianorum veterum Judæos a fide Chriſtiana abſterruiſſe dixerit, cum conſtet, ſua acerbitate in Chriſtianum nomen ab ipſa fide alienatos Judæos fuiſſe. Hujus rei teſtimonia, oppreſſiones Chriſtianorum, calumnias nomini Chriſtiano adſperſas, imprecationes, quas inter preces ſuas contra Chriſtianos Judæi evomant, allegat; contra vero primos Chriſtianos in gratiam Judæorum, & legem Moſaicam usque ad deſtructionem Hieroſolymæ ſervaſſe, & eorundem Sabbathum, & tempus Paſchatos multo etiam poſt retinuiſſe obſervat. Provocat ad edicta Romanorum Imperatorum in cod. Theod. obvia, quæ magiſtros Judæorum ulla contumelia affici vetant. Denique Cap. XV demonſtratur, maximam converſis ex gentibus injuriam fieri, ſi, gloria primævi Chriſtianiſmi ſolis Ebionitis & Nazaræis relicta, a primævo Chriſtianiſmo deflexiſſe perhibeantur.

p. 111. 121. 123.

DISQUISITIO DE LOCO ANIMÆ SEU Mentis a corpore penitus ſeparatæ; Autore M. ADAMO ZAHN, Eccleſiaſte Palæo-Dresdenſi.

I. Antitheſis.

NOva in his Actis M. J. Vitriarii opinio de loco & commoratione fidelis animæ poſt mortem A. 1722 p. 394 ſqq. legitur: „animam nempe non plane ſeparari, ac e corpore migrare, „ſed in ſepulchro commorari, in quo intelligat, cogitet, libera ſit ab omni miſeria, Deum clarius videat, ac illum laudet „usque ad diem extremum, quo anima corpori unita reſurget. „Hanc veritati magis conſentaneam judicat, quam ſit communior aſſertio Theologorum Evangelicorum, qui ſeparatæ penitus animæ locum extra ſphæram noſtram collocant, in alias „regiones illum transferentes, quo Deus majeſtatem ſuam revelet, ex raptu Pauli in cœlum ſententiam ſuam probantes.

Dignitas ſane rei expoſcit, ut doctrinæ receptæ veritatem ſoli-

ſolidiſſimis plane argumentis corroboratam ſubſiſtere, aliter ac Clariſſimus Autor ſibi & aliis perſuadere annititur, cuivis ad oculum pateat: nec dubito, quin Præſtantiſſimi Domini Collectores eo fine Vitriarii ſchediaſma ficulneum commentariis ſuis literariis insererent, ut materia exactius excuſſa in apricum produceretur: propterea quod Vitriarii ſententia, forſan aliis etiam ſubnata, multos mortis timendæ ſcrupulos novos piis hominibus injicere, minus probis & infidelibus vero hoc majori offendiculo eſſe poſſit.

II. Theſis.

Anima ſive mens fidelis hominis penitus ſeparatur in mortè a corpore, nec communem cum hoc locum nempe ſepulchrum ſortitur, extra ſphæram potius noſtram collocata.

III Confirmatio.

Probatur iſta aſſertio qua beate defunctos, de quibus expreſſe nunc quæritur,

A) ex Scripturæ ſacræ oraculis.

1) Ipſe animæ ſeparatæ ſtatus ibi propriiſſime deſcriptus hanc ſtatuminat, cum beate mortui dicantur, ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον, h. e *peregrinari extra corpus*, & præſentes eſſe ad vel apud Dominum, 2 Cor. V, 8. Hic conſignatum legimus *terminum*, *a quo* ſeparatur localiter mens fidelis, eumque ſuum corpus eſſe; deinde *effectum*, qui ſequatur, & commoratio mentis extra corpus eſt, hoc ipſum dicit Apoſtolus τὸ ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος peregrinari extra corpus; tandem *terminum*, *ad quem* perveniat, non quidem ſepulchrum, ſed domum illam glorioſiſſimam Patris cœleſtem, ubi Chriſtus Dominus noſter præſentiam ſuam auguſtiſſimam & beatificam conſpiciendam fruendamque exhibet: & hoc quidem vult τὸ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον, quod non ſimpliciter commorationem ſignificat, ſed ſigillatim *cohabitationem*, qua quis alicubi tanquam domi in populo ſuo habitat: componitur enim verbum ἐνδημῆσαι ex ἐν in & δῆμος populus: adeoque alluditur ad phraſin Maſaicam, qua ſtatus ſeparatus animarum fidelium beatificus exprimitur, & colligi hæ dicuntur ad populum ſuum in Patria ſupracœleſti. Tantum abeſt, ut Paulus commorationem quandam animæ adhuc in corpore mor-

mortuo concedat, ut potius permanere in carne ſeu corpore idem ipſi ſit ac hic vivere & vivum eſſe, e contra beate mori ipſi dicatur τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι, h. e. diſſolvi & cum Chriſto eſſe, id quod ſibi utiliſſimum judicat. Nam licet diſſolvatur, & locum ſuum ſicut navis anchoram ſolvendo mutet, atque ſic a corpore plane ſejungatur anima, tamen vice corporis relicti Chriſtus viſibiliter unitus, animæ quaſi diverſorium foret. Velut præterea oppoſitum καταλῦσαι ſignificat in loco commorari, ita ἀναλῦσαι commigrare aliorſum.

2) Eccleſiaſtæ locus c. XII v. 7 concordat bellisſime cum Paulina expreſſione, ubi ſtatus mortis itidem hic delineatur: & redibit pulvis in terram, quemadmodum fuit, ſpiritus autem redibit ad Deum, qui dedit eum: ab initio commemorat *partes hominis eſſentiales*, pulverem ſeu corpus ita dictum, quod ex pulvere fabrefactum primitus a Deo fuit, & ſpiritum ſeu animam rationalem mentemve, quæ ita appellatur, quod ſpiritualis ſit eſſentiæ: deinde *ſeparationem localem*, cum ſpiritus pulveri in terram reduci non adeſſe in ſepulchro, ſed ad Deum primum ejus in creatione auctorem reverti feratur, ut maneat cum ipſo in patria ſua & optime vivat. Namque Eccleſiaſtes de ejusmodi homine loquitur, qui meminerit creatoris ſui inde a diebus juventutis ſuæ, & ſummam omnis doctrinæ, quæ Deum timere & mandata ipſius ſervare jubet, in oculis & mente geſtat.

3) Promiſſio Chriſti diſcipulis ſuis adhuc in vita hac conſtitutis in ſolatium, quo egebant ob ſubtrahendam mox illis viſibilem præſentiam ſuam, & capeſſendam viſibilem cohabitationem in cælo beatorum, facta rem eandem expedit Joh. XIV, 2 3. In domo illa Patris mei manſiones multæ ſunt (quotquot electorum ſunt, ſtationes ibi ſelectiſſimas inveniunt) alioqui dixiſſem vobis: proficiſcor paraturus vobis locum, rurſum veniam & aſſumam vos ad me ipſum, ut, ubi ego ero, & vos ſitis. Exinde hoc certiſſimum eſt: a) Chriſtum alicubi cum omni gloria ſua *ſingulariſſime præſentem* eſſe & videri cum Patre ſuo, quod πȣ dicitur domus Patris: exinde tamen male infertur, quod Chriſtus totus non itidem omnipræſentiam ſuam Eccleſiæ præſertim ſuæ licet inviſibiliter præſtet, quam promiſit verbis: ego

P 3 ſum

ſum vobiſcum per omnes dies usque ad conſummationem ſeculi, amen. Matth. XXVIII v. ult. b) deinde paratum ibi eſſe fidelibus ſingulis, præcipue vero Apoſtolis ſuis *idem domicilium*, eundem locum, ibique participationem ſtatus ſui beatiſſimi: c) ut vero ejus veram & realem poſſeſſionem fructumque adipiſcantur, velle ſe redire, ut ex hac vita ipſos revocet, animabus ipſorum a corporibus diſſolutis, & in cœleſtem unam *eandemque omnium patriam* ad ſe tranſumtis, ſuo tempore corporibus glorificatis reduniendis; inde Chriſtus de Johanne aliquando morituro eandem dictionem uſurpat: ſi volo, ut maneat, donec veniam animam ſuam a corpore avocaturus, Joh. XXI, 22, collat. Apoc. II, 25, c. III, 11. Reditus *Chriſti particularis* ergo ad colligendas ſingulas diſcipulorum animas, non univerſalis ad congregandos omnes ante tribunal ſuum homines, debet hic intelligi; quod hunc reditum ad ſuos ſaltim tunc diſcipulos primum reſtringat, deinde omnibus fidelibus & cuique ſuo temporis articulo communicabilem: ſicuti phraſis hæc alibi etiam reditum particularem indicat, quem infideles oculis non obſervabunt ſuis, & non niſi primo Apoſtolis, deinde aliis etiam fidelibus reſervatum, abeo & redeo ad vos, infra v. 28. d) Inſignis hic affertur conſolatio, licet abitus Chriſti triſtitiam allaturus ſit diſcipulis, hanc tamen fide allevandam eſſe, ſe eſſe aliquando rediturum, ut itidem eos transferat in ſedes ſuas beatas, ubi ſe perpetuo & fortunatiſſime intuendum offerat: licet etiam hoſtes doctrinæ ſuæ eos e tuguriolis mundanis & domorum & corporum exturbarent, nec tamen eos prohibere poſſe, quin Pater cœleſtis alibi de domicilio ſuis proſpiciat, ubi inimicorum nulla omnino habetur ratio.

4) Succedat evidentiſſimus, iſtumque magis illuſtrans locus Paulinus 2 Cor. V, 1. Scimus enim, quod, ſi terreſtris noſtrum domus hujus tabernaculi diſſoluta fuerit, ædificium ex Deo habeamus, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis. Ante omnia declarandum eſt, quod *terreſtris noſtrum domus* hujus tabernaculi non mundus periturus, ſed corpus fidelium cenſeatur. Nam ejusmodi domus memoratur, qua exui nolebat, ſed quam malebat ſuperindui domicilio, quod e cœlo

eſt

eſt juxta v. 2 & 4, exinde ſequitur, quod nullum aliud tabernaculum, nulla alia domus quam corporis poſſit intelligi. Nimirum in votis Paulinis erat, ut ipſe absque morte immutationem ſaltem, aliquid mortis analogum, cum Enocho, Elia & in extremo die ſuperſtitibus fidelibus paſſus, adeoque tota ſtatim perſona ſua, anima nempe corpore ſuo veſtita, in cœleſte domicilium reciperetur. In eo enim differt ſuperindui & exui. Exuitur fidelis corpore, quando morte corpus tanquam veſtis deponitur ſuo tempore reparanda & reſumenda: ſuperinduitur fidelis in noviſſimo die adhuc vivus, corpore ſuo non ablato, ſed ſtatim ita in momento immutato, ut abſorbeatur mortalitas a vita, & glorificatum conſpiciatur. b) Deinde videndum, quid, cum vix Apoſtolus & alii ſui ævi fideles adventum Chriſti Domini ultimum conſecuturi ſint ſuperſtites, ſolatii capiant, corpore tanquam domo hujus tabernaculi diſſolubilis exui. Hoc affertur, habemus ædificium ex Deo, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis, in quod loco diſſoluti tabernaculi, tanquam in templum ſtabile, Apoc. III, 12 c. VII, 15, animæ noſtræ recipiuntur: quantis prærogativis & bonis affluat illud, ex hoc poteſt conjici, quod opponatur gloria omnibus manu factis palatiis, duratione æterna omnibus caducis domiciliis; & quod Johanni Apoſtolo præviſum, omnes viſui formas præberet pretioſiſſimas, quibus incomprehenſibilis pulchritudo & excellentiſſima ratio ejus animo humano conſpectui quadantenus detur, Apoc. XXI, 2. 10-23. Cum cœlum regnum vaſtiſſimum ſit, in illo demum curia Patris ſplendidiſſima ſita eſt, quam ſeparatæ fidelium Chriſtianorum animæ tanquam domicilium ſuum occupabunt.

5) Ebr. XII, 23. *Spiritibus juſtorum* τετελειωμένων ſuus isque *communis* aſſignatur locus, quem omnes una & in *conſortio* tenent, isque Jeruſalem cœleſtis ſigitur, ubi myriades angelorum, panegyris & Eccleſia primogenitorum. in cœlis ſingulari deſcriptione in hunc cenſum (ἀπογεγραμμένων) relatorum, (eorum ſcilicet, qui cum primitiis illis dormientium Chriſto & virtute Chriſti primarii ad vitam æternam reſurrexerunt, poſt illum πρωτότοκοι facti) & omnium Judex Deus cernendus, una

ſunt,

ſunt, ſecundum collationem v. 22, 23. Τετελειωμένοι autem ſunt illi Chriſtiani, qui usque ad τέλος & conſummationem vitæ in vero Dei cultu perdurarunt. Exinde omnino conſtat, animarum ſeparatarum fidelium domicilium non cum corpore ſepulchrum, ſed cœlum beatorum eſſe. Argumentor enim ita: quæcunque animæ ſeparatæ ita extra corpus peregrinantur, ut ſint apud Dominum, redeant ad Deum, ædificium ſtatim ex Deo, domicilium non manu factum, æternum in cœlis habeant, ſuumque & eundem communem in Eccleſia triumphante & cœleſti Jeruſalem teneant locum, illæ non poſſunt corporum exuviis ſepulchrisque ſuis adhærere. Ratio hæc eſt: creaturæ ſimul & vere in diverſis locis eſſe non poſſunt, v.g. in cœlo glorioſo & ſepulchro corporeo. A. animæ fidelium ſeparatæ &c. ſecundum dicta allata. E. illæ non poſſunt &c.

B. Ex precibus morientium, eorumque theopnevſtorum ſeu divinitus inſpiratorum; quæ fuerunt

1) *Chriſti capitis*. Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, Luc. XXIII, 46; quis manus Domini Patris diceret ſepulchrum, ubi tantum depoſitum reponendum erat? & ſi ſpiritus corpori adhuc adhabitaſſet poſt mortem, utrumque fuiſſet commendandum.

2) *Davidis*. In manus tuas commendo (depono) ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis, Pſ. XXXI, 6; quid per manus Domini tunc temporis cœtus fidelis intellexerit, cognoſcimus ex declaratione conjugis Nabaliticæ: erit anima Domini mei colligata (cuſtodita quaſi colligata) in faſciculo viventium apud Dominum Deum tuum, 1 Sam. XXV, 29: ſenſus hic eſt: quam tuto animæ beatorum apud Dominum tuum Deum, collectæ quaſi *faſciculus* in ***unum*** ***πȣ̃***, requieſcant & ſubſiſtant, tantam & tutiſſimam etiam in variis periculis immunitatem anima tua jam hic experiatur: proinde priſca Hebræorum fides credidit animas beate defunctorum non huc illuc in ſepulchris corporum ſuorum late diſperſas, ſed in unum faſciculum quaſi in cœlo collocatas.

3) *Eliæ*. Sufficit nunc, Domine, tolle animam meam neque enim melior ſum, quam patres mei, 1 Reg. XIX, 4. Quem in finem

Digitized by Google

ſinem precaretur, ut Deus animam tolleret ſuam, niſi emigrationem animæ a corpore ad ſuperas ſedes in morte arbitratus eſſet? Inde & ſeptuaginta viralis cum Syriaca verſione rem dilucidavit, verbi Kach emphaſin exprimens hoc modo: λάβε τὴν ψυχήν μου ἀπ' ἐμοῦ, quam & Lutherus B. ſecutus in Germanica translatione, ubi legitur: So nimm nun, HErr, meine Seele von mir: ſaltem hoc exinde patet, in morte Eccleſiam Judaicam ſtatuiſſe localem animæ ſeparationem relicto plane corpore.

4) *Stephani.* Domine JEſu, ſuſcipe ſpiritum meum, Act. VII, 59. Ideo voluit animam ſuam a Chriſto in morte cruenta ſuſcipi, quod derelictam alias, vagam, inſultibusque Diabolorum expoſitam ſciret: ut taceam, verbum δέχεσθαι hic uſurpatum de ſuſceptione & receptione in domum, conſortium & curam in N. T. utplurimum dici. Matth. X, 40, 41, XVIII, 5, Luc. XVI, 4, 9.

5) Tandem *Simeonis Juſti.* Nunc dimitte, Domine, ſervum tuum ſecundum verbum tuum in pace. Ita verba concipit Syriaca verſio Luc. II, 29. Lætam quidem *ſpei ſuæ fiduciam* primo loco Simeon exponit, quid quam proxime futurum exſpectet, cum in Indicativo loquatur, ἀπολύεις exſolvis, dimittis: eam tamen etiam *cum voto conjunctam*, ut quam citiſſime exſpectatum eveniat: quam ſupplicem una mentem Syrus interpres non male exprimit in Imperativo verbo poſito: ſcheri h. e. ſolve, libera. Ceterum ſtatum hominis hoc verbum in hac vita gravatum & vinctum inſinuat; componitur enim ex ἀπὸ a & ab, quo terminus a quo deſignatur, qui omne id quod gravat, eſt, & ex λύω ſolvo, libero, quod actum explicat. Inde ad omnem liberationem & ſolutionem applicatur, quæ fit ex vinculis certis captivitatis, Act. V, 40, Matth. XVIII, 22, debiti Luc. VI, 37, officii Act. XIII, 3, conjugii Matth. I, 19: hic vero dimiſſionem ex carcere corporis & corporearum gravitatum ſignificat, quamobrem Syrus vim vocis circumſcripſit: *ex clauſtris libera.* Quæ liberatio hæc eſſet, ſi quadantenus ſaltem, non omnimode a clauſtris corporis, aut ſaltem non clauſtro ſepulchri liberatus eſſet? Omnimoda liberatio intenditur, quia in pace plena & abſoluta fieri debebat, & futura erat.

Inde colligo: Quemcunque ſpiritum & animam Viri divinitus inſpirati in manus illas Dei, ubi faſciculus viventium eſt colligatus, commendarunt, & per Dominum a ſe tolli, ſuſcipi a Domino Jeſu in conſortium, ſolvi a Domino ex clauſtris expetierunt, illius receptaculum vel quodammodo corpus, vel ullo modo ſepulchrum poſt mortem ſuam nec ipſi cognoverunt & ſtatuerunt, nec alii ſtatuere debent. In cauſa hoc eſt: quia ut doctrina ipſorum ſic & preces canoni Scripturæ ſacræ illatæ ſunt, ut exemplum aliis præbeant ſalutariter imitandum, & ſententias utrisque contrarias acerrime devitare jubeant. A. Chriſtus, os Dei, ipſa veritas & ſanctitas, David, Elias, Stephanus & Simeon Juſtus, ſinguli divinitus inſpirati, animam immortalem, ſeu ſpiritum ſuum in manus &c. id quod ex allatis jam probatum dedi. E.

C) Ex exemplis morte ſeparatarum plene a corporibus ſuis animarum ſanctarum alio quam cum corporibus in ſepulchrum translatarum.

1) Fide mortui Patriarchæ collecti ſunt ad ſuos (æl amav) populos. Dicitur hoc de Abrahamo Gen. XXV, 8, Iſaaco Gen. XXXV, 29, Jacobo Gen. XLIX, 33, Aarone & Moſe Deut. XXXII, 5, quod ſpiritum emiſerint & collecti fuerint ad populos ſuos. Ex quibus locis pateſcit, veterem Eccleſiam ab initio huic fidei articulo inhæſiſſe, quod ſit alicubi locus, ubi poſt mortem omnes fideles *colligantur*, & quaſi populos ſuos faciant, ſeu ratione proſapiæ ſeu ratione graduum gloriæ diſtinctos. Id quod de corporibus, quæ ſepulchris ſeorſim tradita ſunt, dici non poteſt: ſed de animabus ſeparatis, cum collectio hæc ſepulturam etiam corporum anteceſſerit, & ſtatim cum expiratione animarum conjuncta fuerit. Quis ille locus ſit, Paulus oſtendit Hebr. XII, coll. v. 10, 16, 17; nimirum Patria audit cœleſtis & civitas Dei vivi, Jeruſalem cœleſtis, quæ fundamenta habet, cujus artifex & conditor eſt Deus, ubi cum myriadibus angelorum commercia & convictum agitant, & ſuaviſſime atque beatiſſime inter ſe invicem converſantur.

2) Factum eſt autem, ut moreretur Lazarus, & aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Luc. XVI, 22. Primum ſeparatio

Digitized by Google

paratio animæ a corpore contigit, & ita quidem, ut corpus relinqueretur in terra & anima *ablata* & aſportata ſit. Niſi ſeparatio perfecta mentis facta ſit, dic mihi quid ablatum fuerit ab angelis, cum ἀπενεγχθῆναι motum a loco ad locum ſignificet? Quorſum angelis opus fuiſſet auſſerentibus, ſi anima corpori involuta ſepulchro deſtinata fuiſſet? Tandem ſinus Abrahæ & locum & ſtatum a priſtino diverſum, videlicet & jucundiſſimum & tutiſſimum, ubi tantum accipit ſolatium allata Lazari anima, comprehendit. Non ſepulchrum ille poteſt eſſe, quod e longinquo a divite epulone conſpiceretur, & magno chasmate ab inferno diſterminaretur. Nam licet corpus Lazari communi cœmiterio & epulonis proprio inderetur, non tanta tamen diſtantia utrumque diſſitum erat, quantam Abrahamus prodit. Quod vero animæ Lazari in Græco textu ſacro non ſingularis ſaltem κόλπος, ſed κόλποι etiam in plurali vindicentur, exinde perſpicimus, vocem non in ſenſu proprio, ſed figurato de loco & ſtatu omnigenis proſperitatibus & delitiis pleniſſimo accipi.

3) Pœnitentis in cruce latronis anima non in ſepulchrum ad corpus amandata, ſed in *Paradiſum delata*, ita ut cum Chriſto eſſet in Paradiſo, Luc. XXIII, 43. Quemadmodum eſſe cum Chriſto ſtatum glorioſum & beatificum indicat, ita Paradiſus locum cœli amœniſſimum & omnibus bonis gaudiisque affluentem: ergo non cohabitabat amplius corpori pœnitentis in ſepulchro anima.

4) Animæ ſeparatæ fidelium martyrum a Johanne in ſpiritu viſæ non ſeorſim in ſepulchris quieſcendo gaudebant, ſed in *unum collectæ ante thronum Dei* (ubi ſe cum omni gloria ſua ſpectandum revelat) & in templo Majeſtatis ſuæ ſuperſtites, & diem noctemque illi ſervientes erant, Apoc. VII, 14, 15. In magnificentiſſimo Dei viſibilis habitaculo ante thronum ipſius cum collocentur advenæ ex magnis afflictionibus, non amplius corporibus in ſepulchris variis ratione locoque disjunctis cohabitarunt. Accedit & hoc, quod ex hac nova hypotheſi thronus Dei neſcio quo non ſit ſtatuendus: tota vero Apocalypſeos ſyntaxis demonſtrat, thronum Dei eſſe illud πῦ, in quo glorioſiſſima Dei præſentia ita ut nullibi amplius ſe manifeſtat.

D. Ex loco decedentium animarum infidelium & impiarum contrario & beatis fidelium animarum ſeparatarum ſedibus plane oppoſito.

1) Primum exemplum *Sennacheribi* aliorumque tyrannorum in infernum qua animas detruſorum demonſtrat Jeſaias c. XII, 9, 13, 15: & ne quis ſepulchrum exinde exſculpat, prohibet locus parallelus c. XXX, 33, qui πȢ illud profundiſſimum & latiſſimum depingit.

2) Secundum divitis & voluptuarii *æconomi* ſpecimen Chriſtus in medium profert in Luca c. XII, 20, qui ſubita morte noctu ita correptus eſt, ut animam ab ipſo repeterent: namque dixit illi Deus: ſtulte, hac nocte animam tuam repetent a te ἀπαιτȢσι ἀπό σȢ. Hic bis habetur præpoſitio ἀπὸ quæ & ſimpliciter & in compoſito adhibita *remotionem* ſignificat, ſemel ante pronomen & altera vice cum verbo ponitur: inde hoc certior mentis ſeparatio a cadavere ſtatuitur, ut non amplius ulla ratione ipſi adhæreat: & quidem locus infeliciſſimus occupandus ipſi fuit, quod ſtulti inſtar de meliori, dum viveret, hoſpitio non provideret: qui igitur miniſtri divinæ iræ erant, ab ipſo animam expoſcentes, non nomine certo inducebantur, facile tamen hic mali dæmones deprehenduntur, qui malos ad regnum tenebrarum abripiunt, ſicut bonos in cœlum boni angeli transportant. Matth. XIII, 41 ſ. coll. cum Luc. XVI, 22.

3) Tertium documentum divitis, voluptuoſi & damnati *epulonis*, anima ſeparata offert, quæ corpori ſepulto magnifice non adſociata in ſepulchro manſit, ſed ſejuncta in aliumque locum rapta ad infernum deſcendit, ibique cruciatus igneos perferendos habet ſine intermiſſione Luc. XVI, 23, 24, 25. Locus iſte non ſepulchrum corporeum poteſt eſſe, quod infernalem ignem flammasque elementi loco capiat, & eo non veniſſent quinque fratres pœnitentiam ſeriam acturi, etiamſi cum ipſo in dormitorio hæreditario reponerentur v. 28. Inde concludo: quorumcunque animæ diverſiſſimum & ſphæra & conditione ſortiuntur poſt mortem domicilium, illarum manſio non poteſt eſſe ſepulchrum cum corpore. Ratio. Nam corporum mortuorum una domus ſepulchrum eſt, cujus exquiſitiſſima etiam forma

Digitized by Google

ma ſpiritum rationalem non afficit. A. animæ fidelium & infidelium ſeparatæ diverſiſſimum ſphera & conditione domicilium poſt mortem ſortiuntur. Ratio. Fidelium animæ in cœleſtia, & infidelium animæ in infernum igneum transferuntur, id quod antecedentia ſatis docuerunt. E. animarum ſeparatarum manſio non poteſt eſſe ſepulchrum cum corpore.

E. Et niſi fidelium animæ penitus a corpore in morte ſepararentur, quæ abſurda inde profluerent? Tot martyrum corpora igni conſumta fuerunt, & pulvis inde remanens in omnes auras diſperſus eſt, tot martyrum corpora in mare piſcibus comedenda, aut beſtiis devoranda projecta ſunt, ubi quæſo animæ illorum erunt quærendæ? Cum ſupra ante thronum Dei beate defunctorum animæ ſiſterentur, ubi quæſo tandem thronus Dei non erit conſtituendus?

IV Objectionum reſolutio.

1) Nullæ dantur intelligentiæ finitæ, ab omni materia ſeparatæ. E. nec poſt mortem hominis anima poteſt omni materia deſtituta ſubſiſtere. Reſpondetur a) problema illud Leibnizianum nondum eſt evictum, nam quicquid hac in re poteſt dici, meræ ſunt rationis ſine revelatione conjecturæ tam levi brachio dejiciendæ quam proferendæ. Qui illis innititur, dicitur ab Apoſtolo ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύειν, vel pedem inferre in ea quæ non vidit, Col. II, 18. b) Poſito non conceſſo, nullas intelligentias finitas ab omni materia abſtractas dari, hæc nec deerit animæ penitus ſeparatæ, cum ex corpore morientium pedetentim aut uno impetu, pro diverſo genere fati, æther ſubtiliſſimus inde ab utero matris inſitus, & ſubinde ſpiritu mundi paſtus, quem mercurium, archæum, balſamum naturæ, humidum radicale, animam vegetativam & ſenſitivam aliisque nominibus appellites, emittatur, quem ex ſphæra ætherea ſibi competentem, & ex magnetica ratione in vicinia corporis ſui adhuc undulantem, ſibi mens conformet, ab integro induere, & deinde ferri, quo debet, poſſit. Nec proinde neceſſe eſt, ut corpori craſſiori ejusque pulveri adhæreſcat; ſi animæ ſeparatæ veſtis adhuc quædam materialis poſt mortem eſſet concedenda, cur non ſubtiliſſima magis illa, qua adhuc in corpore craſſiori ſubſiſtens, tanquam magis

ſibi congruo & quam proximo medio & organo operationum ſuarum utebatur, præferenda?

2) Anima in Eutyche revera mortuo adhuc commorata fuit, quia dicitur Act. XX, 10: & ſublatus eſt mortuus: cum deſcendiſſet autem Paulus, prolapſus eſt in eum; & ſimul eum complexus, dixit: ne tumultuamini: anima enim ejus in ipſo eſt. Reſpondetur, diſtinguenda eſſe tempora. Si Paulus dixiſſet ſtatim, ubi ſublatus eſt mortuus, & corpori hujus defuncti ille appropinquavit: anima ejus in ipſo eſt; tunc ſpecimen argumenti varie tamen etiam retundendi pronuntiatum daret. At enim tunc temporis anima non amplius erat in Eutyche, nondum virtute divina Pauli reſuſcitatrici affecto: poſtea vero quam prolapſus eſt in ipſum, & ſimul complexus eſt eum Paulus, tunc rediit anima ſeparata, & divinitus admonitus Apoſtolus miraculi conſummati eventum enuntiabat verbis hiſce; anima enim ejus in ipſo eſt.

3) Argumentum a reſuſcitato filio viduæ Tzarpaticæ deſumtum, ſi ſaltem verbis Scripturæ recenſeatur, plenariam animæ ſeparationem adſtruit, quam tamen eo voluit deſtruere: audiamus igitur ſacram enarrationem rei: Tum inclamans Elias Jehovam dixit: o Jehova, mi Deus, etiamne viduam hanc, apud quam ego hoſpitor, malo affeceris, mortem afferendo filio ejus? Et admenſus ſe ſuper puero ter, inclamavit Jehovam, dicens: Jehova, Deus mi, revertatur quæſo anima pueri hujus in medium ejus: & auſcultavit Jehova voci Eliæ, ita ut reverſa anima pueri in medium ejus, revixerit. Tunc acceptum Elia puerum deduxit e ſuo cœnaculo domum, & reddidit eum matri ejus, dixitque Elija; vide, vivit filius tuus. 1 Reg. XVII, 20, 21, 22, 23, 24.

a) Filius viduæ ita erat mortuus, ut non amplius anima rationalis in ipſo eſſet, ſi enim adhuc in ipſo fuiſſet, non debuiſſet reverti. Quid? quod v. 17 expreſſe referat Spiritus ſanctus: non remanebat amplius in ipſo neſchama h. e. mens ſive anima rationalis, qua notione propriiſſime ſpiritum rationalem Hebræi Philoſophi deſignant. b) Ad hunc reſuſcitandum puerum exanimatum requirebatur, ut Deo ita jubente denuo reverteretur anima, quæ jam alio ex divino decreto abierat; inde ſupplicat inten-

intenſiſſimo & animo & clamore Elias Deo, ut reverti jubeat animam ex Paradiſo repetendam & quidem in medium ejus, ad totum corpus reſtaurandum & regendum. Luditur in re ſeria, cum reverſionem animæ puerilis ſeparatæ ardentiſſimis ab Elia precibus expetitam illorum refocillationi, qui animi deliquium paſſi ad ſe redire dicuntur, comparatur. Nimium nempe quantum differt, deliquio mortuo paululum ſimilem reddi, & intermori vere. Ibi anima ſaltem ex defectu organico ad tempus quieſcit, ſed hic reapſe & ad ſpatii usque diſtantiam diſcedit, ut exemplo pueri mortui a Spiritu ſancto ipſo hic edocemur. Exinde una comparet, omnem mortuorum reſuſcitationem miraculoſam per reditum animæ in corpus divina potentia & arbitrio patratam eſſe, quia hunc Propheta a Deo exorat mortuum excitaturus. c) Quod ſe Elias admetiretur ter ſuper puerum mortuum, id ad reſtaurationem corporis virtute miraculoſa a Prophetico contactu efficiendam ſpectabat. Quo Chriſtus non uſus eſt, ſicut Elias, Eliſa & Paulus, ut differentia inter Dominum & ſervos eluceſceret, & major Chriſti in carne manifeſtati vis mirifica comprobaretur, qua Petrus etiam actus Tabeam absque iſtiusmodi complexu in vitam revocavit ſuam. Act. IX, 40.

Hæc ſummatim erant proferenda, ut maleſuadum commentum de reſidua in corpore defuncti ejusque ſepulchro anima evaneſceret, unde felicitati ſeu infelicitati animarum ſeparatarum & fidei Chriſtianæ multa derogari, & fulcra variis erroribus incruſtandis ſuppeditari poſſent: qua recenſione ſuperſedeo & brevitatis ſtudioſus & confiſus, in rebus fidei verbo revelato, non ratiunculis humanis porro morem geri.

DE SYSTEMATE OPTICÆ NEWTONIANæ & de aberratione radiorum in Humore Cryſtallino refractorum. Excerpta e literis JOANNIS RIZZETI ad CHRISTINUM MARTINELLUM, Patricium Venetum.

UT ad rem aggrediar, non injuria exiſtimabas, luminis aberrationem, a Newtono nuper inventam, Teleſcopiis abſolvendis

vendis re inſuperabili adverſari. Newtonus enim cum lumini Solis objeciſſet Priſma triangulare, agnovit, ſpectrum ſolare magis produci quam lex vulgata refractionis poſtulaſſet: ideoque lumen Solis in refractione diſpergi, ita ut unicus ſimplexque radius in plures diſcindatur. Unde opinatus eſt, id ipſum fore ſi lumen transverſum aliquam quoque lentem irrumpit: radium ſcilicet *AB*, qui a lente *Bb* ex nota refractionis lege in punctum *e* dirigitur, nequaquam agi in unica recta *Be*, ſed in plures diſciſſum ampliari in Conum lucidum *eBG*. Idem facientes reliquos quoque radios, qui fluunt ex puncto *A*, quamvis ex veteri refractionis lege urgeantur, omnes ad unicum punctum *e*, vi tamen novæ legis ita diſtrahi, ut totum circulum impleant, cujus diameter *FG* eſt in ratione conſtanti ad lentis latitudinem *Bb*. Porro hanc Newtonianam luminis aberrationem ipſe Newtonus corrigi minime poſſe cenſuit. Hoc ſi ita foret, actum eſſet de perficiendis Teleſcopiis conſummandisque, quamvis enim auferremus de medio aliam aberrationem, quæ oritur ex ſphærica lentis figura, attamen illa radiorum copia, quæ de ſingulis principalibus radiis erumpit, in cauſa foret, ut lumen fluens ex quolibet puncto objecti minime coiret in altero puncto imaginis, ut proinde fieret in viſione confuſio. Quem, Chriſtine, putes poſſe tanti Viri præceptis tantique operis experimentis refragari, cum illis ceſſerit quoque Vir ab omnibus commendatus Hugenius. Quæſo tamen, ut pauliſper moreris, donec Newtoniana iſthæc expendam. Super chartam albam a Sole probe illuminatam unum poſui capitis mei capillum unius pedis intervallo ab oculo remotum, & cum illum diſtincti ſime cernerem, ita mecum rationabar: in ea ab oculo diſtantia diameter capilli ad diametrum imaginis in oculi fundo depictæ eſt ſaltem ſicut 25 ad 1, diameter pupillæ ad diametrum capilli ut 24 ad 1. Hujusmodi proportiones accepi juſto minores, etenim eſſe malui potius intra quam ultra modum, ut veritas clarius eluceſcat. Porro juxta Newtonianam ſententiam, dum radii ex puncto longinquo incidunt in lentem ſibi invicem paralleli, diameter luminis aberrantis eſt æqualis quinquageſimæ quintæ parti latitudinis lentis; dum radii ex puncto propinquo incidunt in lentem a ſe invicem divergentes

gentes, eſt adeo major ipſius luminis aberrantis diameter. Si hæc igitur foret æqualis quinquageſimæ quintæ parti diametri pupillæ ipſa diameter eſſet ad diametrum imaginis capilli ſaltem ſicut $\frac{25 \cdot 24}{55}$ ad 1 vel proxime ſicut 11 ad 1 & proinde imago capilli foret in oculo a lumine aberrante chartæ delenda & capillus e conſpectu abeundus, ſi illius craſſitudo foret quoque undecies major. At quoniam capillus licet tam ſit exilis, attamen cernitur tam diſtincte, dicendum eſt utique, nec ullum quidem eſſe in oculo veſtigium illius aberrationis, quam tanti Clar. Anglus exiſtimat. Cum applicem oculo eum aberrationis calculum, quem Autor in lentibus vitreis elicuit, a nemine arbitror hujuſmodi applicationem refelli ratione diverſitatis materiæ; dum enim lens vitrea conjungit ad datam diſtantiam in foco lumen ab aliquo puncto fluens, ſi manente latitudine materia lentis mutetur & ſimul ejus figura ita ut conſtans maneat diſtantia foci, per principia Newtoniana conſtans quoque manet aberratio, unde hujus calculus relativus ad vitream lentem applicari poterit ad aliam diverſæ materiæ lentem, a qua focus æqualiter diſtat. Tandem ne quid dubii reliquum ſit, capillus per lentem vitream debite interpoſitam tranſpiciatur, & eadem diſtinctione viſionis inventa argumentatio modice mutata repetatur & idem conſequens eliciatur. Cum dixerim, in viſione capilli locum minime eſſe aberrationi Newtonianæ, quia minime cernitur, adverſus hujuſmodi argumentum rationabilior mihi videretur objectio ducta a propoſitione VII Autoris: nimirum adeo extenuari lumen aberrans in diſtantia a ſuo centro, ut (loquar illius verbis) non ſit ſenſibile, niſi in eodem centro, aut prope illud. Ut objectioni reſpondeam diviſa, ſemidiametro luminis aberrantis in undecim partes æquales ejus denſitas juxta Newtonianam ſententiam decreſcit in talem Arithmeticam proportionem, ut cum expreſſa ſit in prima parte a numero 21, exprimatur in ſecunda a numero 19, & ſic deinceps adeo, ut in parte ultima exteriori exprimatur per unitatem. Non temere igitur aſpexi capillum poſitum ſuper chartam albam a Sole probe illuminatam ſed ita compoſitum aſpexi, ut lumen aberrans chartæ ſuppoſitæ melius poſſet manifeſtari, ſi minus in tota ſui

extenſione, ſaltem in magna ſui parte. Quamvis igitur in extenſione hoc lumen occupabat juxta Newtonianam ſententiam ſpatium undecies majus imagine capilli, & intenſione erat illud ſupra imaginem capilli vicies denſius quam eſſet prope extremitatem, attamen ipſius luminis nec indicium quidem apparuit. Quis igitur dicere poterit, ipſum lumen ibi eſſe (propter autem ſuam raritatem inſenſibile) cum ipſe Newtonus fateatur, quod ubi eſt ſentiatur in partibus ſaltem centro ſuo proximioribus? Ut de medio tandem hanc difficultatem auferrem, poſui ob oculos priſma triangulare vitreum, & quantumvis parvus eſſet angulus refringens, vidi ſemper capillum a lumine aberrante turbari. Quemadmodum igitur in hoc caſu, in quo hoc lumen cernitur, non poteſt negari illius præſentia, ita in caſu nudi oculi, in quo minime cernitur, neceſſe eſt, ut concedatur ipſius abſentia, donec ſaltem fiat ut melius cernatur. Si nunc quæras cur lumen diſpergatur tranſiens per priſma triangulare, & non itidem diſpergatur tranſiens per lentem, reſpondeo, quod res tanta nequit unica epiſtola contineri, tibi autem ſatisfaciam in quadam refractionum diſquiſitione, quæ nunc in manibus eſt. Interea ne mirere, ſi Newtoni ampliſſimi viri præcepta ab his noſtris experimentis diſſentiant. Ipſi enim laus debetur utique magna, quod princeps refracti luminis diſperſionem animadverterit, at non illa quidem (ut vulgo cenſetur) quod ejusdem diſperſionis cauſam affectionesque detexerit. Vidit ſapientiſſimus Anglus ſpeciem ſolarem magis in longum porrectam quam lex refractionis vulgaris poſtulaſſet, cumque illam cerneret diverſicolorem, ſcilicet rubram, mox flavam, deinde viridem, poſtea cæruleam & tandem ſupra violaceam, hoc experimento fretus ſuum confecit ſyſtema luminis atque colorum. Omnia experimenta, quibus illud innixum eſt, renovare curavi, & ea (proloquine id licet?) partim falſa, & omnia reliqua inveni propter omiſſionem alicujus circumſtantiæ æquivoca ac minime concludentia. Ut unicum attendas obſecro. Bipartitus eſt Newtonus verticali linea paginam quadrangulam oblongam & mediam delinivit colore rubeo, mediam cæruleo. Deinde ſerici nigerrimi filum ſæpius circumvolvit ita, ut ſingula fila paginæ coloratæ

loratæ ſuperinducta lineas nigras exhiberent. Ex adverſo paginæ ſex pedum duarumque unciarum intervallo erexit lentem vitream uncias 4¼ latam, quæ radios ex diverſis paginæ punctis ita colligeret, ut ad totidem alia puncta ex altera parte eodem ſex pedum duarumque unciarum intervallo ultra lentem emergerent. Cum tandem altera charta alba imaginem coloratæ paginæ collegiſſet, animadvertit vel potius animadvertere viſum fuit, quod maxime concupiſſet, quo ſcilicet in loco imago chartæ rubeæ apparebat diſtincta, eo in loco cœruleam apparere confuſam & e contra. Intervallum vero fere ſeſquiunciæ inter duo loca, in quibus geminæ imagines ſeorſim diſtinctæ apparebant, cœrulea propius lentem, rubea longius a lente diſtinctionem exhibente. Ego utique idem experimentum in omnibus iisdem circumſtantiis ut in aliis quoque mihi exhiberi curavi, & nihil unquam inveni, quod ſatisfaceret. Nunquam mihi contigit, ut cernerem diſtinctam imaginem unius paginæ & confuſam alterius, ſed in qualibet diſtantia a lente utraq; ſimul vel diſtincta vel confuſa apparuit ſemper. Miſſis itaq; ejusmodi experimentis, quæ ſine ingenti apparatu peragi nequeunt, unum ego ſimpliciſſimum afferam, quod fallere nequit, quodq; cuivis & ubiq; in promtu ſit. Duo ſubtiliſſima fila, alterum rubeum, alterum violaceum, ita invicem conjungo, ut ſeſe contingant, deinde illa intervallo debito inſpiciens eadem diſtinctiſſime video, unoque intuitu craſſitiem & colorem ſingulorum agnoſco. Quis poterit hanc ſenſus apparentiam cum hypotheſi Newtoniana comparare? Geminis filis poſitis uno ad partem dextram, altero ad ſiniſtram puncti *A*, emittat rubeum radios ſuos ad oculum *Bb*, extremique *AB*, *Ab* refracti in *Bc*, *bc* occurrant in puncto *e*, in quo cæteri quoque phyſice concurrent, oculus enim (ut ſuo loco oſtendetur) vim habet illius aberrationis corrigendæ, quæ a figura ſphærica ſecundum legem vulgarem refractionis oritur. Radii deinde ex filo violaceo fluentes, utpote magis refrangibiles, concurrant omnes in puncto *c*, imago fili violacei erit in puncto *C*, imago rubei in puncto *e* magis remoto a lente *Bb*, quam ſit punctum *C* differentia diſtantiarum *ce*, eſt ſatis ſuperque ſenſibilis, ſiquidem diameter aberrationis cum diametro imaginis con-

feratur: calculus quidem poſitus fuit in ſuperiori experimento capilli, nec opus eſt ut is repetatur. Nunc fundus oculi in *FeG* geminas accipiet imagines: illa fili rubei contracta in unico puncto *e* eximia diſtinctione excellet; altera violacei diſtracta in ſpatium *FG* (cujus diameter erit undecies major diametro alterius) ſpeciem ſui referet confuſam. Fundus oculi attollatur & aptetur lineæ *ss*. In hoc caſu geminæ imagines diſtractæ in idem ſpatium *ss* non gemina fila diſtincta, ſed unum objectum ex coloribus geminis exhibebunt. Tandem fundus oculi collocetur in loco *Vu*, tunc pictura fili violacei diſtincta fiet in puncto *C*, at illa rubei diſtracta in ſpatium *Vu* (cujus diameter erit ſepties vel octies major diametro alterius) confuſione turbabitur. Si igitur nullo caſu in ſyſtemate Newtoniano viſio noſtra poteſt diſcernere gemina fila æqualiter diſtincta, quonam pacto defendi poteſt apparentia ſenſus, qui ſingula conjunctim diſtincta æqualiter percipit? Habentne oculi humores facultatem, ut queant radiis diverſimode coloratis naturam ſuam auferre, atque alteram ſubſtituere, qua ſint omnes æqualiter refrangibiles? At ſi univerſi radii ſunt omnes utique æqualiter refrangibiles, unde colores oriuntur, quos a priſmate refracti præ ſe ferunt? Sentio te, Chriſtine, ſumma cupiditate duci, ut hanc rem abditam occultamque cognoſcas: ea non eſt utique tam facilis explicatu, cum Vir quoque ſummus Mariotus in ejus inveſtigatione oleum perdiderit atque operam. Inventa tamen ea eſt, & ego quoque in hac inventione partem habeo, gaudeas interim, quod brevi in lucem prodibit. Expectas jam, puto, ut de altera aberratione loquar, quæ ſecundum legem vulgarem refractionis in lente ſphærica cernitur. Nimis forſitan audeo, dum arbitror novæ methodi auxilio ſcopum attigiſſe. Quotquot ſcriptores præ manibus venerunt, inveni omnes quæſiſſe, quænam aberratio ex lentibus vitreis oritura foret, nullumque inveſtigare, quiſnam effectus in oculo noſtro oriturus. Ego oculum ingreſſus prius ejus ſtructuram cognovi, poſtea proprietates lentium inveſtigavi. Unde miratus ſum, quod ea opera, qua teleſcopia & microſcopia credebantur fieri meliora, fiebant utique deteriora. Ut res objecta adſit in viſione diſtincta, ejus imago eſt in oculo diſtin-

ſtinguenda, ſcilicet radii ex ſingulis objecti punctis fluentes ſunt ita ab oculi humoribus refringendi, ut ad totidem alia puncta in in oculi fundo urgeantur. In illa igitur lentis vice quam gerit oculus, duplex ex refractione incommodum oritur, alterum ſcilicet aberrationis, alterum diſtractionis. In lentem ſphæricam *B b*, cujus axis *A e* radiante puncto lucido *A* talis refractio ſit, ut radii axi infinite vicini (quos centrales impoſterum appellabo) conveniant in puncto *e*, extremi *A B*, *A b* in altero puncto *C*, manifeſtum eſt aliquot intermedios coituros in punctis intermediis inter *C* & *e*: *ſcias* in ſententia Hugenii linea *C e* appellatur aberratio ipſius puncti lucidi *A*. At quoniam ducta per punctum *e* recta *FG* parallela lenti *Bb* productiſque radiis extremis *BC*, *bc* in *GF* lumen puncti *A* circulum implens (cujus diameter *FG*) alteram exhibet aberrationem, ut itaq; æquivoca de medio tollantur, prima erit aberratio in axe, altera aberratio in imagine. At quoniam punctum *C*, in quo radii coeunt extremi, poteſt eſſe minus & magis a lente remotum quam ſit punctum *e*, in quo concurrunt centrales, in primo caſu aberratio in axe dicetur poſitiva in ſecundo negativa. Rurſus extra axem lentis alterum ſit punctum lucidum *H*, cujus aberratio in imagine ſit *I T* a duobus radiis extremis *HB*, *Hb* refractis in *BF*, *bI* terminata, ſi aberratio *I T* erit major aberratione *FG*, exceſſus, quo prima ſuperat ſecundam vocetur diſtractio. Præmiſſis definitionibus ſolutionem ſequentis problematis mihi propoſui: Lentem invenire in qua gemina aberrationis ac diſtractionis vitia corrigantur omni meliori modo quo fieri poſſit. Huic quæſtioni fruſtra Carteſius ſatisfacere conatus eſt: lenti enim ſphæricæ aliis ſuis cauſticis ſubſtitutis dum aberrationem emendabat, diſtractionem augebat: quin imo male arbitratus eſt figuram ſphæricam eſſe ſemper diſtractionis immunem. Diſtractione caret integra ſphæra ſolum, non autem lens quæ ſit integra ſphæra minor. Verum eſt utique, quod, ſi lens fuerit ex uno vel duobus ſphæricis ſegmentis compoſita, diſtractio erit minor quam ſi fuerit in quamlibet aliam figuram formata. Ut igitur problema propoſitum ſolveretur, erat aberratio in lente ſphærica corrigenda. Hinc ita mecum loquebar: ſi lens *B b* cogit radios fluentes ex puncto *A* ſci-

licet in *C*, centrales in *e*; introducta in lentem majorem *B b* altera lente minore materiæ denſioris, ita poterit (ſine mutatione radiorum extremorum, qui refringuntur a ſola lente exteriore) focus centralium a geminis lentibus refractorum accedere, ut is quoq; conveniat in puncto *C*. Inde diſcebam, quod ſi ars conficere poſſet lentem ſphæricam in partibus internis denſiorem, in externis determinata lege rariorem omnes radii fluentes ex puncto *A* poſſent (omni aberratione correcta) in alterum punctum coire. Hoc porro in noſtra poteſtate noneſt, at ubi nos deficimus, incipit induſtria naturæ. Humorem chryſtallinum ita confectum inveni, ſcil. ex duobus inæqualibus ſphæricis ſegmentis compoſitum duriorem ac denſiorem interius, molliorem ac rariorem exterius. Dum enim partes exteriores chryſtallini ex oculo bovino recenter eruti in aqua leniter attererem, interiores partes ſemper duriores ſentiebam: rurſus poſitis in una lance partibus chryſtallini exterioribus, in altera interioribus, donec in aere fieret æquilibrium, geminas lances in aquam demittebam, & ſubſidentibus geminis pars interior chryſtallini præponderabat. Ab hoc mirando artificio pendet noſtræ viſionis œconomia. Fingatur, lentem in oculo ex unico liquore ubique homogeneo formandam, eligenda erit materia aut levior ac rara aut gravior ac denſa. Si agilitas oculi in levitate materiæ quærenda erat, concurſus radiorem ex quolibet objecti puncto fluentium ita longius a lente fiebat, ut pro imagine colligenda gemini eſſent tubi oblongi monſtroſique nobis in capite collocandi: ſi oculus erat contrahendus, ut imago ſatis propinqua lenti diſtingueretur, geminæ lentes in capite inferendæ erant gravitate adamantem æquantes. Unde oculus in materiæ denſitate contractus nimio pondere laboraret, vel in materiæ raritate diductus nimium ſpatium occuparet. Iterum humor unicus & utique homogeneus debebat figuram aut ſphæricam aut aliam induere: in primo caſu poterat diſtractio cohiberi & erat nimia permittenda aberratio; in ſecundo poterat prohiberi aberratio, at erat nimia permittenda diſtractio. Denſitas materiæ in lente ſphærica inæqualiore diſtributa de medio omnia incommoda tollit; oculum contrahit levitate ſervata, aberrationem corrigit diſtractione cohibita. His cogni-

Digitized by Google

cognitis quis dicere audebit caſum tanto judicio callere, ut inter infinitos modos, quibus viſionis organum fieri poterat, deligeret optimum? Magna vis Geometriæ! Mentem infinitam exiſtere, quæ omnia facit ac gubernat, artes cæteræ ſcientiæque docent, illa autem ſola demonſtrat. Sed non omnia adhuc dicta ſunt, cum aberratio ſimul atque diſtractio in omnibus objecti diſtantiis æqualiter corrigi nequeant, induſtriam attende, qua natura illas dirigit. Quod attinet ad aberrationem, fingatur punctum lucidum *A* in ea ab oculo diſtantia in qua (correcta aberratione) cogantur omnes radii in fundo oculi ad punctum *e*. Hoc poſito ſi punctum *A* ab oculo removetur, decreſcit inclinatio omnium radiorum in oculum incidentium & proinde ad chryſtallinum (docente dioptrica) accedit focus tam centralium quam extremorum. Quoniam vero inclinatio centralium minus decreſcit quam inclinatio extremorum, accedit itaque ad Chryſtallinum focus centralium citius, focus extremorum tardius. Hi duo igitur foci, qui ſimul ante convenerant, a ſe invicem ſejungentur, & foco extremorum longius a lente morante, aberratio negativa proſiliet. Si vero punctum *A* ad oculum nimis accedit, inclinatione radiorum in oculum incidentium in ſenſu contrario recepta, facile intelligitur aberrationem ex negativa in poſitivam mutari. Præterea conſiderandum eſt, quod ſi oculus eſſet inanimata lens, in unica lucidi puncti diſtantia radii centrales ſimul in ejus fundo coirent. Quoniam autem oculus eſt organum inſtructum muſculis & vivens, is utique conformatur ad diverſas lucidi puncti diſtantias, ne radiorum centralium concurſus ab ejus fundo diſcedat. Ab omnibus opticis (ſi unum excipias de la Hire) oculo hæc prærogativa conceditur, de modo tantummodo diſputatur, nec ego in præſens volo deciſionem afferre. Hoc tantum moneo, quod punctum *A* poteſt ita oculo appropinquare, ut deficiente debita conformatione radii centrales ultra oculum colligantur, puncto vero *A* ab oculo diſcedente experientia didici, debitam ſemper conformationem adeſſe, & ſemper quoque radiorum centralium concurſum in oculi fundo manere. His poſitis viſio in ea diſtantia puncti *A*, in qua illa eſt maxima diſtinctione perſpicua, nos docet radios cen-

centrales debita conformatione operante & reliquos quoque aberratione pariente ac lente ſimul in oculi fundo coire. Si igitur punctum *A* ab oculo longius diſceſſerit, debita ubique conformatio concurſum centralium in fundo oculi retinebit, at reliquos negativa aberratio ultra oculum cum axe conjunget. Si vero punctum *A* ad oculum nimis acceſſerit, ita ut deficiente debita conformatione radii centrales ultra oculum coeant aberratione affirmativa exiliente, radii extremi poterunt in oculi fundo occurrere, vel ipſi quoque ultra oculum convenire. In explicanda igitur confuſa colorum congerie, quam campus dives floribus exhibet ex longinquo, ſi Carteſius docet, florum imagines in oculi fundo depictas ita eſſe exiguas, ut plures contentæ in unica ſenſorii fibrilla ſenſationem ex omnibus mixtam producant, reſponde, Chriſtine, quod lumen unius imaginis revera in oculo cum lumine alterius (aberratione inficente) confunditur, unde in viſione colores florum ſunt quoque ad invicem confundendi. In explicanda luminoſorum corporum magnitudine quæ major apparet quam pro ratione diſtantiæ videnda foret, ſi Mariotus docet, motum quibusdam fibrillis a vehementi lumine impreſſum propagari quoque in propinquas, & huic motus propagationi reſpondere apparentis magnitudinis incrementum, dic quod lumen aberrans quo vehementius eſt eo magis dominatur & delet imaginem infirmioris: ſi igitur noctu in oculo imago longinquæ facis depingitur, dic utique, quod illa diſtracta ab aberratione locum occupat debitum imagini campi vicini obſurioris. Unde quoque in viſione magnitudo facis augenda eſt. Hoc deinde ſimpliciſſimo experimento confirma: dum enim exiguum foramen paginæ immiſſum oculo opponimus, excluſis radiis extremis qui ſunt aberrationi obnoxii, fax minor & diſtinctior apparet. Si quod aliud addere velis, ſtellas oſtende: lumen aberrans cœli noctu infirmum cedit locum vehementiori lumini illarum, quæ proinde capillitium latius oſtentant, diluculo auctum, caſtigat luxurians lumen earum, quæ proinde minores apparent, denique interdiu robuſtum debellat totam lucem ipſarum, quæ proinde in viſione evaneſcunt. Aberratione, quæ in oculo gignitur, explicata, ſupereſt,

Digitized by Google

eſt ut de diſtractione dicamus. Hæc porro, ne longa ſeries demonſtrationum occurrat, ſufficiat ut ab effectibus intelligatur. Objectis ab oculo diſcedentibus diſtinctio in viſionis axe decreſcit, at, quælibet illa ſit, lato intervallo longius ab axe diffunditur. Unde diſcimus, in illa rerum longinquarum viſione, in qua eſt aberratio permiſſa, diſtractionem eſſe correctam. Objectis oculo appropinquantibus diſtinctio in axe viſionis augetur, ſed campus diſtinctionis ita contrahitur, ut, ſi liber legendus eſt, oculus continuo movendus, unde eſt hic rotundus & levis, ut facillimo motu ſingula objecta axem viſionis ſucceſſive ingrediantur. Hinc igitur intelligimus, in illa rerum propinquarum viſione, in qua eſt aberratio correcta, diſtractionem eſſe permiſſam. Si dixerit itaque de la Hire, diſtinctionem decreſcere in partibus objecti longius ab axe poſitis, quia in reſpondentibus ſenſorii fibrillis ſenſus decreſcit, reſpondendum eſt, cauſam phænomeni ex lege vulgari refractionis deduci, & proinde hypotheſin non eſſe in ejus explicatione fingendam. Si poſtea, Chriſtine, cupis hunc magis convincere, ubi eo tum remotum, oſtende, deinde roga, num campo diſtinctionis amplificato fibrillæ ſenſorii fiant in ictu oculi ſenſibiliores? Hypotheſi de la Hiri devicta ad ſublimiorem ſpeculationem attende. Si vitia aberrationis & diſtractionis in una rerum viſibilium diſtantia utraque corrigebantur, in eadem futura erat diſtinctiſſima viſio. At quoniam in aliis diſtantiis erant vitia ſimul utraque permittenda, in iiſdem viſio præ confuſione pene inutilis futura erat. Vitiis igitur ſimul utriſque correctis eſſetne deſiderabilis tanta diſtinctio in unica rerum objectarum diſtantia, ut in reliquis ipſa deficeret? Nonne erat melius ita vitia diſtribui, ut ubi alterum dominatur, alterum excludatur? Providentiam itaque naturæ miramur: diſtractio permittitur in rebus propinquis, in quibus eſt aberratio correcta, ut corrigatur in longinquis, in quibus eſt aberratio permiſſa; unde viſio in utriſque ſatis diſtincta occurrat. Si vaſtam igitur molem inſpicimus procul, partes ab aberratione inficiuntur, totum a diſtractione non læditur; propius totum a diſtractione inficitur, partes aberrationem non ſentiunt.

Veruntamen minime exiſtimetur, oculum ſemper eſſe alterutro horum vitiorum expertem. Correctio phyſica eſt non Geometrica. Quamvis aberratio vel diſtractio ſit inſenſibilis, inſunt tamen materiæ partes incomparabiliter minores, unde diſtinctio referenda eſt rerum viſibilium magnitudini atque diſtantiæ. Quoniam natura nobis oculos dedit, non ut noſtræ curioſitati indulgeret, ſed potius ut noſtræ conſervationi conſuleret, ipſa igitur aberrationem & diſtractionem corrigit pro ratione noſtræ neceſſitatis. Dat nobis,ut diſtinguamus in omnibus diſtantiis illa objecta, quæ ſatis magna vel ſatis propinqua ad nos pertinent,fugienda vel accipienda, reliquum, quod nimis exiguum vel nimis longinquum nobis non intereſt, vel viſioni aufert, vel objicit confuſum & perturbatum. Non ita in cæteris animalibus, in illis enim quæ perexigua ſunt (veluti inſecta) corrigit aberrationem eo modo,quo poſſint diſtingui res minimæ & minimo intervallo remotæ. E contra avibus aeris incolis viſionem dedit eo modo aberrationis immunem, quo procul præda diſtinguenda foret. Hactenus dicta ea, quæ remanent, illuſtrabunt: cum primum patuit utilitas, quam noſtræ viſioni lentes vitreæ afferebant, quanta opera data fuit,ut tollerentur de medio quædam imperfectiones, quæ fuerunt in microſcopiis & teleſcopiis ſuppoſitæ? At de recto tramite Dioptrici aberrarunt, dum enim a falſa theoria decepti meliora inſtrumenta quærebant, in deteriora incidebant. Nimis eſſet longum omnes figuras & combinationes lentium expendere, ſat erit geminas tantum ſimpliciores eligere. Sit punctum *P* ita propinquum oculo *Bb*, ut omnes radii cum axe concurrant ultra fundum oculi *Vu*, ſcilicet centrales in *V* & (aberratione oriente poſitiva) extremi in *v*. Si lens interceſſerit hyperbolica, tanti a Carteſio æſtimata, cujus focus ſit punctum *P*, ipſa utique (docente Carteſio) transmittet omnes radios ipſius puncti *P* ſibi invicem parallelos. Hi igitur ab ejusmodi lente refracti in oculum incident, ac ſi ex puncto infinite remoto in oculum nudum inciderent. Sicut igitur in hoc ita in illo caſu oculus poterit conformari, ut radii centrales cogantur in fundo oculi ad punctum *C*, & aberratione nega-

negativa exiliente convenient extremi ultra fundum oculi in puncto *e*. Loco hyperbolicæ ſubſtituatur lens ſphærica, cujus focus principalis ſit in eodem puncto *P*. Ipſa utique radios centrales (dioptrica docente) transmittet (ſicut hyperbolica) ſibi invicem parallelos, extremos autem, quos hyperbolica itidem parallelos transmittebat, ſphærica transmittet ſibi invicem convergentes. Hinc radii centrales in oculum incidentes in ſecundo caſu ſicut in primo poterunt quoque in eodem centro convenire, in quo ante convenerant; extremi vero qui in primo caſu incidentes in oculum paralleli conveniebant in puncto *e*, cum in ſecundo caſu in oculum incidant convergentes, conſpirabunt refracti ad alterum punctum Chryſtallino magis propinquum quam ſit punctum *e*, & pro diverſa ſphæricæ lentis figura poterunt convenire in aliquo puncto intermedio inter *C*, *e* & contrahere aberrationem negativam *C*, *e*, vel concurrere in eodem puncto *C* & aberrationem *C*, *e* omnino corrigere, vel denique cogi in alterum punctum *O* & aberrationem *C*, *e* ex negativa mutare in poſitivam. Interpoſita igitur lente hyperbolica erit in viſione confuſio ſimilis illi, quæ adeſt in objectis longinquis, aberratione permiſſa & interpoſita lente ſphærica poterit eſſe in viſione diſtinctio ſimilis illi, quæ adeſt in objectis propinquis aberratione correcta. Expleta theoria Microſcopii accedamus ad Teleſcopium duplicis lentis ſphærico-convexæ. Sit punctum lucidum *R*. Hujus radii refracti a lente objectiva *Q*, *q* cum axe (dioptrica docente) concurrent in linea *AP*, nempe centrales in *P*, extremi in *A*, aliqui in punctis intermediis inter *A* & *P*: inter punctum *P* & oculum *Bb* ſit altera lens ocularis, cujus focus principalis ſit in *P*. Hæc utique (dioptrica docente) transmittet radios centrales ſibi invicem parallelos & extremos ſibi invicem convergentes. Cum igitur radii puncti lucidi refracti a duplice lente teleſcopii in oculum incidant eodem pacto, quo prius incidebant refracti a lente unica microſcopii, itaque de aberratione, quæ in oculo oritura eſt, eadem conſequentia deducatur. Si igitur radii puncti longinqui ſeorſim incidunt in lentes ſphæricas & in nudum oculum, ſuperiori theoria docente,


Digitized by Google

nos diſcimus in utroque caſu aberrationem gigni, ſcilicet in lentibus poſitivam, in oculo negativam. At ſi ipſi radii incidunt in oculum a lentibus antea transmiſſi, diſcimus quoque ab aberratione lentium poſitiva corrigi poſſe aberrationem oculi negativam. Si quis fidem theoriæ non habet, habeat ſaltem experientiæ. Cum ſtella fixa minor teleſcopio interpoſito quam nudo oculo appareat, inde inferatur, a teleſcopio minui imaginem ſtellæ in oculo nudo depictam. Quoniam vero ſecundum theoriam Hugenii (qui in hoc non fallitur) ſi a teleſcopio minime augetur, ſaltem non imminuitur illa imago vera, quæ a radiis principalibus in oculo nudo pingitur, itaque a teleſcopio imminuitur illa imago falſa, quæ a lumine aberrante in oculo nudo depicta imaginem veram circumdat. Scilicet a lentium aberratione oculi aberratio corrigitur. Hinc error Hugenii detegendus eſt: in oculum nudum objecto longinquo radiante ſuppoſuit ipſe depingi ſolam imaginem veram, & cum hanc cognoviſſet a teleſcopio augeri, hujus incremento arbitratus eſt incrementum apparentis magnitudinis reſpondere. At quoniam imago objecti longinqui vera in oculo nudo augetur a lumine aberrante, quod imaginem falſam depingit, & teleſcopium auget imaginem veram ac imminuit falſam, ſequitur, quod imago teleſcopio interpoſito poteſt eſſe major, æqualis & minor illa quæ in oculo nudo depingitur, prout incrementum imaginis veræ ſuperat, æquat vel ſuperatur a decremento imaginis falſæ. Poſito igitur, quod magnitudo objecti teleſcopio interpoſito apparens reſpondeat magnitudini imaginis, non modo ea debet ſemper eſſe minor illa, quæ reſpondet incremento imaginis veræ, ſed poteſt eſſe aliquando æqualis & aliquando minor illa, quæ nudo oculo apparet. Primi & ſecundi caſus experimentum habemus in Planeta Veneris, cujus diſcus per teleſcopium viſus vel parum augetur, vel nunquam tantum, quantum incremento veræ imaginis reſpondeat. Tertii autem caſus experimentum habemus in ſtellis fixis, quæ minores teleſcopio interpoſito, quam nudo oculo apparent. Cum Carteſius, Hugenius omnesque Dioptrici credidiſſent, aberrationem, quæ lentibus

bus ſphæricis ineſt, in cauſa fuiſſe, quin teleſcopia omnibus numeris perfecta conſtrui poſſent, omne ſtudium impenderunt, ut lentes aberratione purgarent, proponentes aliam figuram ſphæricam in alteram mutare, alii aperturam ſphæricæ lentis contrahere. At aberrationem in lentibus corrigentes aberrationi in oculo indulgebant, ſcilicet defectum ſuppoſitum emendantes defectui vero parcebant. Nunc porro errore detecto dioptrica ſcientia remittenda eſt in viam, correctio aberrationis quærenda eſt non in lentibus, ſed in oculo, & quoniam in oculo aberratio corrigitur ab altera aberratione, quæ lentibus ineſt, itaque in lentibus quærenda eſt aberratio, non aberrationis correctio. Quod ita res habenda ſit, fidem facit Dn. Tſchirnhauſen. Per lentem ſphærico - convexam (cujus apertura pedem Rhinlandicum ſuperabat & focus pedum 32 intervallo diſtabat) objecta longinqua celebris Vir tranſpiciens Regiæ Academiæ Pariſiorum communicavit, quæ viſio fuit præter fidem diſtincta. Illi Academici mirati ſunt: dum enim lentis aperturam pro diſtinctione augenda contraherent, lentis apertura diducta audiebant diſtinctionem augeri. Hinc faſſi ſunt Dioptricam ſcientiam non adultam ſed naſcentem eſſe, & moniti a Tſchirnhauſio eidem ſcientiæ plures errores ineſſe, ſuſpicati ſunt, aliquod myſterium fuiſſe alta ſapientis viri mente repoſitum. Quamvis errores ab experientia indicarentur, attamen ſatis eſſe manifeſti non poterant, niſi aperiretur oculi aberratio, & modus, quo ab altera lentis aberratione corrigitur. Neſcio quam ultra in hac ſpeculatione vir ſapiens provectus fuerit, ſcio utique gaviſurum, ſi videret myſterium revelatum, vel veritatem ſui experimenti demonſtratam. Puncto longinquo *A* expoſita ſit magna lens *B b*, cujus ſit focus principalis in *e*: collocetur oculus inter focum & lentem in *C*, ſcilicet in eo ſitu, in quo oculus poſſit radiorum centralium incidentiæ conformari. In hoc caſu radii puncti *A* in oculum omnes incidunt convergentes, at non æqualiter, illi enim, qui ſunt axi viciniores, magis ad paralleliſmum accedunt, & qui ſunt ab axe remotiores, magis ſemper atque magis convergunt. Quamvis igitur aber-

Digitized by Google

ratio lentis major ſit in ejus apertura majori, quoniam tamen in viſione excellit diſtinctio, inde cognoſcitur, aberrationem negativam oculi optima correctione gaudere, quamvis altera aberratio poſitiva lentis augeatur. Cum lens ocularis objectivæ adderetur, decreſcebat in viſione diſtinctio. Procul dubio ſecunda lens aberrationem poſitivam augebat, unde aberratio negativa oculi poterat nimis corrigi, ita, ut in ſenſu contrario mutaretur. Attamen diſtinctionis defectus eſt potius diſtractioni aſſignandus. Si hoc explicare vellem nimis longa futura foret epiſtola.



M. GOTTHARD GUNTHERS, DIACONI Grimmenſ. Schediaſma Hiſtorico-Dogmaticum de Anima, qua ortum concernit, agens, ubi aliorum ſententiis hiſtorice recenſitis, nova, quæ media dicitur, exhibetur.

Lipſiæ, apud Hæred. Lanckiſii, 1720, 8.
Plag. 8.

TRibus liber abſolvitur ſectionibus, quarum prima Plur. Rev. Autor Patrum, ſecunda vero Scholaſticorum recentiorumque ſententias recenſet, ſuam tandem in tertia fuſius exponens. Quo minus vero ei animus fuit aliorum ſententias ſugillare, eo magis ſe commendabunt Lectori priores duæ ſectiones, in quibus hiſtorica variarum de ortu animæ ſententiarum narratio inſtituitur. Quod ipſius quidem, quam mediam vocat, ſententiam attinet, illa eo abit, ut neque tradux pure naturalis

lis

Digitized by Google

lis & unice agens ſtatuatur, neque immediata creatio aſſumatur, ſed quod totus quidem homo vi benedictionis ex ſemine generetur, anima tamen non ſtatim cum corpore, ſed demum ſuo tempore, ex ſemine nobiliori, benedictionis divinæ operatione & concurſu elevato, producatur. Cujus aſſertionis ſenſum rite capturum animum advertere juvabit tam ad principium, ex quo animæ natales deducit, quam ad tempus productionis. Principium ipſi eſt ſemen a Creatore nobilitatum, quod licet non habeat ſecum partem animæ, quæ indiviſibilis ſemper manet, habeat tamen elevationem a Deo promiſſam, ut effectum debitum ſuo tempore dare queat. Duo itaque concurrere bene notanda, vim ſeminis intrinſecam & naturalem, quæ per ſe apta & habilis ad corpus producendum, dein divinam ſeminis elevationem, quæ unice ex Dei benedictione fluat, qua ſemen utriusque parentis, in uterum ad corpus efformandum delatum, ultra ſuas vires elevetur, & ad animam producendam apta reddatur; ut ita materiale ſemen vi concurſus ſingularis divini eſſentiam ſpiritualem dicere queas, non quatenus ſemen, ſed quatenus per benedictionem elevatione divina ſtipatum. Tempus vero, quo divina benedictio & operatio ſemen ab ipſa elevatum ad producendam animam determinaret, non eſſe ipſum impregnationis actum, exiſtimat, tum enim animam nec communicari, nec traduci, imo ne quidem exiſtere, ſed quando membra corporis adcurante natura efformata & ad vitales actiones adaptata fuerint, tum demum ex quinteſſentia ſeminis, in cerebro usque huc a provida natura aſſervati, progenerari, & in throno velut ſuo h. e. in cerebro ad omnes regiminis actus expediendos, imprimis ad vitam exercendam, majeſtatice collocari, quod XX hebdomadibus præterlapſis fieri Phyſici ſtatuant. Hinc ſi abortum patiatur mater, antequam fœtus vivere incipiat, i. e. antequam anima progeneretur, tunc nullam animam interire putat: contra multis difficultatibus premi ſententiam eorum, qui animam ſtatim communicatam defendant, cum paulo poſt impregnationis actum, cum in ſatis efficaci coagulatione ſemen jacet, fortu-

fortuito caſu per abortum ejici eoque imperfectam hanc genituram perire obſervant, quid de anima ſentiendum, illico nempe communicata, prorſus dubii. Sed & probare ſententiam ſuam Autor conatur Scripturæ dictis, quæ cum creationi refragentur, ſupra traducem tamen aſcendant quodammodo, eoque cum media ſententia optime conſpirent. Locum Zach. XII, 1: *Ego Dominus ſum, qui format Spiritum in medio ejus*, non de Adamo ſed poſteris ejus agere, nec nudum traducem (ob verbum יוצר) nec immediatam creationem (ob verbum בקרבכם) admittere putat: Eſa. XLIV, ubi dicitur: *formavi te ex utero*, totum hominem innui, & Deum formare animam, dum operi invigilet & animam ex ſemine mirabili cooperatione eliciat: Jeſ. XLII, 5 verbum נתן & nullam creationem involvere & traducem removere contendit, collatis locis Eccleſ. XII, 7, 1 Cor. XV, 38, Num. XVI, 22, Joh. V, 17, Act. XVII, 26. Denique probat, ſalva ſententia ſua evitari contradictiones & abſurditates: Deum non offendi: primævam benedictionem *creſcite* promoveri: ineptitudines naturales ſeminis ad animam producendam tolli: in abortu reſpectu animæ tutiſſimam viam monſtrari, animæque dignitatem elevari: denique obviam iri dubiis, ut cum objici ſolet incapacitas ſeminis ad generandam animam, cum elevatio divina adſit; vel quod anima animam producere nequeat, quod ſuæ ſententiæ repugnare putat. Ceterum utrum, quod de edenda Clerogamiæ hiſtoria inde ab Apoſtolorum temporibus ad noſtra conſilium ceperat P. R. Autor, cujus hactenus unica diſſertatio proſtat, quæ ad Concilium Nicenum pertingit, perſequi conſtituerit, an vero officii eccleſiaſtici laboribus obrutus, omiſerit plane, nobis quidem haud conſtat.

(*)

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII Sect. IV.

ORIGINES ECCLESIASTICÆ: OR THE ANtiquities of the Chriſtian Church.

h. e.

ANTIQVITATUM ECCLESIÆ CHRISTIanæ Volumen VIII, quo diſciplina veteris Eccleſiæ enarratur: una cum Appendice, qui duos continet Sermones, duasque Epiſtolas ad Reverendiſſimum Winceſtriæ Epiſcopum de Natura & Neceſſitate variorum Abſolutionis generum; Autore JOSEPHO BINGHAM, Rectore Headborna-Worthenſi.

Londini, apud Rob. Knaplock, 1720, 8.

Plag. 19.

VOlumine VII, ſive Lib. XVI harum Antiquitatum, quem in Actis A. 1722 M. Sept. p. 424 recenſuimus, Cl. Autor generalius de diſciplina Eccleſiæ, prout omnia ejus membra ſpectavit, egerat, & delicta enarraverat, propter quæ quis obnoxius illi fuerit. Jam Vol. VIII ſpecialius diſciplinam illam tribus libris perſequitur. Et libro quidem XVII exercitium diſciplinæ in Clerum repræſentans, Cap. ejus I de differentia pœnarum Eccleſiaſticarum, Clero & Laicis conſtitutarum, differit. Quo loco ex differentia illa deducit, quod communio Eccleſiaſtica & excommunicatio Eccleſiaſtica aliquando peculiari & reſtricto ſenſu vel participationem bonorum & privilegiorum, quæ hominibus Eccleſiaſticis pro- p. 2.

 pria

pria fuerint, vel excluſionem ab illis ſignificet. Obſervat præter-
ea, juxta antiquos Canones non licuiſſe, Clerum ordinaria ex-
communicatione punire, ſed ab officio ſaltem illum remo-
veri debuiſſe; quamvis ob delicta graviora utroque modo
animadverſum ſit. Pœnas autem Cleri proprias fuiſſe, ut vel
p. 4. reditibus, vel functione ſua ad tempus privati, vel etiam peni-
5 ſqq. tus de gradibus officii dejecti ſint. Cap. II de pœna, qua Cle-
8 ſq. rici ad Laicam communionem detruſi ſunt, agens, notatis Bel-
10 ſq. larmini, aliorumque Pontificiorum, Lindani item, Forbeſii &
Voſſii de communione illa ſententiis, Chamiero aſſentitur, qui
illam a perſonis appellatam putat; quod ſcilicet Clericus, ad
illam damnatus, non amplius Clericus, & in Clericorum no-
menclatura, ſed Laicus & in Laicorum ordine fuerit. Docet
quoque, illos, qui ſemel ad illam deturbati ſint, raro in priſti-
13 ſq. num ſtatum reſtitutos eſſe. Neque characterem indelebilem or-
dinationis pœnæ illi obſtitiſſe, cum veteres non aliam de chara-
ctere illo notionem habuerint, quam de charactere indelebili
16 ſq. baptiſmi. Si vero Clerici in contemtum diſciplinæ illius officio
ſuo fungi obſtinate perrexerint, illos Laicorum etiam commu-
nione excluſos, & aliquando auxilio brachii ſecularis remotos
18 ſqq. eſſe. Hac occaſione etiam Noſter diſquirit, quid *curiæ tradi*
olim ſignificaverit, & Gothofredi in Cod. Theodoſianum de
22 ſqq. eo ſententiam confirmat. Cap. III, ubi de communione pere-
27 ſqq. grina, variis de illa Canonibus recenſitis, aliorumque de ea-
dem ſententiis refutatis, eorum partes ſequitur, qui ſtatuunt,
per illam ejuſmodi communionem intelligi, qua Clerici pere-
grini, ſine literis commendatitiis venientes, benigne quidem
excepti, & ſumtibus Eccleſiæ alti ſint, ſed nec ullis ordinis ſui
muneribus fungi, nec ſacra cœna uti potuerint; atque adeo, ſi
dicatur, quod Clericis communio peregrina tributa ſit, eo ipſo
innui, quod illis neque officio ſuo fungi, nec ad tempus ſacra
cœna in nonnullis caſibus uti licuerit, ſed ſaltem e reditibus Ec-
cleſiæ alimenta quædam ex charitate & gratia conceſſa ſint, uſ-
que dum, peracta juſta pœnitentia, ſtationi priſtinæ fuerint red-
32 ſqq. diti. Cap. IV alios quoſdam peculiares Clerum puniendi mo-
dos commemorans, tradit, aliquando illos in perpetuum re-
motos

Digitized by Google

motos, ſed ita, ut titulum & dignitatem ſuam retinuerint, aliquando de ordine ſuperiori in inferiorem dejectos, aliquando parte officii ſui privatos, & Epiſcopis quoque interdum poteſtatem ſuper partem gregis ſuæ ademptam eſſe. Ut plures ejusmodi pœnas tam Epiſcoporum, quam Clericorum in genere, quas Autor doctiſſimus affert, taceamus. Cap. V crimina recenſet, propter quæ Clerici pœnas ſolvere debuerint, in quibus tamen filum ejus ſequi nimis prolixum foret. Lib. XVIII varios pœnitentium ordines, & publicæ pœnitentiæ gradus deſcribens, Cap. I narrat, pœnitentes diviſos fuiſſe in quatuor diſtinctas claſſes, in Flentes, Audientes, Subſtratos & Conſiſtentes. Bellarminum & Caveum quintam illis claſſem addere, ſed ſine ſolido fundamento. Plura vero de claſſibus illis, & gradibus pœnitentiæ ex Autore noſtro referre non opus, cum aliunde jam ſatis de illis conſtet. Vid. Autores magno numero citati Celeb. J. A. Fabricio Bibliogr. Antiqu. Cap. XI §. 27. Cap. II ceremonias ob oculos ponens, in admittendis pœnitentibus ad pœnitentiam publicam ſolemnes, & modum pœnitentiam in Eccleſia agendi memorat, pœnitentes, poteſtate publice petita, & impoſitione manuum impetrata, cinere aſperſos, & cilicio opertos, imo &, juxta Canones quosdam, tonſis antea comis, aut, ſi mulieres fuerint, velato capite in Eccleſia comparuiſſe. Illisque notat a balniis & aliis recreationibus abſtinendum, & obſervanda fuiſſe omnia publica Eccleſiæ feſta. Imo teſtimonia occurrere, unde appareat, quod & a concubitu abſtinere debuerint. Hinc etiam illis, qui in conjugio vixerint, pœnitentiam non niſi ex conſenſu utriusque partis conceſſam eſſe; nec cuiquam tempore pœnitentiæ matrimonium inire licuiſſe. Cumque aliqui diebus feſtis, & diebus relaxationis, quæ dicebantur, ſtantes potuerint orare; pœnitentes illis æque ac aliis diebus flexis genibus preces fundere, & ſingularem præterea erga pauperes liberalitatem exercere debuiſſe. Et in nonnullis quoque Eccleſiis curam mortuos ſepeliendi illis incubuiſſe. Cap. IV ſpeciatim exomologeſin conſiderans, ſive confeſſionem in pœnitentia publica uſitatam, multis probat, quod a privata vel auriculari confeſſione, quæ in Romana Eccleſia recepta eſt,

p. 34 ſq. 36. 37 ſqq. 47 ſqq. 95. 102 ſqq. 106 ſqq. 109. 110 ſeq. 112. 113. 114 ſqq.

plane differat. Cap. IV rigorem & ſeveritatem diſciplinæ veteris exponens, monſtrat, quod ordinarie homines ſemel tantum ad
p. 142 ſqq. publicam pœnitentiam admiſſi ſint: quod ob certa peccata per
147 ſq. omne vitæ tempus pœnitentiam agere debuerint, & in mor-
149. tis hora demum ſint abſoluti, ſique abſoluti illi forſitan reconvaluerint, ſtatutis pœnitentiæ legibus adhuc fuerint obnoxii: quod
152 ſqq. nonnullis ob peccata graviora omnis reconciliatio cum Eccleſia denegata, & ſine communione moriendum fuerit, quod quidem
158 ſq. in nonnullis caſibus cum praxi Novatianorum, neutiquam vero cum principiis illorum convenerit; qui tamen rigor poſtea ceſſa-
164. verit: quod Epiſcopis magna libertas fuerit relicta, pœnitentiam pro arbitrio ſuo vel difficiliorem vel faciliorem reddendi, atque inde exempla ocurrant, quod nonnulli bis ad publicam pœniten-
165 ſq. tiam admiſſi ſint: porro quod Epiſcopi, ſi ſingularem obſervaverint in pœnitentibus ardorem & ſedulitatem, anguſtiores pœni-
167. tentiæ terminos conſtituerint, quod olim *indulgentiæ* nomine
168. venerit; hæcque indulgentia aliquando & martyrum deprecationibus, & efflagitationi magiſtratus civilis conceſſa ſit: denique quod Epiſcopi poteſtatem habuerint, naturam & qualitatem pœ-
169. næ vel mutandi vel minuendi. Atque inde Noſter cum Albaſpinæo explicat, quid per *pœnitentiam legitimam* apud Cyprianum
170 ſq. & in Concilio Eliberitano intelligendum ſit. Hic etiam diſquirit, quid ſit in Concilio Ancyrano, *inter hyemantes orare*, nihil tamen certi de hyemantibus, aliorum ſententiis enarratis, de-
173. finiens. Interim refellit Balzamonem, qui illos de ſecunda pœnitentium claſſe, qui Auditores dicebantur, exponit. Lib. XIX abſolutionem, vel modum, quo pœnitentes in Eccleſiam iterum recepti ſint, pertractans, Cap. I naturam ejus & varia genera explicat, & ſpeciatim illa, quæ ad pœnitentiæ diſciplinam
174 ſq. ſpectant. Et hic quidem tradit, veteres credidiſſe, independentem & abſolutam poteſtatem remittendi peccata Deo ſoli competere, & abſolutionem in Eccleſia mere miniſterialem eſſe, eamque conſiſtere in applicatione mediorum, quorum uſu ordinario remiſſio peccatorum hominibus conferatur. Hæc
176. vero media illos ad quinque capita retuliſſe, ad abſolutionem 1) baptiſmi, 2) Euchariſtiæ, 3) verbi & doctrinæ, 4) impoſitio-

nis

Digitized by Google

nis manuum & precum, 5) reconciliationis cum Eccleſia, diſciplinæ relaxatione factæ. Duas priores appellari poſſe ſacramentales abſolutiones, tertiam declaratoriam, quartam petitoriam, & quintam judicialem abſolutionem. De ſingulis Noſter plenius ediſſerit, & de poſtrema, quæ huc præcipue pertinet, notat, quod illa pœnitentes, canonica pœnitentia abſoluta, paci & plenæ communioni Eccleſiæ reſtituti ſint, eademque, ſi baptiſmum excipiamus, omnes alios abſolutionis modos comprehenderit. C. II de ritibus & circumſtantiis diſpicit, in publica abſolutione olim obſervatis, ibique inter alia arbitratur, abſolutionem in forma indicativa, *Ego te abſolvo*, quam ante ſeculum duodecimum in uſu non fuiſſe refert, triplici ſenſu admitti poſſe, 1) ut actum jurisdictionis illorum, quibus poteſtas data ſit recipiendi publicos pœnitentes in communionem, & ſolvendi vinculum excommunicationis, quo antea ligati fuerint: 2) ut declarationem voluntatis Dei erga peccatorem pœnitentem, ita ut, cum miniſter Eccleſiæ aliquem coram Deo abſolutum eſſe judicet, etiam abſolutum pronunciet atque declaret, quemadmodum ſacerdotes V. Teſt. obſervante Hieronymo in Matth. XVI, dicantur leproſum mundum vel immundum facere, non quod immunditiei ejus autores fuerint, ſed quod declaraverint, illum eſſe immundum, qui multis antea mundus viſus ſit: 3) tanquam actum externum miniſterii, qui adhibeatur ut medium obtinendi remiſſionem peccatorum a Deo. Itaque Eccleſiæ miniſtrum æque dicere poſſe, *Ego abſolvo te*, ac, *Ego baptizo te*, cum baptiſmus pariter ſit quædam abſolutio, & medium externum, quo remiſſio peccatorum, & interna animarum in ſanguine Chriſti ablutio hominibus conferatur. C. III eoque ultimo miniſtro de miniſtro diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & ſpeciatim de quædam abſolutionis afferens, docet, omnem poteſtatem diſciplinæ primario in manu Epiſcopi fuiſſe, in multis autem caſibus quoque Presbyteris atque Diaconis, ſive generali, ſive ſpeciali mandato datam fuiſſe. Docet præterea, quousque & quo ſenſu abſolutio dici poſſit data a Laico. Quantum ad Appendicem, duobus ſermonibus, qui primo loco ibi ſeſe offerunt, in Joh. XX, 23 habiti, 1) in naturam poteſtatis retinendi vel remitten-

p. 177 ſq. 191 ſqq. 202. 203. 205. 215. 216 ſq. 219 ſeqq. 227 ſqq.

di peccata, 2) in varios actus vel modos, quibus miniſtri Eccleſiæ poteſtate illa uti poſſint, 3) in rationem, qua omnes homines obligati ſint, legitimo exercitio ejus ſeſe ſubmittere, inquirit.
p. 265 ſeqq. In totidem, quæ ſequuntur, Epiſtolis ad Winceſtrienſem Epiſcopum agit de neceſſitate abſolutionis, oſtenditque, quousque illa ſeſe extendat, & quibus finibus circumſcribatur.

MARMI ERUDITI.

i. e.

SERTORII URSATI MARMORA ERUDITA, ſive Epiſtolæ de nonnullis antiquis Inſcriptionibus, Opus poſthumum, cum annotationibus JO. ANT. URSATI.

Patavii, apud Joſeph. Cominum, 1719, 4 maj.
Alp. 2 pl. 6.

MArmorum titulorumque antiquorum explicationem tanta cum difficultate, quanta cum jucunditate & in omnes politiores literas diffuſa utilitate conjunctam eſſe, vel ex his Illuſtris Urſati marmoribus perſpici ac dijudicari poteſt, quæ nepos ipſius Jo. Ant. Urſatus, Monachus Benedictinus Caſinenſis, in antiquitatum ſtudio avitæ gloriæ æmulus, ex operibus avi ſui manuſcriptis cum orbe erudito communicavit, & doctiſſimis obſervationibus ſuis illuſtravit. Prius vero quam ad ipſa marmora, ea, quam merentur, ſolertia perluſtranda, deveniamus, vitam Sertorii Urſati, a Cl. Jo. Ant. Vulpio conſcriptam, & huic operi præmiſſam, paucis exponemus. Inter illuſtres Patavinas familias priſcis jam temporibus gens Urſatorum eminuit, ex qua Joannes Urſatus ab Imperatore Friderico III A. 1452 ad Comitis Palatini dignitatem, in omnes poſteros devolvendam, evectus, & a Ladislao Rege Hungariæ in equeſtrem ordinem receptus, atque catena aurea donatus fuit, quæ crucem appenſam exhibebat cum literis O. Q. M. E. D. I. E. P. in hanc ſententiam vulgo explicatis: *O Quam Miſericors Eſt Deus, Iuſtus Et Patiens.* Natus eſt Sertorius noſter A. 1617 ipſis Calendis Februar. eodem anno agnati Sertorii, ſine prole defuncti, hæres

res ex aſſe, ea lege, ut, qui eſſent primogenituræ jure præcipui,& nomine Sertorii uterentur. Poſt juventutem in literis naviter actam A. 1635 ſummos in Philoſophia honores conſecutus eſt, habita diſſertatione, cui titulus: *Sertum Philoſophicum, ex variis ſcientiæ naturalis floribus conſertum.* A. 1638 uxorem duxit *Irenem Mantuam Benavidiam*, ex Marci Mantuæ, JCti quondam famigeratiſſimi, progenie ortam. Neque ideo Muſis aut literis nuncium miſit, quod teſtantur *Poemata* ipſius Italica A. 1657 in 12 edita, & *Monumenta Patavina*, quæ Patavii 1652 edidit & Senatui Veneto inſcripſit, a quo ordini Equitum S. Marci eſt adſcriptus: itemque *Marmora erudita* ibidem anno 1669 edita, atque eruditiſſimus *de Notis Romanorum Commentarius*, qui Patavii 1672 typis deſcriptus, in Tomo XI Theſauri Græviani recuſus eſt, & cujus epitome in calce Marmorum Oxonienſ. 1676 editorum exſtat: & denique *Hiſtoria Patavina*, a condita hac urbe ad A. C. 1371 Italico ſermone deſcripta, & A. 1678 in fol. edita. Atque hac ratione effecit, ut non ſolum litteratorum, Caroli Patini, Octavii Ferrarii, Comitis Joannis de Lazara, aſſidui antiquitatum collectoris, & Comitis Caroli de Doctoribus, Poetæ celeberrimi, aliorumque amorem, ſed & Principum ac Purpuratorum, qui ſæpius ad ipſum literas dederunt, favorem ſibi conciliaverit, & in Academiam *Recuperatorum* cum plauſu receptus fuerit. Erat animo generoſo, & ab omni avaritia alieno, amantiſſimus patriæ, ita tamen, ut veritatem majori amore proſequeretur: ſiquidem ſtatuam, in publico quodam Palatio Patavino conſpicuam, quæ per tria ſæcula Tito Livio hiſtorico poſita credebatur, a Marquardo Gudio monitus, in Marmoribus eruditis, non Titi Livii iſtius, ſed alterius Titi Livii, Halys dicti, liberti cujusdam Liviæ Quartæ, Titi filiæ, & ſacerdotis Deæ Concordiæ, quam ethnici olim Patavii ſingulari cultu proſecuti fuerunt, monumentum eſſe, plurimis rationibus aſſerere non dubitavit. Inter Sanctos S. Antonium, Patavinum, maxime coluit, publico edito monumento A. 1653 ſub titulo: *Le Grandezza di S. Antonio di Padua*, in quo ſolennem, qua λείψανον aliquod hujus ſancti Patavio Venetias in templum S. Mariæ tranſlatum fuit,

fuit, rationem deſcribit. Poſt mortem uxoris ſecundas quidem nuptias celebravit cum *Franciſca Sfortia*; prolem tamen non ſuſcepit. Ætate jam provectus Profeſſor Academiæ Patavinæ publicus eſt conſtitutus, & meteora Ariſtotelis expoſuit. Cum vero hiſtoriam ſuam Patavinam, cujus jam ſupra mentio injecta, A. 1678 Duci & Senatui Veneto prolixa oratione offerret, quo Comitis decus cum omnibus poſteris ſuis meruit, urinam nimis diu retinendo ſemetipſum graviſſime afflixit, eoque eodem anno, die tertio Julii, diem ſupremum obiit, unico relicto filio Sertorio Antonio, ex quo duos habuit nepotes, Sertorium, & Joannem Antonium, Benedictinum Caſinenſem, cui hæc Marmora Avi debemus. In ipſo autem opere tredecim primum habentur Epiſtolæ, ad Viros perilluſtres exaratæ, quorum deſideriis Autor, pro oraculo ſui temporis in antiquis Inſcriptionibus explicandis habitus, pro virili reſponſurus, Inſcriptiones oblatas erudite non minus quam ſagaciter enodavit. In *prima* epiſtola, ad Comitem Joannem de Lazara, Equitem S. Stephani, & celebrem antiquarium data, ſequens explicatur Inſcriptio Aræ haud procul ab antiquo templo Sophiæ effoſſæ:

I. D.
C. HELVIVS
ROMANVS
PRO SE ET SVIS
V. S.

Hæc verba ita legit: *Junoni Divinæ Cajus Helvius Romanus pro ſe & ſuis votum ſolvit*, & præter alia de epithetis Junonis diſſerit, eamque divinam a Patavinis cultoribus dictam fuiſſe, monumentis aliis licet tacentibus, exiſtimat, quod domus Imperatoria divina quondam dicta, & Sol in Inſcriptionibus divinus appellatus ſit. In *ſecunda* epiſtola nummus illuſtratur, in quo Turpilianus IIIVir feminam extenſis brachiis, ſparſisque & intricatis capillis, ſcutis circumdatam, cudi curavit: & hanc Erizzus Armeniam, Urſinus vero Tarpeiam a Sabinis oppreſſam ſignificare conjicit; cui poſteriori opinioni Autor noſter ſubſcribit, & nummum, a Marſilio Papafava, nobili Veneto, ſibi oblatum, Auguſti monetam eſſe contendit, eo tempore cuſam,

quo

Digitized by Google

quo C. Petronius Turpilianus Triumvir monetalis fuit, qui ex gente Sabinorum ortus, Tarpeiæ imagine gentem ſuam indicare voluit. In *tertia* Epiſtola duæ exponuntur inſcriptiones, a Frigimelica, Medicinæ Profeſſore in Acad. Patavina primario, exhibitæ, quarum prima hæc eſt:

L. FABIO G. F.
PATRI. FABIAE
L. L. HELENAE. MATR
FABIA L. F. QUINCTA.
V. F.

ita legenda: *Lucio Fabio Caji Filio Patri, Fabia, Lucii Libertæ, Helenæ Matri, Fabia Lucii Filia Quincta Vivens Fecit.* Altera Inſcriptio eſt memoria ſepuchralis hujus formæ:

T. F. I.
T. AEB. C. F.
IN. FR. P. XLV
RET. P. XXX

quæ ita explicatur: *Teſtamento* (non Titulum) *Fieri Juſſit Titus AEButius Caji Filius. In Fronte* (i. e. in latitudine) *Pedes quadraginta quinque, Retro* (i. e. in longitudine) *Pedes triginta.* In *quarta* Epiſtola ad inſcriptionem, quæ ſub imagine feminæ multis figuris hieroglyphicis & floribus, non tam exiſtimationem, quam mortem præmaturam ſignificantibus, ornatæ inventa fuit, ita ſcriptam:

BRAETIAE
ꟿV. F
QVARTAE

figuram ꟿV in Gruteri Inſcript. p. 1043 n. 5 minus recte in MV immutatam, *Manium* denotare, cujus *Filia* Brætia fuerit, erudite oſtendit. *Quinta* Epiſtola octo complectitur inſcriptiones ex Iſtria transmiſſas, ex quibus attingemus *ſecunctam:*

P. VALERIO. L. F. PVP
IIIIII VIR. CONIVGI
P. VALERIO P. F. PVP
TIRONI. FILIO
VOLVNTILIA. PAVILA

ita legendam: *Publio Valerio, Lucii Filio Pupinia, Seviro* vel

U ſex-

ſextum viro, *Coniugi. Publio Valerio Publii Filio Pupinia Tironi Filio. Voluntilia Pavila*, vel, ut Autor noſter corrigit, *Voluntilla Paulla*, L per injuriam temporis ſorte in I mutato; & *ſeptimam* in vaſculo vitreo, cujusmodi veteres, mortuos ſuos deplorantes, ad excipiendas lacrymas oculis ſupponebant ſuis, ita exhibitam p. 92. Enimvero vaſculum iſtud Clariſſimo



Autori noſtro rariſſimum eſt, qui vaſculum vitreum literis ornatum ſe antea non vidiſſe teſtatur. Literas vero in illo expreſſas ita legendas eſſe judicat: *Opimius*, vel *Oppius*, aut *Opelius*, *Caii Filius*, In *ſexta* Epiſtola tres inſcriptiones votivæ illuſtrantur, ex quibus primam tantum afferemus;

I. O. M. OPSEQVE
M. VARENVS
POLYBIVS. PRO. SE
ET. SVOS
V. L. S. M.
M. CORNELIO. CAETHEGO. C. EPVCIO. CLARO
COS

ita expoſitam: *Jovi Optimo Maximo Obſequenti*, P, quod ſæpius fit, pro B poſito, quod epitheton Fortunæ frequenter, rarius Jovi appoſitum legitur, & juxta Giraldum idem eſt ac indulgens, clemens &c. *Marcus Varenus Polybius pro ſe & ſuis Votum Libens Solvit Merito*, &c. In *ſeptima* Epiſtola tres iterum explicantur inſcriptiones, quarum duæ priores ob ſingularem ſcribendi rationem notari merentur, qua Græcorum Lambda ſimplex pro Latinorum L & A, & geminatum pro M & ANN nec non duplex II pro E poſitum. Ita enim ſcriptæ ſunt:

L.Pλ SELLIO PLλV
TIλE TERTVLLλE
. . . SEλIF. MEREN
VI. POSVIT

D. M.
P.'IIλIO VICTO
RIλ. MORVM
VIII. λλ III
PλRIINTIIS. PI
IINIISSM

quas ita legit Autor noſter, iſtam quidem: *Lucius Plautius Sel-*

lio

lio Plautiæ Tertullæ - - - Selli Filiæ merenti vivus poſuit, hanc vero: *Dis Manibus Publio Elio Victorillo, Annorum octo, menſium trium, parentes pientiſſimi.* Pari ratione in Epiſtola *octava* varia explicat monumenta Mutinenſia; in *nona* & *decima* vero ad Henricum Noriſium de literis in nummo aureo Licinii Jovi Conſervatori ſacro, OB. DV. FILII. SVI. ſuam perſcribit ſententiam, literas illas legendas eſſe ratus *Ob Decreta Quinquennalia Filii Sui.* Noriſius autem, qui de eodem nummo poſtea diſſertationem ſuam edidit Florentiæ 1575, 4, legi oportere ſtatuit: *Ob Decreta Vota Filii Sui.* Quæ in Epiſtola *undecima* illuſtratur inſcriptio, Divum Auguſtum, Tiberium Cæſarem Divi Auguſti Filium, Divi Nepotem, Auguſtum, aquas in coloniam perduxiſſe teſtatur: &, quæ in Epiſt. *duodecima* habetur de Grania Bacchide, quod nomen fuit feminæ quæ DEANAE DO. DE. id eſt Dono Dedit; exigui eſt ponderis: majoris vero, quæ in Ep. *decima tertia* Autori de gente Pupia, nec non de purpurariis, ſeu purpurarum non piſcatoribus, qui murileguli aut conchileguli dicti fuerunt, ſed negotiatoribus diſſerendi materiam dedit.

Hiſce epiſtolis ſubjuncta eſt commentatio eruditiſſima, Cardinali Caſanatæ inſcripta, in ſepulcrum A. 1674 in via Flaminia caſu quodam detectum. Id ipſum quidem Jo. Petrus Bellorius Ovidii Naſonis monumentum fuiſſe arbitratur, cujus deſcriptionem, ſermone Italico Romæ 1680 editam, Kuſterus in Latinam linguam transtulit, & Tomo XII Theſauri antiquitatum Romanarum cum nitidiſſimis figuris inſeri curavit. Verum ſagaciſſimus Urſatus in longe aliam nos ducit ſententiam, & hoc ſepulcrum Q. Naſonii Ambroſii fuiſſe evidenter oſtendit. Præmiſſam deſcriptionem Roma transmiſſam ne prætermittamus, ſepulcrum hoc caverna dicitur affabre facta, multisque emblematibus & figuris ſymbolicis exornata; ad ingreſſum in loculo quodam Mercurius cum caduceo, & Apollo coronatus cum lyra depicti, & ſub illis homo exhibetur togatus & coronatus, qui ſpeciem extenſo brachio dicentis præ ſe ferens, a perſona nobili familiæ Senatoriæ vel Conſularis retrahitur, & ad dextram Mercurii femina apparet ſtolata. In ipſa vero commentatione de ſepulcris primum in genere, præſertim Roma-

nis, prolixe agitur: ſepulcrum ſcilicet dici omnem ſepulturæ locum, ubi corpus oſſave hominis condita ſunt: hæc in ipſa urbe quondam condita fuiſſe, donec lege XII tabularum interdictum fuit: *in urbe non ſepelito*: poſtea a plerisque extra urbem ſepulcra in vicinis hortis campiſque eſſe conſtituta: & loca ſepulturæ deſtinata ſacra admodum habita & religioſa, ſicuti etiam ſepulcrum in inſcriptione quadam Gruter. p. 1035 n. 11 *terrenum ſacrum* dicitur, addita imprecatione, vel pœna, ſi quis ſepulcrum violare auderet: hac quoque de cauſa magnitudinem terræ ſepulcralis in monumentis ſolicite eſſe notatam, *in fronte*, *in agro*, quot pedes longa & lata ſit: ex agro autem culto, eove, qui coli potuerit, nullam partem ſumtam eſſe ſepulcro, ut, indice Cicerone lib. 2 de legibus, mortuorum corpora ſine detrimento vivorum reciperent, ſed ex agro ſterili, vel locis ſaxuoſis, aut extremis finibus agrorum, & plerumque ſecundum viam, quo prætereuntes admonerentur, & defunctos vixiſſe, & vivos eſſe mortales: atque hoc nomine celebres inprimis factas eſſe viam Flaminiam & Latinam: nobiliores vero aut ſub montibus aut in montibus ſepultos fuiſſe, quæ conſuetudo Noſtro Pyramidibus Ægyptiacis exſtruendis anſam dediſſe videtur, quum Ægyptus montibus careat: ſepulcra reperiri etiam in rupibus aut montibus cavata, & licet XII tabularum lege cautum ſit: *Rogum aſcia ne polito* ambitionem mortalium in dies ſuccreſcente, ad miraculum uſque ornata: ſepulcra etiam diſtinguenda eſſe ab *arcis*, in quibus corpora condebantur, quæ *ſarcophagi* dictæ, & *conditoriis* ſive *hypogæis*, in quibus plures ejusmodi arcæ poſitæ erant; quanquam autores vocibus illis promiſcue uſi ſint: porro ritum ſepeliendi corpora, uti antiquiſſimum, etiam eo tempore, quo corpora combuſta fuerunt, a multis familiis ſervatum fuiſſe: quando vero corpora cremandi conſuetudo ſit abrogata, certo definiri non poſſe: denique ſepulcra fuiſſe vel ſingularia vel communia, & hæc rurſus vel hæreditaria, vel gentilitia, vel familiaria: ſingularia dici, quæ quis ſibi conſtituit, omnibus hæredibus ſuis excluſis, hiſce literis in ſaxis ſepulcralibus inſignita: H. M. H. N. S. id eſt: *Hoc Monumentum Hæredes Non Sequitur*, vel: H M. H. N.

H. N. S. N. H. H. id eſt: *Hoc monumentum Hæredes Non Sequitur, Nec Hæredes Hæredum:* vel H. M. G. N. S. i. e. *Hoc Monumentum Gentiles Non Sequitur:* vel etiam: IN H. S. (i. e. *Hoc Sepulcro*) SIVE. SERVVS. SIVE. LIBERI. SIVE. LIBER. INFERATVR. NEMO. & hæc ſingularia ſepulcra vel vivos ſibi poſuiſſe, vel T. F. I. S. id eſt, *Teſtamento Fieri Juſſiſſe Sibi*, vel a ſuperſtitibus conſtituta: communia vero, quæ pluribus ſepeliendis inſervierunt, primum fuiſſe hæreditaria, quæ quis ſibi hæredibusque ſuis conſtituit, ſequentibus notari ſolita literis: H. M. H. S. i. e. *Hoc Monumentum Hæredes Sequitur;* H. M. S. S. I. A. H. E. P. i. e. *Hujus Monumenti Sive Sepulchri Jus Ad Hæredes Ejus Pertinet:* tum gentilitia, ad omnes eos, qui eodem utebantur cognomine pertinentia: cujusmodi ſepulcrum e. g. fuit Fabiorum hac Inſcriptione notatum:

L. M.
FABIORVM
Q. Q. V. P. L.

Hoc eſt: uti Autor cippum nunc apud ſe conſervatum explicat: *Locus Monumenti Fabiorum, Quoquoverſum Pedes quinquaginta:* tum familiaria, quæ quis ſibi familiæque ſuæ conſtituit, & hæc modo hæredes non ſecuta, modo ſine ulla conditione, modo ex parte tantum vel dimidia, vel tertia, vel ex ſextante, communia fuiſſe; quibus annumerari poſſent ſubterranea ædificia arcuato opere exſtructa, pavimentis ſtrata ac parietibus circumſepta, in quibus varii habentur cippi ſepulcrales, cum memoriis inibi quoquo jure vel titulo ſepultorum, nec non polyandria, ſive communia militum aliorumve ſepulcra. His magno cum eruditionis apparatu præmiſſis, ad ipſum, quod illuſtrandum ſibi ſumſit, ſepulcrum tandem accedit, & miſſis emblematibus in parietibus paſſim depictis, hominem togatum & coronatum minime Ovidium indicare, & Q. Naſonium nec de gente Ovidia, nec Ovidii libertum fuiſſe, alioquin non *Naſonium*, ſed *Ovidium* appellandum, cum Naſo non Ovidiæ ſolum gentis ſed etiam Actoriæ, Juliæ, Ottaciliæ, Sextiæ & Pontiæ cognomen fuerit, haud incongrue tradit, ac, omnibus

circumſtantiis probe ponderatis, concludit, hoc ſepulcrum ex numero communium & familiarium; gentemque Naſoniam, in nulla alia Inſcriptione, quotquot viderit, memoratam, procul dubio plebejam; Q. Naſonium quoque fuiſſe libertum, de quo præter neceſſitatem Autor ſubdubitare videtur, cum collibertorum in Inſcriptione mox afferenda mentio fiat. Et ne quis objiciat, tam ſplendidum monumentum eſſe ſupra dignitatem hominis plebeji, plebejos maximo præ reliquis luxu uſos fuiſſe, ex Statio & Martiali obſervat. Tum Inſcriptiones IV, in hoc ſepulcro inventas, more ſuo, hoc eſt, ſcite admodum & pererudite exponit, quarum prima, quæ quidem præcipua, ita deſcripta exhibetur:

D. M
Q. NASONIVS. AMBROSI
VS. SIBI. ET. SVIS. LI
BERTIS. LIBERTABVSQVE
.... NASONIAE. VRBICAE
CONIVGI. SVAE. ET. COL
LIBERTIS. SVIS. ET
POSTERISQVE. EOR

Altera hujus ſepulcri Inſcriptio hæc eſt:

D. M.
AELIO. COGITATO. VETERANO. AVGG. N.N.
QVI. VIXIT. ANNIS. XXXX. MENSIB. X. DIEB. VIII
ET. MILITAB. ANNIS XVIII. AVREL. IOVIN
VETERANVS. ET. LOLLIVS. CONSTANTIN
MILEX. COH. II. PRAETORIAE. VLPIVS
MARCELLIANVS. EQVES. SINGVLARIS AVGG. N.
BENEMERENTI. FECERVNT

ita legenda: *DIs Manibus. Ælio Cogitato, Veterano Auguſtorum Noſtrorum*, (duobus ſimul imperantibus) *qui vixit annis quadraginta, menſibus decem, diebus novem, & militavit* (B pro V poſito) *annis decem & octo, Aurelius Jovinus Veteranus & Lollius Conſtantinus Miles* (X pro S) *Cohortis ſecundæ Prætoriæ, Ulpius Marcellianus eques ſingularis Auguſtorum Noſtrorum bene merenti fecerunt*. Ubi de Veterano milite, de cohor-

corte Prætoria, de equite ſingulari, multa diſtinctius ponderanda cumulat, quibus tamen diutius immorari nobis non licet. Ad tertiam properamus Inſcriptionem ita deſcriptam;

D. M.
L. VOCVSIO. VALENTINO
FECIT. SCADRIA. FOR
TVNATA. CONJVX. QVAE
VIXIT CVM IVM ANN
IS X. M. III. CONJVGI BE
NEMERENT. QVI VI
XIT. AN XI M. III. DIE
BVS. VI. BENEMEREN
TI. FECIT
B. M.

ab Autore noſtro ita expoſitam: *L. Voluſio*, (ita pro Vocuſio legendum arbitratur) *Valentino fecit Scadria Fortunata*, ex liberta forte civis Romani facta *Conjux*, *quæ vixit cum ium* (id eſt, *cum eum*, pro *cum eo*, uti *cum quen* in Inſcriptione ex Grutero citata poſitum pro *cum quo*) *annis decem*, *menſibus tribus*, *conjugi bene merenti*, *qui vixit annis XI* (rectius XL, i. e. quadraginta, quod Autor alterius conjecturæ præfert, qui XN, i. e. octoginta, N nonaginta ſignificante, ponendum ſtatuit) *menſibus tribus diebus ſex. Bene merenti fecit. B. M.* ex ſententia Autoris *Bene Maneat*: quidni *Bona Mente*, vel *Bene Merens*? In quarta denique Inſcriptione:

P.O. M. EB I
ROMA.NI.AE. VI.TALI
FI.LE.TI. FILIA §
CONJV.GI MEREN.TI
CAE. SONIVS. PROBVS. FEC

Prima tantum linea Oedipo indiget, quam Autor hoc loco, non legendam eſſe monet: *Patrone Optime Merito e Bonis*, uti quidem in aliis fieri poteſt: ſed ita legi oportere conjicit: *Poſteris Omnibus Monumentum & Romaniæ Vitali Fileti Filia &c.* Utut vero Autor non in omnibus Inſcriptionibus rem acu tetigerit, ex dictis tamen cuivis perſpectum ſatis erit magnum illum

illum ſua ætate fuiſſe Apollinem, in Hiſtoria antiqua & arte veterum monumenta ſagaciter perveſtigandi verſatiſſimum: quandoquidem etiam in hoc opere quamplurimas Inſcriptiones a Grutero collectas peregregie explicatas dedit. Jam quod ad *notas* Jo. Antonii Urſati attinet, & Epiſtolis & Commentationi commemoratæ annexas, ingenue fatemur, easdem operi huic plurimum conciliare pretii. Etenim nonnulla modeſte dextreque emendat, multa copioſius illuſtrat, & in omnibus maturum judicium, variamque lectionem & eruditionem criticam oſtendit. Ex. gr. quando avus in Inſcriptione votiva Soli divino ſacta literas M. G. L. Q. ita legit: *Merito Gratias Libens Quæſivit*, hæc lectio nepoti inuſitata, & ſequens præferenda videtur: *Merito Gratus Libens Que.* p. 23. Sic literas in fine Inſcriptionis cujusdam poſitas D. M. V, quas avus legerat: *Dis Manibus Univerſis*, ſignificare potius judicat *Dis Manibus Vosum* ſive *Vovit*. Sic etiam quando avus diem natalem in Inſcriptione ſequente ſepulcrali a Grutero p. 636 n. 12 adducta: *Hi horti, uti optimi maximique ſunt, cineribus ſerviant meis. nam curatores ſubſtituam, qui veſcantur ex horum hortorum reddito natali meo, & præbeant roſam in perpetuum* &c. de die mortis accipi poſſe largitur, nepos perſuaderi ſibi non patitur, apud gentiles diem natalem pro die mortis unquam uſurpatum, ſed diem nativitatis a vivis celebrari ſolitum, juſſu quoque defunctorum floribus ſparſis, vel alia quadam ſolenni ratione celebrandum fuiſſe, ſequente Inſcriptione ex Montfauconii Diario Italico excerpta probare conatur:

DECRETA
AEDICVLAM. STATVAS. HAS. HOSTIAM. DEDICATIONI
VICTIMAE. NATALI. AVG. VIII. K. OCTOBR. DVAE QVAE
P. P. IMMOLARI. ADSVETAE. SVNT. AD. ARAM. QVAE
NVMINI. AVGVSTO. DEDIC. EST. VIIII.
ET. VIII. K. OCTOBR.
IMMOLENTVR.

In qua Inſcriptione cum dies natalis Auguſti dicatur VIII Kal. Octobr.

Octobr. i. e. d. 24 Sept. Suetonius vero Auguſtum natum eſſe referat d. IX Kal. Octobris, Clar. Urſatus, Inſcriptionem hanc cum Suetonio conciliaturus, Auguſtum forte in fine d. IX Kal. Oct. & principio ſequentis diei in lucem editum eſſe conjicit, idque ex hac ipſa Inſcriptione colligi poſſe opinatur. De cetero non prætereunda nobis eſt pietas Jo. Ant. Urſati, qua Avum ſuum in Annot. ad Epiſtolam quintam vindicat, a Grævio erroris inſimulatum, ac ſi Jo. Calvinum, Profeſſorem quondam Juris in Academia Heidelbergenſi, cum Jo. Calvino Theologo perperam confudiſſet, dum illius Lexicon Juris citans in Commentario ſuo de Notis Romanorum, Autorem *damnatum* appellat. Nam Jo. Calvinum, JCtum, non Romano-Catholicorum, ſed Zwinglianorum ſeu Calviniſtarum ſectæ addictum atque adeo ab illis pro hæretico habitum, *damnatum Autorem* ab Avo ſuo dici potuiſſe, cum etiam Lexicon ipſius, quoad unam alteramve legem, cum aliis ejus operibus, ab eccleſia Romano-Catholica ſit proſcriptum: nec de hæreſiarcha, uti loquitur, Joanne Calvino, Avo ſuo ſermonem eſſe, vel ex eo cognoſci poſſe indicat, quod in eodem commentario Franciſcum Hottomannum eodem ſenſu Autorem damnatum dixerit. Id quod etiam Lectorem candide monere noſtrum eſſe duximus, ne nos, qui ex Grævii Theſauro in Tomo III Supplementorum noſtrorum p. 495 erroris inſimulati mentionem fecimus, inculpati nominis vindicias temere prætermiſiſſe videamur. Denique præſtantiſſimum Commentarium *de Notis Romanorum*, librum jam diu in bibliopoliis deſideratum, quem cum Avi ſui acceſſionibus & correctionibus auctiorem & emendatiorem denuo ſe editurum promiſit Clar. Jo. Ant. Urſatus in Præfatione hujus operis, avide exſpectamus, & fidem publice datam, primo quoque tempore liberatum iri ſperamus.

BALTH. BRANCHU NOTATA AD CHRISTFR. WÆCHTLERI Excerptum ex ejusdem Branchu Obſervationibus ad Jus Romanum, nuper Actis Eruditorum Lipſienſibus inſertum, hoc A. 1722 M. Majo p. 248 & ſeqq.

BIs vitioſe nomen meum eſt ibi ſcriptum, ex hac vera ejus ſcriptura emendandum.

1) *Pag. 248 verſ. 2, 3 excerpti illius in Act. Erud. Lipſ.* Mirum eſt, Virum nitidioris Jurisprudentiæ ſtudioſum, qualem ſe profiteri Cl. Wæchtlerum puto, res ad ſtudia humaniora pertinentes tangere nolle, easque Criticis relinquere.

C. I. 2) *P. 249 v. 8, 9.* Verum ſemper manet, Baſilicos Interpretes male *d. l. 22* accepiſſe.

3) *Ibid. v. 12, 13, 14.* Recedit Cl. Wæchtlerus ab eo, quod ſolum mihi propoſueram; agit ille de jure, de quo ſcripſi *p. 2 Obſ. m.* agere me nolle, quia Cujacius id optime jam egerat. Ego vero *ago* de vera ſpecie *d. l. 22.* Ergo licet, quantum ad jus attinet, nihil referat, utrum Titius dederit XV an XX, ſemper tamen, qui factum & ſpeciem ipſam *d. l. 22* noviſſe cupiet, quæret, quamnam ex iis quantitatem dederit Titius. Scripſit Cujacius XX, ego docui XV, nec me erraſſe oſtendit Cl. Vir, licet refutare me voluerit.

II. 4) *Ibid. v. 21.* Si innuit Cl. Wæchtlerus, ſcripſiſſe me, Ulpianum non habuiſſe pro certo rationem decidendi, quam affert, rem mihi abſurdiſſimam tribuit, quamque nusquam ſcripſi.

5) *Ibid. v. 22.* Diſtingue, vel ratio dubitandi eſt propoſitio falſa, vel eſt propoſitio vera, ſed ad caſum, qui tractatur, ob circumſtantiarum diverſitatem non pertinens. Prior inepta eſt, & nuda inficiatione rejicitur, ut in *l. 1 ff. de reſcind. vend.* Poſterior gravis eſt, nec aliter tollitur, quam ſi oſtendatur, ſpeciem, quæ tractatur, eſſe diverſam, ut in noſtra *l. 2 §. 2 ff. de hæred. vend.* Ibi propoſitio, quæ dubitationem afferebat, hæc erat: *Pars ejusdem hæreditatis, quæ adcrevit, emtori partis, cui altera adcrevit, eſt reſtituenda.* Hanc propoſitionem non negat JCtus; ſed negat ei, quam veram eſſe adgnoſcit, eſſe locum in *d. l. 2 §. 2*, quia non ejusdem hæreditatis pars venditori adcrevit, ſed alia & nova hæreditas, i. e. non pars hæreditatis paternæ, ſed hæreditas filii.

III. 6) *Ibid. v. 30 quia &c.* Multo firmius eſt meum argumentum *p. 16 ad fin. Obſ. m.*

7) *Ibid v. 33.* Immo, argumento ex alio juris Capite ducto, etiam teneri eundem nullos fructus reſtituere.

8)

8) *Ibid. v. 35, 36.* Putabam perſpicue me ſcripſiſſe *p. 17 Obſ. m.* Sed mentem meam neutiquam intellexit Cl. Vir. Poſtquam oſtendi, argumenta duo ex juris capitibus duobus petita contraria omnino ſuadere, ſcripſi, mediam tenuiſſe viam JCtum, ideoque neque omnes, neque nullos, ſed aliquos fructus conjugi conceſſiſſe, atque diviſionem eorum petiviſſe ab opera in iis colendis & curandis poſita, ut induſtriales ideo conjugi concederet.

9) *P. 250 v. 7.* Non ſic eſt: nam adjectio vocis *alterius* mihi noceret: unde improbo Baſilicos Interpretes, quod addiderint ἄλλε, ubi Pomponius nihil ſimile ſcripſit.

10) *Ibid. in ſeqq.* In iis, quæ quaſi novam proponens opinionem ſcripſit Vir Cl. fere credam me cæcutire: tot enim in iis mihi diſplicent, ut vix ſuſtineam ea Viro docto tribuere. Nihil ſcribit aut quærit Pomponius de reſtitutione, ſed de ſola fructuum acquiſitione. Ad rem non pertinet, quod objicit Cl. Vir, nullum occurrere in lege æquitatis veſtigium: nec enim ego egi de æquitate, aut ei oppoſito jure ſtricto; egi de ſententia inter oppoſitas duas media. Quod conjux fructus dicatur a Cl. Viro in *d. l. 45* ſuos facere *non tam per ſolam perceptionem, quam quia Societas vitæ quodammodo dominum facit conjugem:* id & alienum penitus eſt a verbis *d. l. 45* & juris civilis indoli incognitum, quod nullam inducit inter conjuges bonorum communionem. Porro ſcribit Cl. Vir *v. 17, 18, 19, 20*, conjugem in *d. l. 45* dici fructus omnes ſuos facere multo magis adhuc, quam b. f. poſſeſſorem: at *d. l. 45* diſertis verbis id negat, & tribuit conjugi tantum fructus induſtriales, quia ex facto ejus ii naſcuntur; idque & comparatio cum b. f. poſſeſſore illud eſt quod adeo torquet Interpretes. Quæ porro addit, aliena ſatis ab hac diſputatione ſunt; ideoque nolo ſuper iis novas ciere lites.

11) *P. 251 v. 4 & infra v. 23.* Quid? Suntne Cl. Wæchtlero diverſi a Caſſianis Sabiniani? C. IV.

12) *Ibid. v. 20.* Omnis m. c. donatio mihi fit ſub conditione, *ubi ante mortuus ero.*

13) *Ibid. v. 21.* Immo illud *fere* σχεδὸν pertinet ad indicandum, ſimilitudinem cum legatis non procedere per omnia.

14) *Ibid. v. 29.* Mirificum id foret, quum Julianus Marcello multo ſit antiquior. Hujus dubii autorem, Lector, Cl. Wæchtlerum habe: nam talia ego nec ſomniavi unquam.

15) *Ibid. v. 33.* Immo oſtendi ipſe *p. 27 Obſ. m.* in hoc eos conſenſiſſe. Sed diſſenſus de hoc fuit: *An ita m. c. donari queat, ut nullo in caſu revocetur?* negavitque id Marcellus in *d. l. 29*, poſt alios nonnullos in *l. 13 §. 1 l. 35 §. 4 ff. de m. c. donat.* Sed contendit eſſe eam magis *cauſam donandi*, i. e. pure factam liberalitatem, ſive propriam donationem, quomodo explicui *p. 32 Obſ. m.* & confirmant *l. 2 §. ult. ff. de donation. l. 3 eod.*

16) *P. 252 v. 5, 6, 19, 20.* Hæc eadem eſt opinio Bachovii, memorata a me *p. 29 Obſ. m.* ac deinceps refutata.

17) *Ibid. v. 7.* Neque ego id dixi. Videtur Vir Cl. duas quæſtiones, quas ſeparatim tractavi, hic permiſcere.

18) *Ibid. v. 9.* Immo agit Paullus tantum de modis, quibus m. c. donari poteſt.

19) *Ibid. v. 10.* Si concedatur, quod negari non poteſt, fuiſſe hic diſſidium inter Proculejanos & Caſſianos, ſatis apertum eſt, Paullum Caſſianos eſſe ſequutum, ideoque negaviſſe, eſſe hac in parte locum in rem actioni. Atque hæc eſt cauſa, cur Ulpianus in *l. 29 ff. de m. c. donat.* adeo ſollicite oſtendere nitatur, ſemper eſſe locum in rem actioni. Conf. *p. 23 Obſ. m.*

20) *Ibid. v. 22.* Quidni?

21) *Ibid. v. 24.* Hoc non eſt adeo perſpicuum. Sed & ago ego de ſimilitudine m. c. donationum cum legatis majore quam cum propriis donationibus. Verum vitium, quod ad *v. 7 huj. p.* Viro Cl. objeci, in cauſa eſt, cur non cernam, quo ejus diſputata redeant, & qui refuter.

C. V. 22) *P. 253 v. 6.* Non modo Budæum non culpavi, verum etiam eum laudavi, *p. 40 Obſ. m.* quod inter paucos, forte & primus, perite hic noverit diſtinguere. Sed & ex modo, quo Vir Cl. Budæi quaſi errorem hic refert, & *v. 15, 16* eum defendit, apparet, eum non intellexiſſe diſtinctionem illam, quam obſervavi *p. 39, 40 Obſ. m.*

23) *Ibid. v. 3, 4.* Immo ſcrupulum non tolles, ſi verba *Beſtias* &c. uncis includas: quia ejusmodi illa ſunt, ut non idonea ſint ad ſenſum ſeparatum efficiendum; ſed omnino reſpici-

unt

ſunt orationem, cui innectuntur, & ſic eam hic turbant. Audi verba ipſa: *Beſtias autem accipere debemus*, ergo in loco, de quo agitur: deinde oppoſitio inſtituitur *ex feritate magis quam ex animalis genere*, quæ ſic ad locum illum relata penitus eum conturbat, uti fuſe oſtendi. Additur tandem interrogatio: *nam quid ſi leo ſit* &c. quæ iterum locum illum reſpicit, quaſi Ulpiani definitio tunc falſa foret, quod nequiquam ſit.

24) *Ibid. v*, 4, 5. Objectum dubium a Cl. Viro tolletur, ſi in locum vocis *autem* poſt *Beſtias* ſubſtituas *enim*. Sed neſcio, an ita faſtidioſum eſſe ſemper cum veritate magis conveniat. Certe peccamus Critici omnes, dum tacite ponimus, Autores quod aptiſſimum eſt ſemper ſcripſiſſe.

25) *Ibid. v.* 9. In tranſitu pro *commota* in *l. 1 §. 4 ff. Si quadr. paup. fec.* emendat Vir Cl. *non mota*. Sed nihil eſt mutandum. Scripſit revera, atque optime ſcripſit Ulpianus *commota feritate*, i. e. oborta feritate in quadrupede contra exſpectationem & naturam ejus. Sic eodem modo in hac ipſa lege §. 7 ſcripſit Ulpianus: *Et generaliter hæc actio locum habet, quotiens contra naturam FERA MOTA pauperiem dedit.*

26) *Ibid. v.* 12, 13. Ceſſat actio, non quod beſtia nocuit; deſiit enim juxta Ulpianeam *beſtiæ* definitionem eſſe beſtia, quæ naturalem feritatem exuit, ſed ideo ceſſat actio, quia leo concitatus ab alio fuit, *l. 1 §. 7, 11 ff. Si quadr. paup. fec.*

27) *Ibid. v.* 13, 14 Quia ſola *l. 1 §. 10 ff. Si quadrup. paup.* egebat ea gloſſa, ut ſenſus in ea commode conſtet. Adde quod *d. L. 1* etiam Ulpiani ſit, quum leges a Cl. Viro adductæ ſint aliorum. Immo & penitus nego, poſſe juris expoſiti veritate ſalva inſeri iis in locis hanc gloſſam. Juris periti ejuſce dicti mei rationem norunt. Quum ergo *beſtiæ* definitio illa non generalis ſit, ſed ad materiam juris quandam tantum accommodata, ſequitur, non poſſe illam parentheſin eſſe in *l. 1 §. 6 ff. de poſtulando* ad reliquam orationem non pertinens: & confirmatur inſigniter ejus ſitus in *d. l. 1 §. 10*, quum ibi ſit ea veriſſima.

28) *Ibid. v.* 27, 28. Quidni ſæpius errarunt? nolui loca omnia adferre, exempla manifeſta tantum attuli. Ceterum hoc nolim JCtis verti vitio, quod prædonem dicant *poſſidere pro* C. VI.

 poſſeſſore;

poſſeſſore; ſed quod in Edicto de hæreditatis petitione verba *pro poſſeſſore* de prædone acceperint.

29) *Ibid.v.30,31,32.* Quæ affert hic Autor, minime probant, quod intendit. Nam non nego ego, prædonem quemcunque poſſe hæreditatis petitione conveniri. Id de quibusdam tantum negavi, e.g. de eo cujus eſt mentio in *l.12 ff. de hæred. pet.* non etiam de eo, qui licet mala fide, affectat tamen hæredis titulum, qualis occurrit in *l.1 §.9 ff. Si quis omiſſ. cauſ.* nam is liti ſe offert, quem ob dolum ſuum liti etiam ſubjici conſtat *l.45 l.13 §.13 ff. de hæred. pet.* Ceterum omnino exiſtimo, errorem, quem hic carpo, jam fuiſſe admiſſum in prima & antiquiſſima edicti illius Prætorii expoſitione.

30) *Ibid. v.34, 35,36,37.* Hic revera movetur dubium, nec errore minus intellectæ meæ opinionis nixum, nec levis momenti. Unde lætor, ita offerri mihi ejus removendi occaſionem: quod jam ab aliquo tempore optaveram. Dubia hic quaſi duo obſervari poſſunt. I) Prædonis interrogati, *an pro hærede poſſideat*, ſilentium interpretationem in ejus damnum recipit, quaſi dixiſſet ſe *pro hærede poſſidere*. (Nam ſic objectio concipienda eſt, & eſt laudanda *l. 11 §. 4, 7 ff. de interr. in jur. fac.* & pro ſilentio habendum eſt, ubi quis ad interrogata non reſpondet; alioqui nulla erit objectio). II Titulus *pro poſſeſſore* titulos alios omnes complectitur *l.13 §.1,2,3 ff. de hæred. pet.* Ergo qui *pro poſſeſſore* poſſidet, videtur *pro hærede* poſſidere. Statim obſervabo, non eſſe objectionem, ſi quis dicat, non poſſe alia actione res omnes hæreditarias uno impetu prædoni auferri. Nam, qui ita objiceret, temere ſupponeret, eſſe jure civili proditas actiones omnes maxime commodas: nec inſuper oſtenderet, qua ratione ſeu fictione hæreditatis petitio contra prædonem a Prætore fuerit inducta, quod omnino eſt neceſſe facere, ſi, quomodo demonſtravi, verum ſit, juris indoli penitus hoc repugnare, maxime quum conſtet, non habuiſſe Prætorem poteſtatem legiſlatoriam. Ergo ut, juris principiis ſalvis, propugnetur hæreditatis petitio contra prædonem inſtituenda, videtur ſtatuendum, prædonem aut interpretatione tantum haberi pro poſſeſſore *pro hærede*, aut inſuper id ipſum ſimul indicari in dictione *poſſidere pro*

poſſeſ-

poſſeſſore, quaſi elliptica ea ſit pro plena hacce: *poſſidere pro poſſeſſore hæreditatis*. Sed ſi prius dicatur, tunc non neceſſe fuit, a Prætore & a JCtis perpetuo inculcari, dari hæreditatis petitionem contra eum, qui *pro hærede* aut *pro poſſeſſore* poſſidet: ſatis erat docere, dari illam contra eum, qui *pro hærede* poſſidet, quum ea dictio complectatur quaſi fiduciarium hæredem *l. 16 §. 7 ff. de hær. pet.* bonorum poſſeſſorem *l. 11 pr. eod.* & ſic etiam prædonem, ſi contra eum hæc actio detur. Immo & aliter loqui, maxime Prætori, fuit vitioſum: nam ſi hæreditatis petitio contra prædonem danda ſit, non inde danda erit, quod is *pro poſſeſſore* poſſideat, ſed quod *pro hærede* poſſidere videatur. Sed ſi *poſſeſſor* ibi intelligendus ſit *bonorum poſſeſſor*, ut ego contendo, optime erit Prætor loquutus; ſimili ratione, qua reſpectu actoris ſpeciali nomine dicitur *poſſeſſoria* hæreditatis petitio. Videamus igitur, nonne conjectura altera ſit probabilior, quod *poſſidere pro poſſeſſore* ellipticum ſit, dicaturque pro *poſſidere pro poſſeſſore hæreditatis*. Sed hoc admitti non poteſt. Nam ubi dictio illa exponitur, ejus ellipſeos non fit mentio: immo ſatis intelligas, in dictione illa vocem *poſſeſſorem* denotare prædonem, ut perſpicuum ſatis eſt ex *l. 13 §. 1, 8 ff. de hæred. pet.* nec mirum eſt prædonem κατ' ἐξοχὴν dici *poſſeſſorem*, nam innuit ſatis Ulpianus in *l. 12 ff. eod.* inde eſſe petitum ejus nomen, quod non aliam, veram certe i. e. nullam, poſſeſſionis ſuæ dicere cauſam queat, quam *quia poſſideo*. Sed & in aliis juris articulis, ubi de hæreditatis petitione non eſt ſermo, æque dicitur prædo *pro poſſeſſore* poſſidere *l. 33 §. 1 ff. de uſurp. & uſuc. l. 16 ff. de acq. vel am. poſſ. l. 110 ff. de condit. & demonſtr.* quod ineptiſſime fieret, ſi elliptica & eo modo ſupplenda hæc dictio foret. Tandem quis non videt, nimiis ambagibus laboraturam eam dictionem, ſi hoc modo explicetur: quippe ſi prædo ille pro hæreditatis poſſeſſore ſit habendus, dicetur ſimpliciter *poſſidere pro hærede*, non vero *poſſidere pro poſſeſſore hæreditatis*. Denique & ellipticam illam expoſitionem plane reſpuit laudata jam *l. 13 §. ff. de hæred. pet.* maxime in verbis: *Item in titulo* pro donato *quæritur, an quis* pro poſſeſſore *poſſideat, utputa uxor vel maritus? Et placet nobis Juliani ſententia*, pro poſſeſſore *poſſidere eum; & ideo petitione tenebitur*. Nam ſi ellipſis admittenda eſſet, foret illa *pro poſſeſ-*

ſore

fore pro donato, quod non ſinunt verba ſequentia; unde certum eſt, vocem *poſſeſſorem* denotare in dictione illa prædonem. Ad objectionem alteram, ſive objectionis ejusdem partem alteram, quod attinet, perſpicuum eſt, in *l. 13 §. 1, 2, 3 ff. de hæred. petit.* aliud nihil dici, quam titulos omnes cum mala fide poſſe eſſe conjunctos: ſane qui titulum aliquem ſuæ poſſeſſionis adducit, poteſt ſemper ſibi eſſe conſcius, non ſibi juſtum eum eſſe. Sed *d. l.* minime vult, prædonem intelligi poſſe poſſidere quovis titulo, licet titulum illum non obtendat. Sed &, quum in hiſce verſer, occupabo & aliam objectionem. Licet mihi *poſſeſſor* eſſe hic prædo concedatur, nihilominus, dicet quis, comparat eum JCtus etiam in alio juris articulo cum hærede, ſc. in *l. ult. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt.* Sed parata eſt reſponſio in *l. 1 §. 9 ff. eod.* agi de illo prædone, qui ſe hæredem *bonorumve poſſeſſorem jactat*.

C. VII. 31) *P. 254 v. 7.* Nec eſt neceſſe, quum negem agi in *d. l. 6 pr.* de parte pretii.

32) *Ibid. v. 8, 9.* Sed non poteſt ſtare nova opinio, priusquam mea ſit everſa.

VIII. 33) *Ibid. v. 31 & ſeqq.* Hæc non evertunt, quæ ſcripſi, nec Imperatoris arguendi modum in *§. 1 l. quib. ex cauſ. man.* defendunt. Porro non video, quo pertineat, aut cujus ſit uſus, loca multa de *vindicta*, re ſatis nota, cumulare.

34) *P. 255 v. 5, 8, 9 &c.* Dare libertatem non fuit res majoris momenti, quam pretium ſervi erat, Sed accipere libertatem & olim fuit & ſemper erit res inæſtimabilis. Sed nec hæc Cl. Autoris diſputatio Imperatorem noſtrum reſtituit.

35) *Ibid. v. 15, 16.* Etiam in *§. ult. I. quib. ex cauſ. man.* de teſtamentaria manumiſſione tantum agit Imperator. Non eſt id diſſimulandum.

IX. 36) *Ibid. v. 23 & ſqq.* Non recte aut diligenter ſatis opinionem meam refert Cl. Vir, ergo tu, Lector, inſpice potius, quæ ipſe ſcripſi *p. 86 & ſeqq. Obſ. m.*

37) *P. 256 v. 6 & ſeqq.* Anxie diſquirit Cl. Vir, ex duabus Cujacii opinionibus quæ fuerit poſterior, & hanc poſteriorem ſtatuit, quam ego priorem conjeceram. Dubia res mihi fuit & ad-

Digitized by Google

& adhuc eſt. Ceterum id ad rem non pertinet, quum neutram ſim ſequutus.

38) *Ibid. v. 29.* Ad oppoſitionem quod attinet (ut de hac prius dicam) non video, quæ major oppoſitio ſit in ſpecie Cujaciana, quam in mea. Deinde obſervat Cl. Vir, *plane me abire a mente Ulpiani.* Vehemens ſane hæc eſt increpatio pro tam notabili probationum defectu. Nam quod ſcribit a *v. 29. Aliud* &c. ad *v. 32. Hic* &c. idem in ſpeciebus meis continetur. Pergit: *Hic conſtitutio* (JCti contractum illum conſtanter vocant *conſtitutum*) *non fuit facta in tempus legationis obeundæ* &c. Mihine id tribuis Cl. Vir? At ubi hoc negavi? Sed & hoc nullius eſt ponderis reſpectu ſpeciei meæ: quia in altero illo caſu *l. 5 §. 1 ff. de conſtit. pec.* ſtatuo ego, quæri de actione de conſtituta pecunia in provincia inſtituenda. Confer quæ ſcripſi *p. 88 Obſ. m.* Sed mirum eſt, Virum Cl. ſi Cujacii ſententiam ſequi velit, non reſpondere prius iis, quæ contra eum ſcripſi.

39) *Ibid. v. 36.* Modo a mente, nunc a verbis JCti juxta Cl. Virum diſcedo in *l. 8 ff. de judic.* Rogo Lectorem, dicat, quis verbis legis magis obtemperet; egone, qui juxta legis inſcriptionem, quæ docet tractari jus in Provinciis obſervandum, ſtatuo, locum legationis actionisque inſtituendæ eſſe in Provincia, an Cl. Vir, qui cum Cujacio, nihilo ei favente neque lege ipſa neque ejus inſcriptione, ſtatuit, locum illum eſſe Romam: atque inſuper incidit in interpretationis inconſtantiam & vitium notatum a me *p. 82 Obſ. m.* ne reliqua memorem, contra Cujacii interpretationem a me ſcripta, quæque Vir Cl. intacta reliquit.

RESPONSIO CHRISTFRIDI WÆCHTLERI.

INterpretes Baſilici recte acceperunt textum, citra certam quantitatem; quia illam non inveniebant ibi. Licuit tamen illis aliunde adjicere, *vel ultra quam accepit ὁ πρωτότυπος.* Agunt enim paſſim paraphraſten. Certum eſt, ultra mandatum Titii fuiſſe numeratum. Titium autem minus crediſſe, quam ei per errorem promiſſum erat, non eſt in textu. Laudo CAP. I.

 ſtudi-

ſtudium imitandi Mathematicos; ſed applicatio illius methodi hic deficit. Neque regulæ Carteſianæ fuerunt adeo reconditæ,
CAP. II. ut nunc demum aperiantur. Rem abſurdiſſimam nolim cuiquam tribuere. *Tentandum eſt*, inquis, *quid novi: oſtendam, Ulpianum ſententiam meam habuiſſe pro ratione dubitandi, ideoque pro dicto nemini dubio.* Rejecit illam Ulpianus, adjecta ratione decidendi expreſſa, *quia alia hæreditas eſt. Ergo*, inquis, *pro certo habere debuit Ulpianus, hæreditate vendita partem ejusdem, quæ poſtea acquireretur venditori*, (emptor enim impuberi non erat ſubſtitutus,) *ex empto actioni locum facere.* Si poſt venditionem demum delata ſit impuberis hæreditas, adhuc alia eſt, nec ſimul vendita: niſi de ea ſimul quoque actum appareat. Cur ſcribere debuerit Ulpianus, *an etiam id in ex emto actionem veniat?* non vero, *an id etiam ex emto actioni locum faciat?* i. e. denuo actionem emtori pariat, non tangam. Retineo etiam, *& magis eſt, ne veniat*, ſcil. in ex emto actionem. Applica hic methodum illam Mathemathicam, ſi ea cujusvis legis ſpeciem facile detegit. Ego vero
III. putabam, mentem Tuam facile intelligi: *conditio m. f. poſſeſſoris plane non ferebat, ut is omnes fructus lucraretur*, ideoque Pomponius *mediam ſententiam, pro ſolita veterum Prudentum æquitate. amplexus eſt.* Loqueris ergo de æquitate ſolita. Improbas Baſilicos, quod addiderint ἄλλε. Pomponius autem ſimiliter, *ſicuti nec cujuslibet b. f. poſſeſſoris.* i. e. *dari quosdam b. f. poſſeſſores*, quorum non fiunt fructus irrevocabiliter, qui ex facto illorum non naſcuntur. Hic non oportuit præciſe addi, *cujuslibet alius*, vel *alterius:* quia ſenſus per ſe patet. Si Pomponius non agit de reſtitutione fructuum, perit argumentum tuum p. 19 & 20 allatum, de poſſeſſore b. f. in hæreditatis petitione. Dico autem, Pomponium loqui de ſolo facto perceptionis fructuum; *fructus percipiendo ſuos facit* hos, non & illos. Quilibet poſſeſſor b. f. etiam in re aliena interim loco domini pene eſt, i. e. ſalvo jure domini. Ergo & conjux in re donata a conjuge, quodammodo domina interim eſt. *l. 1 ff. rer. amot.* donec donatio revocetur. Si cæcutis ad hæc, lux eſt in L. 11 pr. L. 13 §. 1, L. 32 §. 1 & 10, L. 57, L. 62 § 1 ff. de donat.

int.

int. vir & ux. L. 5, L. 18, C. eod. L. 40 ff. de mort. cauſ. donat. Si alienum hoc eſt a verbis Pomponii in *l. 45 ff. de uſur.* non eſt tamen alienum ab aliis textibus ejusdem, *L. 18, L. 20, L. 31*, & Pauli, *L. 2, L. 24, L. 26, L. 28 §. 2 ff. de don. int. V. & U.* ibi: *ſane non amare, nec tanquam inter infeſtos, jus probitæ donationis tractandum eſt, ſed ut inter conjunctos maximo affectu, & ſolam inopiam* (cauſam ecce prohibitionis) *timentes*. Ceſſante igitur metu inopiæ, *ſi pomum decerpſerit*, nil timebimus; ac perit hactenus iterum argumentum de m. f. poſſeſſore, Pomponio imputatum. Communio tamen bonorum nondum ſequitur. Mens veterum JCtorum non ex cortice textus unius, ſed ex harmonia omnium, eo ſpectantium, ex vi, inquam, & poteſtate legum eruenda, & in conſonantiam redigenda eſt. Tunc nihil torquebit amplius interpretes. Parentheſin eos pridem vidiſſe & uncostuos, bilem movere non debuit. Et ſola epiſtola uxoris ad maritum in d. L. 57 Pauli, digna eſt, quæ adhuc excutiatur. Caſſianos dixi conſenſiſſe Sabinianis; non quod diverſæ ſectæ fuerint, ſed eo modo, quo Caſſiani & Sabiniani p. 23, 24 permutantur. Conjunguntur hi Paulo, in *L. 3 §. 18 ff. de acqu. vel amitt. poſſ.* Disjunguntur eidem Caſſius & Sabinus, in *L. 1 ff. rer. amot.* Sed & diverſæ ſcholæ ſæpius concurrunt, ut Sabinus & Proculus, Sabinus & Pegaſus, Caſſius & Pegaſus, Julianus & Proculus. Mortis cauſa donationes, Veteres in varia genera diſtinxiſſe, manifeſtum eſt, nobisque adeo loquendum cum iis. Si aliqua ſimilitudo cum legatis innuitur in §. 1 I. de donat. licuit utique Juſtiniano in Nov. 87 approbare ſententiam Juliani. Fieri autem id non poſſet, ſi in §. 1 omnes ſpecies donationis m. c. per omnia reduxiſſet ad exemplum legatorum. Sicut ergo licebat recipere donatum, ſi ſupervixiſſet donator, vel, ſi eum donationis pœnituiſſet, vel ſi prior deceſſerit donatarius ipſe; ita licebat m. c. ita donare, ut nullo caſu ſit ejus repetitio, ne ſi convaluiſſet quidem teſtator. Marcellus *L. 13 §. 1*, Paulus *L. 35 §. 4 ff. de mort. cauſ. don.* ſive quis ita donat, imminente periculo commotus, ut ſtatim fiat accipientis, Ulpianus *L. 2 d. t.* ſive ut nullo caſu revocetur, Marcianus *L. 27 d. t.* etſi tunc cauſa donandi magis ſit, quam mortis cauſa donatio, & aliquis non tam mortis cauſa, quam moriens donat: C. IV.

net, Papinianus in *L. 42* §. *1 d. t.* Minime ergo Marcianus in *d. l. 27* refutare voluit Marcellum, aut reprehendere Paulum. Julianum Marcello eſſe antiquiorem, nemo neſcit. Hinc ille, aliique notas ſcripſerunt in Julianum. Sic in *L. 16 ff. de peculio* præmittitur textus Juliani; ſtatim: *Marcellus notat.* Similiter in *L. 11* §. *4, 5 ff. de minor.* bis: *Marcellus apud Julianum notat.* Lectoris autem eſt, attendere, ubi architecti noſtri loquantur. Juliani tamen verba videbantur contraria Marcello. Bachovii opinionem hic meam non feci, ſed textus ipſos intueor. Duæ diverſæ quæſtiones non omnino permiſcentur, & cohærentia textuum oſtenditur. Paulus in *L. 35* §. 2 incipit a donatione inter vivos, eamque vocat veram & abſolutam. Talis eſt, *ut nullo caſu revocetur.* Poſſe tamen ait & mortis cauſa ita donari, *ut nulla ſit repetitio.* §. 4. Diſſidium utique fuit olim aliquod inter principes Proculejanorum & Caſſianorum; ſed inde natum, quod caſuum differentiam non ſatis diſcernerent. Fecerunt id eorum ſucceſſores, Marcianus, Ulpianus, Paulus:
C. V. & hinc videntur nunc hanc, nunc illam ſcholam ſequi: neque tamen alter alterum hic voluit refutare. Briſſonius equidem reprehenditur p. 40, quaſi confundens eos, qui beſtiis ſub vel objiciebantur, cum iis, qui ad beſtias tantum dabantur vel condemnabantur. Et annotavit Budæus ad Pandectas, differentiam horum ibi non ſemel occurrere. Briſſonius tamen itidem vidit, diſcrimen iſtud non eſſe ibi perpetuum. Paulus enim Lib. 5 tit. 19 *de ſacrilegis*, ait, *beſtiis objiciuntur.* Ulpiano autem *L. 6 pr. ad L. Jul. peculat.* damnantur *ad beſtias.* Imperator §. *3 I. quib. mod. jus patr. pot. qui beſtiis ſubjiciuntur, ſervi pœnæ efficiuntur.* Ulpianus autem: *ad beſtias, vel in metallum damnatus, ſervus pœnæ fit. L. 25* §. *3 ff. de acquir. vel omit.* juncta *L. 12 ff. de pœnis.* Iterum Paulus *Lib. 5 tit. 24: parricidæ hodie vivi exuruntur, vel ad beſtias dantur;* Modeſtinus autem in *L. 9 pr. ad L. Pomp. de parricid. beſtiis objiciuntur.* Ne quid dicam de veteranis, & filiis decurionun. Quæ omnia latent in textibus Briſſonio allegatis: apud Budæum vero non item. Sed nec fugiebat Briſſonium, eos, qui beſtiis objiciebantur, fuiſſe ad ſtipitem alligatos. Jacobum Gothofredum (p. 231) hæc confundere, iterum nolim arbitrari. De his enim ait toties jam ab aliis incul-

inculcatum, ut monere amplius pigeat, quid ſit beſtiis objici. Jam toties porro aliis eſſe dictum, quid ſit ad beſtias dari, ut dicere ſit ſupervacuum. Copioſe ea de re ſcripſiſſe Petrum Fabrum *Semeſtr. Lib.2. C. XI.* Is autem p. 162 ſeq. datos ad beſtias depugnandi cauſa, ab iis, qui beſtiis objecti & ſurrecti ad ſtipitem, diſerte diſtinguit. Ipſe etiam Gothofredus: *proprie, beſtiis objici dicebantur;* quia aut inermes in arenam ad beſtias dabantur ſeu beſtiis objiciebantur, vel etiam ad ſtipitem deligati, beſtiis in prædam dabantur. Et ſola adeo a me facta mentio Jul. Cæſ. Bulengeri *de Venat. Circi, c. 30, 31, 32, 33 Pariſ. 1598* (ubi fuſius illuſtrantur hi textus Juris, quam hic in toto cap. 5) admonere poterat, rem mihi non novam a Te, ſed pridem intellectam proponi. Nec pertinet huc *L. 8 §. 11 ff. de pœnis* (p. 40) non enim loquitur de damnatis ad beſtias, ſed junioribus illis, qui dabantur in ludum venatorium, ut inſtituantur in hac arte vel in aliam quandam voluptatem, geſticulandi, vel aliter ſe movendi gratia: de quibus dubitabatur adhuc, an ſervi efficerentur. Atque ideo dicuntur diſtare a ceteris, qui dabantur ad beſtias. Et Ulpianus *Tit. XI §. 7 Collat. LL. Moſaic.* differentiam tradit inter eos, qui ad ludum, & qui ad gladium damnantur. In textu Ulpiani *L. 1 §. 6 ff. de poſtuland.* invicte putabas te probaſſe, totam illam periodum: *Beſtias autem accipere - - manſueta?* expungendam, ut loci illius intellectum turbantem. Ergone hic cœcutiebat JCtus Belga magnæ famæ, Gerh. Noodt, qui in Comment. ad h. tit. nihil tale vidit? *Locus obſcuriſſimus*, inquit, *brevitate ſermonis.* Sed evidens mens Ulpiani; ſermonem eſſe non de manſuefactis, ſed adhuc feris beſtiis. Nam & leo manſuefactus, adhuc eſt beſtia, genere animalis; hic autem exulat, perinde ut alia vel maxime dentata beſtia, ſed non amplius fera; quia feritatem exuit. Verum eſt, ex periodo illa non deduci conſequentiam cum verbis, quæ ſubjuncta ſunt, neque connexionem cum iis, quæ præmittuntur. Promptiſſimum autem remedium in uncis Tuis. Si pertendas, periodum illam decerptam ex *L. 1 §. 10 ff. Si quadrupes.* neque textum iſtum poſſe intelligi, niſi ibi iterum reſtituatur, doleo vehementer. Tautologia certe tanta nunquam tranſivit in commenta-

mentarium loci obſcuri: ac perinde eſt, ſive ſcribas, *beſtias enim accipere debemus*, an, *beſtias autem.* Si Ulpianus in libris ad Edictum ἔτυμον beſtiæ voluit tradere, præſtabat id fieri ſub initium, aut libro ſexto, (ex quo ſumpta *L. 1 de poſtuland.*) quam libro demum decimo octavo, ad quem refertur L. 1 §. 10 *ſi quadrupes.* Verum eſt, in L. 4, 5 ff. *de A. R. D.* L. 3 §. 14, 15 ff. *de aquir. vel amit. poſſ.* non loqui eundem Ulpianum, ſed alios JCtos. Nobis autem ſufficeret cohærentia melior, quam foret in d. l. 1 §. 10. Si juriſperiti rationem dicti tui jam norunt, verbo illa potuit elucidari etiam aliis. Melius autem nunc fuerit, lectionem genuinam L. 1 §. 4 *ſi quadrupes* tueri. Actio hæc locum habet, cum quadrupedem manſuetam non movit ad nocendum feritas ipſa, §. 10, ſed vitium naturæ; puta, ſi equus calcitroſus calce percuſſerit, aut bos, cornu petere ſolitus, petierit, propter nimiam ſcilicet ferociam ſuam. Neque adeo obeſt nobis §. 7, ſed juvat lectionem. Similiter enim ibi dicitur, *locum habet hæc actio, quoties fera, quæ contra naturam fuit mota, pauperiem dedit.* Nam ſi equus manſuetus, ſed dolore concitatus calce petierit, ceſſabit actio iſta; ſicut ceſſat, ſi propter loci iniquitatem, aut propter culpam mulionis, aut ſi plus juſto onerata quadrupes, onus in aliquem everterit, §. 4, vel ſi inſtigatu alterius damnum dederit. §. 6. Omnibus his caſibus movetur contra naturam. *pr. l. ſi quadrupes.* Si legas, *oborta feritate*, utrumque vocabulum caſus ſextus occupabit; nobis autem §. 4 & 7 quadrupes *non mota*, & *mota*, dicitur caſu nominante. Verſus, quos dixi Manilii eſſe, Juvenalis ſunt. Laudo, ſi

C. VI. non erravit Julianus & Ulpianus, aliique Veteres, dicendo, quod prædo poſſideat *pro poſſeſſore.* Mallem tamen p. 166 v. 19 *non poſſidere*, cum Ulpiano §. 4 *ſi negaſſet.* Sed neque in eo errarunt, quod affirmant, Prætorem in Edicto de hæred. petitione, verba illa, *pro poſſeſſore*, accepiſſe de prædone. Nam ſi porro largiris, prædonem *quemcunque* petitione hæreditatis poſſe conveniri, mutata eſt ſententia prior, *p. 50, 52, naturam petitionis hæreditatis non pati, ut inſtituatur contra prædonem.* Inſtas: negaſſe te id tantum de quibusdam, v. g. de eo prædone, cujus mentio in l. 12 ff. *de hæred. pet.* At ibi, & L. 11 §. 1 de omnibus primi ordinis prædonibus dicit Ulpianus, *pro poſſeſſore poſſidet præ*

do

do, qui reſponſurus ſit, poſſideo, quia poſſideo, nec contendit ſe hæredem, vel per mendacium. Si conſentis, hæreditatis petitionem dari contra illum prædonem, qui occurrit in L. 1 §. 9 ff. *ſi quis omiſſ. cauſ.* (ubi quaſi – prædo ſibi aliquem titulum ab inteſtato poſſeſſionis fingit, & legata tenetur præſtare, perinde ut is, qui quaſi legitimus hæres pro hærede poſſidet, aut qui eſt Bonorum poſſeſſor Prætorius,) dabitur tanto magis contra prædones primi ordinis. Neque dicas, prædonem in L. I §. 9. ſe liti obtuliſſe, atque eatenus teneri ob dolum. Nam nihil ibi reperio tale, bene autem in *L. 13 §. 13* & *L. 45 h. t.* Si in Edicto Prætorio dictum fuit, regulariter eum teneri hac actione, *qui vel pro hærede*, vel *pro poſſeſſore poſſidet*, *L. 9. h.* Si porro & poſſeſſor bonorum Prætorius pro hærede videtur poſſidere, *L. 11 pr. h.* fruſtra negabitur, in Edicto illo prædonem omnis generis dici poſſidere pro poſſeſſore. Neque hic excipiuntur, qui ſcientes jactant falſum titulum, pro emtore, pro donato, pro dote, pro legato: quia omnes recipiunt pro poſſeſſore poſſeſſionem ex falſa cauſa. *L. 13 §. 1 d. t.* Julianus ait, pro poſſeſſore poſſidere eum, qui ſciens emit rem alienam, bonorum autem poſſeſſorem Prætorium aliquoties jungit hæredi, *L. 33 §. 1 ff. de uſurp. & uſuc.* Si is hic non erravit, Te fatente, ubi de hæreditatis petitione non cogitabatur, ſi Pomponius lapſus non eſt in *l. 110 ff. de condit. & demonſtr.* (ubi par iterum eſt ratio,) quomodo erraſſent Ulpianus & Paulus circa mentem Prætoris, qui ad illius Edictum perpetuo quaſi commentantur in textibus de hæreditatis petitione? Neceſſe foret, Ulpianum hoc unico titulo plus quam XXVII errores commiſiſſe. Cui addo Paulum *L. 16* §. *4*, *L. 19* §. *2*, *L. 22. L. 28*, *L. 36* §. *3*, *L. 38*, *L. 40 pr.* & §. *1 h. t.* Hermogenianus autem in L. fin. ff. *ſi quis omiſſ. cauſ.* minime comparat prædonem cum hærede; quin potius excludit ibi eum, qui pro hærede & pro poſſeſſore poſſidet. Qui vero citra omnem falſitatem cauſæ, vere poſſidet hæreditatem pro emtore, vel pro dote, vel pro donato, ſive alio quolibet juſto titulo, hunc dicit a legatariis & fideicommiſſariis non conveniri. Huic autem opponit Ulpianus e diametro etiam illum, qui forte quaſi prædo poſſidet hæreditatem, fingens ſibi aliquem titulum ab inteſtato poſſeſ-

ſeſſionis, ex falſa cauſa; quocunque enim modo hæreditatem lucrifacturus, calliditate & circumveniendi animo quis ſit, legata utique præſtabit, *L. 1 pr. & §. 9 d. t.* Deceptos ais JCtos priſcos, quia apud illos vox *poſſeſſoris*, ſimpliciter poſita, raro de bonorum poſſeſſore Prætorio accipiatur, ut in rubrica t. 5. Lib. 41 ff. *de eo, qui pro hærede vel pro poſſeſſore* uſucapit. Et ita factum, ut in Edicto Prætoris de hæreditatis petitione, verbum *pro poſſeſſore* intellexerint de prædone, quod tamen debuerint de Bonorum poſſeſſore. De rubrica iſta legendus Galvanus c. 25 p. 315. Sæpiſſime autem apud Veteres etiam occurrunt Bonorum poſſeſſores. In ipſo SCto Hadriani, quod Ulpianus recitat L. 20 §. 6 ff. *de hæred. petit.* Bonorum poſſeſſores in eadem ſunt cauſa & conditione cum iis, qui pro hærede poſſident, ſive, qui ſe hæredes & poſſeſſores bonorum exiſtimant, *§. 13.* Utrisque ibidem opponuntur, qui bona invaſiſſent, cum nullam haberent cauſam poſſidendi, h. e. prædones, *L. 25 §. 3 d. t.* Si non errarunt JCti in exponendo hoc SCto, cur errarint in ſenſu Edicti Prætoris, circa eundem articulum de hæreditatis petitione? Huic autem cohæret t. t. ff. *de poſſeſſ. hæred. petit.* & oſtendit differentiam inter Bonorum poſſeſſorem, & qui pro poſſeſſore poſſidet. Sono vocis affines ſunt, re autem disjunctiſſimi. Si raro occurrebat priſcis vox *poſſeſſoris* ſimpliciter poſita pro Bonorum poſſeſſore, dicam eadem facilitate, vocem *poſſeſſionis* raro occurrere pro Bonorum poſſeſſione Prætoria. Eoque crebrius utrumque conjungitur. JCti autem iidem, qui ad Edictum Prætoris de hæreditatis petitione ſcripſerunt, ſcribunt etiam ad totum librum XXXVII & XXXIIX *de Bonorum poſſeſſionibus.* Ibi loquuntur de eo, qui pro poſſeſſore poſſidet, i. e. prædone. Hic de Bonorum poſſeſſore, qui utique, qua talis, & quamdiu talis, non eſt prædo. Rectiſſime etiam dixit Imperator §. 3 I. *de Interd.* ei, cui Bonorum poſſeſſio data eſt a Prætore, dari interdictum Quorum bonorum contra illos, qui iſta bona pro hærede aut pro poſſeſſore poſſideant. Concurrit hic uterque, bonorum poſſeſſor, & qui pro poſſeſſore poſſidet. Utrumque ergo intellexiſſe & diſtinxiſſe neceſſe eſt. Nec tamen ſingula verba JCtorum ex tit. de hereditatis petitione repete-

petere debuit hic Imperator, quæ uno complexu comprehendit. Nam qui pro hærede poſſidet, putat ſe hæredem eſſe, aut ſcit, ſe non eſſe, contendit tamen eſſe. Qui pro poſſeſſore poſſidet, aliquando ne contendit quidem ſe hæredem eſſe, vel per mendacium, *ὡς ἅρπαξ νέμεται ὁ ἰταμὸς καὶ ἀναιδής*, Baſilici. Alii ſunt quaſi prædones, & eorum loco habentur. L. 13 §. 1 *de hærpetit. L. 1 §. 9 ſi quis omiſſ. cauſ.* Elliptica denique C.VII.
plane repudianda eſt. Limitaverat Noſter p. 65, non poſſe contingere, ut ſententia Neratii habeat locum, cum ea de re pactum in ſpecie præceſſerit. Reſpondi, nihil de hoc in illa *L. 4 § 1 ff. de L. Commiſſor.* Urget ille *L. 6 pr.* atqui Scævola & Neratius de diverſis caſibus reſpondent. Neratius etiam non de notabili & inſigni parte pretii, ſed *aliqua*, i. e. qualicunque accipiendus. Mallem hic & alibi non toties provocari ad refutandum, quod video tam ægre ferri. Bene autem caſtigatur hic audacia A. Fabri, qui totam periodum, *igitur ſententia Neratii - - dedit*, ceu imperiti interpretis, expungere tentabat. Ergo & noſtrum ingenium non anteponendum, ſed poſtponendum veteribus, in ſimili meminerimus. Dixerat Noſter, male VIII.
vindictæ mentionem fieri § 4. *I. quib. ex cauſ. manum.* Ulpianum & Theophilum eam non habere, Hotomannum vero illam tollere. Contrarium itaque oſtendendum fuit. Si res iſta Tibi ſatis nota, perit cenſura Tua. In §. *ult. d. t.* loquitur Imp. ſi literam ſpectes, de manumiſſione teſtamentaria, majoribus XVII annis danda. Inter vivos autem minor erat ratio dubitandi. Hic enim domini ſuomet ingenio difficiliores erant ad manumittendum; ſcientes, ſe ſervis, qui totam tunc rem familiarem inſtruebant, abſque metu egeſtatis carere non poſſe. In teſtamentaria autem, & in procinctu mortis, procliviores erant, etiam ſine cauſa, ceſſante ſcil. metu egeſtatis, eoque fraudibus ſervorum magis obnoxii. Quæ mens Imperatoris hic fuerit in Nov. 119 c. 2, non adeo liquet. Si enim vivis eandem licentiam dare voluit, omitti poterat argumentum de poteſtate teſtandi. Olim etiam vivi, totam familiam libertate donantes, vix intelligendi ſunt fuiſſe vix puberes. Poteſtas enim teſtandi, & alienandi inter vivos, iiſdem finibus non incedit. Si alienatio totius familiæ a tutoris auctoritate excipienda ſit, etiam alienatio

Digitized by Google

aliarum rerum, quæ ſunt mancipi, ſicut ſervi, ſuit excepta.
C. IX. Dubiam ſibi fatetur Noſter fuiſſe rem & adhuc eſſe, quid prius ſtatuerit Cujacius de foro Legatorum ad L. 5 §. 1 ff. *de conſtit pec.* & L. 8 ff. *de judic.* quid deinceps placuerit. Mihi facile fuit, percurrere ordinem librorum Cujacii. & ſeriem opinionis ſuæ concinnare. Utique etiam hæc inſpectio in quocunque auctore plane ad rem pertinet & neceſſaria eſt. Si enim intelligas, quid prima, quid altera, vel ultima vice illum moverit ad mutandam ſententiam, quæ ſemel placuerat, jam demum omnia illius momenta librabuntur, nec fluctuabimus inter incerta. Si vehemens eſt increpatio, dicere Te abire a mente Ulpiani, qualis erit permulſio, ſi dixeris, Veteres JCtos ipſumque Imperatorem toties imprudenter & inepte ſcribere, atque imprudentiſſime in contraria & abſurda incidiſſe? Forte etiam verum eſt, abiiſſe Te a mente Ulpiani, *d. l 5* §. *1* quoad alterum membrum. Sic enim ille, *Si legatus, cum in provincia adhuc eſſet, conſtituit, ſe Romæ ſoluturum, denegatur in eum actio de conſtituta*, i. e. Romæ non debet conveniri, ſed in provincia. Noſter contra p. 88, denegatur in eum actio in provincia, & Romæ debet conveniri. In L. 8 ff. *de judic.* ait Gajus, *Si quis in legatione conſtituit, quod ante legationem debebat, non cogi eum ibi judicium pati, ubi conſtituit.* Noſter p. 89: conveniri is poteſt in loco legationis, ſed poterit domum revocare. Abit igitur a verbis Gaji. Unci [ ] non indicant, quomodo exſtet in Codice Florentino. Valde enim differunt inter ſe, quos primi editores excogitarunt: deinde mutarunt formas vehementer & varias acceperunt hinc inde impoſitiones. Stellulas invenies apud Laur. Theodorum Gronovium in Specimine emendat paſſim, non & iſtos uncos. Et jam demum eundum nobis eſt ad H. Brencmanni V. Cl. *Hiſtoriam & Fatum* Codicis iſtius, librum diu exſpectatum, ſed qui ſpem nunc omnem plane ſuperat. Si rixari porro velit Cl. Branchu, omnia iſta Lectorum judicio commiſſa ſunto; & nihil minus quam noſtrum eſt, novas ciere lites. Raro lectoribus æque perſpicua ac facilia ſunt, quæ ſcribuntur, atque auctori erant, cum ea ſcriberet. An multum ſit nitoris in Cap. X, non liquet, ideoque omittimus.

ULTE-

Digitized by Google

ULTERIOR DEDUCTIO AC EXPLANAtio ſtatus animæ ſeparatæ poſt mortem, pro illuſtranda hiſtoria Lazari aliorumque a mortuis reſuſcitatorum; Autore M. J. VITRIARIO.

BRevem jamdum dedimus delineationem ſtatus animæ ſeparatæ pro interpretanda hiſtoria Lazari aliorumque, Actis Erudit. A. 1722 p. 393 inſertam, quam paucis, ne temerario quodam auſu quædam Scripturæ Sacræ ac analogiæ fidei contraria proferre aut cum cavillatoribus ac vanæ religioni addictis vim miraculorum debilitare imo evertere videamur, illuſtrare adhuc placuit. Multæ adſunt rationes, quæ locum animæ ſeparatæ ante reſurrectionem in loco quodam ſubterraneo ſive ſepulcro quærere nos impulerunt; partim, ut evitemus difficultates a Theologis ac Medicis factas; partim ut rationem miraculorum a Chriſto aliisque viris θεοπνεύστοις patratorum melius perſpiciamus; partim Veterum ac Patrum Theologorum auctoritas nos eo deduxit. 1) In tollendis difficultatibus Theologorum ac Medicorum ex vulgari interpretatione adhuc ſupereſt: an juſtitiæ, bonitati ac ſapientiæ divinæ congruum ſit, hominem beate defunctum ex loco communi beatorum in locum peccatorum deducere? quod quidam bonitati, juſtitiæ ac ſapientiæ Dei plane non convenire, judicarunt; inter Medicos proinde diſceptatum: quamdiu adhuc anima in corpore poſt mortem commoretur. Juxta noſtram autem ſententiam hic nodus facile ſolvitur, ſi dicamus, animam fuiſſe in corpore & viſiones interea exemplo Pauli 2 Cor. XII, Eſaiæ cap. VI, Johannis Evangeliſtæ Apoc. IV &c. habuiſſe divinas. 2) Quoad miracula ex communi opinione illa præter neceſſitatem multiplicantur. Si dicamus, animam Lazari aliorumque ex beneplacito & voluntate Dei nondum cœtui ſanctorum aſſociatam, ſed ob miraculum patrandum adhuc in corpore fuiſſe detentam; quæritur: an anima Lazari aliorumque excitatorum fuerit deterioris conditionis præ aliis in locum beatorum ſtatim receptis? & num illa retentio animæ in corpore abſque miraculo fieri potuerit? quod affirmari non poteſt. Porro, ſi ſequamur vul-

garem interpretationem, animam Lazari &c. e loco beatorum eductam & corpori rurſus fuiſſe adjunctam, novum miraculum admittere cogimur, & ſic perpetua occurrunt miracula; cum unum tantum, quod in reparatione corporis a putrefactione facta conſiſtit, in quolibet individuo ſufficiat. Hinc miracula non ſubvertimus, ſed potius ſtabilimus, rationem miraculorum clarius inſpicientes, Deique ſapientiam magis admirantes; cum extra controverſiam poſitum ſit, quod, mortuos excitare, omnes tranſcendat vires humanas & per conſequens miraculum ſit a Chriſto aliisque viris Spiritu Dei agitatis perpetratum. 3) Græci locum, quo animæ uſque ad diem extremi judicii adſerventur, per vocem ἅδης exprimunt; ut ait Theophanes Hom. VIII: Ἅδης λέγεται, ἡ ἐκ τȣ̃ ὁρωμένȣ πρὸς τὸ ἀειδὲς καὶ ἀθέατον κατάςασις τῆς ψυχῆς. ȣ̉δὲν γὰρ ἄλλο οἱ παρά τε τῶν ἔξωθεν καὶ τῆς θείας γραφῆς σημαίνει τὸ ὄνομα, τȣ̃το ἐν ᾧ τὴν ψυχὴν γίνεσθαι λέγȣσιν ἀπολυθεῖσαν τȣ̃ σώματος. *Infernus dicitur animæ domicilium* (Joh. Caſp. Suicerus Theſaur. Eccleſ. ſub voce ἀΐδης p. 87 mavult legere *animæ ſtatus* vel potius *tranſitus*, ut legatur μετάςασις) *a viſibili ad tenebricoſum & inviſibile migrantis. Nihil enim aliud hoc nomine cum apud exteros ſcriptores, tum in ſacris literis ſignificatur, in quo animam corporis vinculis ſolutam eſſe dicunt.* Et ſic vox ἅδης, quo animæ detinentur uſque ad reſurrectionem, denotat locum tenebricoſum, Solis expertem, ſepulcrum, ſive, ut canit Virgilius, ſine luce domum, ut pluribus Suicerus l. c. conſuli poteſt. Vocabulo ἅδης reſpondet Hebræum שאול a LXX Interpr. ita translatum, conf. Gen. XXXVII, 35 &c. ſicque Judæi æque ac Græci eandem amplexi ſunt ſententiam. Interdum vocabulum ἅδης pro communi domicilio omnium animarum tum piarum tum impiarum ſumitur, πάντας ὁμῶς θνητȣ̀ς ἀΐδης δέχεται καὶ εἰς κοινὸν ἅδην πάντες ἥξȣσι βροτοί, quod & Hebræis non infrequens, ut Eſ. V, 14. Ezech. XXX, 17, v. 14 dicit: אֶרֶץ תַּחְתִּיּה. Germani dicunt: Einen zur Erde beſtatten, cum tamen cuilibet proprius adſignetur ſepulcri locus. Si hæc obſervemus, ſtatim patet, quid Patres voce ἅδης ſeu inferni, infero-

ſerorum velint & quomodo commode explicari poſſint. Tertullianus de Anima c. 55, *Habes*, inquit, *de paradiſo a nobis libellum*, (hodie non extantem) *quo conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini*; & c. 48: *Omnes ergo animas penes inferos? inquis. Velis & nolis & ſupplicia jam illic & refrigeria habes, pauperem & divitem. Cur enim non putes animam & puniri & foveri in inferis, interim ſub expectatione utriusque judicii in quadam uſurpatione & candida ejus?* Hieronymus in c. 3 Eccleſiaſt. *Ante adventum Chriſti omnia pariter ad inferos ducebantur. Unde & Jacob ad inferos pariter deſcenſurum ſe dicit, & Job pios & impios in inferno queritur retentari, & Evangelium chaos magnum interpoſitum apud inferos & Abrahamum cum Lazaro & divitem in ſuppliciis eſſe teſtatur.* Locus autem animæ ſeparatæ non ſemper nomine inferorum venit, ſed varias ac diverſimodas accipit denominationes, Lactantius L. VII c. 21 vocat *communem cuſtodiam*; Julianus Archi-Epiſcopus Toletanus Prognoſt. L. II c. 9 vocat *abdita receptacula* &c. quæ omnia apprime huc faciunt egregieque noſtram confirmant ſententiam. Sed quid adhuc moramur? Concilium Eliberitanum ſub Papa Marcello I anno 305 habitum diſerte noſtram propugnat ſententiam c. 34, *Cereos*, inquit, *per diem placuit in cæmeterio non incendi: inquietandi enim ſpiritus ſanctorum non ſunt, qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſia communione.* Quid verbum *inquietare* ſignificet, Baronius in Annal. Eccleſ. ad annum Chriſti XXXIV num. 312 p. 275 docet; eſſe defunctorum animas carminibus magicis aliisve ſuperſtitionibus adhibitis eas advocare, alludens ad 1 Sam. XXVIII, 15: *Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer*; idemque teſtatur Joſephus Ant. Jud. L. XVIII c. 2, animam Samuelis ἐξ ᾅδου fuiſſe reductam. Conſentit quoque Ellies du Pin Nouvelle Biblioth. T. II p. 305: *Le Canon 34* ait, *eſt fort obſcur: il porte qu'il ne faut point allumer de Cierges dans les Cimetiéres, parce, qu'il ne faut pas inquieter les Eſprits des ſaints. Quelques uns entendent par les eſprits des ſaints les ames des morts: pour moi, je croi qu'il eſt plus naturel entendre le repos d'eſprit des fideles, qui eſt troublé par la grande quantité de luminaires*

allumez pendant le jour ; fuſius adhuc pertractat Baronius l. c. ſufficit Patres Concilii Eliberitani animas in ſepulcris commorari ſtatuiſſe. In ſuperioribus etiam diximus, clauſuram illam in monumentis felicitati piorum nihil detrahere, neque infelicitatem impiorum minuere; juſtos præmia, improbos pœnas recipere, ὑπὸ χθόνος ſive καθ᾽ ᾅδε in ſepulcro. Idem ſenſerunt Patres, ut Julianus Archi-Epiſcopus Toletanus l. c. *Per tempus*, inquit, *quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animæ abditis receptaculis continentur, ſicut unaquæque digna eſt vel requie vel ærumna pro eo quod ſortita eſt in carne vivens.* Et M. Aurelius Caſſiodorus de anima c. 19: *Nos uſque ad tempus judicii aut de præteritorum actuum pravitate mœremus, aut de operationis noſtræ probitate lætamur. Tunc autem recipiemus factorum omnium pleniſſimum fructum, quando voce Domini aut repudiati fuerimus aut ad regnum perennitatis admiſſi. Hanc igitur mortem in iſta vita pene quietus ſomnus imitatur, quando ſeculi iſtius deſideria cuncta ambitumque deponit, & quicquid hic agitur, tranquillus animus ſopore mentis ignorat.* Statum, felicitatem ac infelicitatem, animæ ſcite nobis depingit Juſtinus Martyr T. III p. 106: *Juſtorum*, ait, *animæ abducuntur in Paradiſum, ubi conſuetudine & adſpectu fruuntur angelorum & archangelorum per viſionem* (κατ᾽ ὀπτασίαν) *autem & ipſius Servatoris Chriſti - - Injuſtorum autem animæ in ipſius Orci loca - - & adſervantur quæque in locis ſe dignis uſque ad reſurrectionis & compenſationis diem.* Quoniam itaque oppoſita oppoſitorum eadem eſt ratio; ſubjungamus tandem harmoniæ cauſa judicium Lutheri de ſtatu animæ in Comment. ſuper Gen. XXV: *Apparet animas dormire & requieſcere, ſed nihil aſſero. Homo defatigatus diurno labore ſub noctem intrat in cubiculum ſuum, tanquam in pace, ut ibi dormiat, & ea nocte, fruitur quiete, neque quicquam ſcit de ullo malo ſive incendii ſive cædis. Anima autem non ſic dormit, ſed vigilat & patitur viſiones & loquelas angelorum & Dei. Ideo ſomnus profundior eſt in futura quam in hac vita. & tamen omnino coram Deo vivit.* Ibidem: *Verborum Chriſti ad latronem hæc eſt ſententia. Hodie mecum eris in Paradiſo, h. e. in ſinu meo.*

Ubi

Ubi ego ſum, ſimiliter tu eris. Ibi cælum & paradiſus idem ſunt, niſi quod adhuc apud ſanctos quies & pax eſt, non regnum nempe plenarium, quod erit in conjunctione animæ cum corpore. Hæc ſunt cogitata noſtra de ſtatu animæ ſeparatæ poſt mortem pro illuſtranda hiſtoria Lazari &c. Scripturæ ſacræ, analogiæ fidei, ſanæ rationi ac effatis Theologorum ſatis conformia.

DE COGNITIONIBUS LIBER UNUS; Autore FERDINANDO CACCIA, Bergomate.

Romæ, e typogr. de Martiis, 1719, 4.
Alph. 1 plag. 6.

Cum noſtris temporibus multi in explicandis nominibus, quæ artibus propria ſunt, occupentur, eaque ſecundum ordinem literarum Lexico complecti nonnulli ſuſceperint, ne integras diſciplinas ediſcere opus ſit, ad intelligenda pauca, quæ ſcriptores a ſe invicem mutuantur, nemo tamen inventus eſt, qui terminorum in liberalibus artibus occurrentium concinnam nec alienis perturbatam explicationem tradere auſus eſſet. Sane dictionario, ut vocant, id commode fieri non poterat, cum ex nexu diſciplinarum liberalium ſenſus nominum, quibus res proponuntur, ſæpenumero facillime intelligatur: diſciplinarum tamen ordo ſervari vix ab iis poteſt, qui literarum ſeriei adſtricti ſunt. Noſter itaque ut & facilem tyronibus ad ediſcendas artes pararet aditum, eorumque, qui iis imbuti jam ſunt, memoriam juvaret, nec literarum ſerie nexum diſciplinarum negligere cogeretur, libellum hunc evulgavit. Alteri, ut cuivis artium encyclopædiam haud tenenti opus hoc inſerviret, locupleti indice medetur, alterum, ut cognito artium connubio facilius ediſci voces poſſint, ordine ſingularum diſciplinarum limites pertractando aſſecutus eſt. Omnia igitur, quæ occurrunt in Philoſophia, Theologia, Medicina, Juriſprudentia, quantum in ſcholis docentur, vocabula opuſculo hoc complexus eſt, & terminos diſpoſitionis ſuæ eo uſque extendit, ut ſub Philoſophiæ voce ipſam quoque Theologi-

logiam tam revelatam, quam naturalem comprehendat. Ety-
p. 120 mologias nominum quandoque evolvit, non tamen ſcrupu-
loſe nimis ſectatus eſt, cum uſum ſæpe ab illis recedere notiſ-
ſimum ſit, Ariſtotelis autem placita in philoſophicis maxime
ſecutus eſt, cui ſoli tanquam omnium Philoſophorum principi
eum habuit honorem, ut ad ſcripta ejus quandoque provocan-
do, quandoque nonnulla ex iis excerpendo nomini ejus in li-
bello ſuo locum reliquerit.

A DISCOURSE CONCERNING THE RE-ſurrection of Jeſus Chriſt.

i. e.

DISSERTATIO DE RESURRECTIONE Jeſu Chriſti, diviſa in Tres Partes, in quibus eæ concluſiones, quæ ex hac doctrina fluunt, formantur primo hypothetice: dein evidentiæ moralis natura, & quatenus obliget, evolvitur: tertio probationes facti ipſius, h. e. reſurrectionis Chriſti proponuntur, examinantur & quod invicti roboris ſint, demonſtratur; Autore HUMPHREDO DITTON, Rectore Novæ Scholæ Mathematicæ in Xenodochio Chriſti.

Londini, apud Andream Bell & B. Lintott, 1714, 8.
Alph. 1 pl. 10.

CL. Autor arduum fidei articulum aggreſſus, ut nullum ad-
verſariis dubium relinquat, fere hypothetice procedit, eo-
10. que concluſiones, quæ ex reſurrectionis Chriſti veracitate flu-
ant, has primo ponit 1) Chriſtianæ Religionis originem & au-
toritatem eſſe divinam; 2) omnes promiſſiones, quas Evange-
lium de futuræ vitæ beatitudine continet, in Chriſtianis certo
impletum iri; 3) Chriſtianos non tantum ſecure præceptis
Chriſti obedire ſed & ſapientiſſime facere ita obediendo. De-
monſtrat hinc ulterius, Deiſtas contrarium aſſerente falli. Primo
enim eos argumento ſuo & cauſa cadere, & de jactura æternæ
beati-

beatitudinis periclitari; 2) de neceſſario ipſis cogitandum eſſe, de fugiendo periculo & Chriſti doctrina amplectenda: niſi enim argumentis muniti ſint clariſſimis ad falſitatem ejus arguendam, pacem ipſorum rem eſſe ineptiſſimam: quo loco de pace ſeu tranquillitate ſapientum præclare docet Autor. Injungit illis ulterius, ut probent, doctrinam de Jeſu Chriſti reſurrectione ne probabilem quidem eſſe, quod niſi faciant, tranquillitatem ipſorum conſiſtere non poſſe. Progreditur & oſtendit, quid inde fluat, ſi iſta doctrina de reſurrectione ſtatuatur p. 20.
falſa: nempe 1) de Chriſtiani orbis cauſa tunc plane actum eſſe; 2) Deiſtis non eſſe metuendas pœnas: nec Chriſtianis promiſſiones Evangelii expectandas; 3) eos qui rejiciant divinam revelationem, variis de cauſis pro ſapientioribus & felicioribus, quam eos, qui illam tueantur & amplectentur, reputandos 21.
eſſe, quod tamen limitat, nequis putet liberum eſſe hominibus, 33.
etiam naturales leges ſolvere & beſtiarum more vagari potius quam vivere. Nam & hoc in ſtatu cognitionem Dei, & gratitu- 34.
dinem erga ſummum benefactorem, nec non exercitium virtutum moralium ad cujuſque propriam felicitatem & humanæ ſocietatis commodum requiri. De natura porro Chriſtianæ religionis agit, monſtratque, 1) ad finem iſtum, qui humanæ 36.
naturæ correctionem ac reparationem moliatur, nihil illa magis facere; 2) eandem nos præclare fingere ad futurum beatiorem ſtatum, qui, ſiquid unquam recte de Deo cogitetur, dignus eſſe debeat iis perfectionibus, quæ in Deo ſunt, & ſecundum quas ſine dubio creaturas, mente præditas, felices reddere cupiat: quod viva fide, mortificatione affectuum, & charitate conſequamur; 3) ex iſta natura Religionis Chriſtianæ perſpici quoque Deiſtarum originem. Hos enim, cum ſint homines, qui unice tendant ad præſentis vitæ felicitatem & quidquid obſtet, perrumpere & amoliri conentur, contra omni niſu ea promoveant, quæ cum hoc fine conveniant, ea quoque 42.
de cauſa Chriſtianam religionem tantopere a ſe profligatam cupere. Dari tamen adhuc alias cauſas Deiſmi, easque magis theoreticas: poſſe ipſis nonnullas doctrinas & myſteria videri contradictoria & abſurda: imo &, quod Noſter ſtatuit, nonnul-

las leviculas corruptiones & σφάλματα Canonis offenſioni
46. eſſe &c. imprimis tamen ea quæ Evangelium præcipiat aut ve-
tet, maximopere illis adverſari. Hoc enim inde liquido
patere, 1) quod nunquam impune noſtram libertatem co-
arctari patiamur; de iis, quæ rationem noſtram offendunt, mi-
nus curemus; 2) quia, ſi tantum de nonnullis ſcrupulis intel-
lectus agatur, haud facile ad tam acerbas & virulentas diſputa-
tiones procedatur; 3) quod, ſi ſcrupuli doctrinæ tantum reli-
gioni Chriſtianæ officerent, haud perſpici poſſit ratio, cur reli-
p. 48. quæ religiones, abſurdis repletæ multo majoribus, minus ta-
53. men exagitentur, quod imprimis longius deducitur de Maho-
metana p. 48, 49, 50 ſq. Porro oſtendit, quantopere Chriſtia-
ni præ reliquis hominibus ad ea facienda, quæ lex naturæ in-
jungit, adſtringatur, per revelationem Evangelii: legem enim
naturæ a profanis tantum haberi pro quadam impreſſione ex
55. educatione, exemplis vel conſuetudine orta: ſcriptam vero le-
gem, quæ ubique in Scripturis obvia & adeo evidens eſt, ut arte
opus ſit iis, qui illam in pravum ſenſum flectere cupiunt,
longe potentius eſſe vitiorum antipharmacum & obligatio-
59. nem ejus multo fortiorem fieri, cum nova beneficiorum
Dei per Chriſtum exhibitorum meditatione, præceptorumque
ejus ſublimiori ſtylo quodammodo acuatur. Hinc & a Chri-
ſtianis fideliorem & diligentiorem omnium officiorum pie-
tatis obſervantiam expectandam, quam ab aliis hominibus: quod
ipſorum obligatio ſit eximia, & reatus, ſi contra eam peccent,
tanto major. Sed ut ceteras Deiſtarum objectiones omitta-
mus, ad quas Autor ſatis accurate ſed ex hypotheſi reſpondet,
85. accedamus nunc ad Partem II, quæ eſt totius operis fere præ-
ſtantiſſima. Declarat hic Autor 1) quid per Evidentiam mora-
lem, quæ unumquemque obliget ad percipiendum id, de
quo quæritur, tanquam veritatem, intelligi velit; 2) quod ejus-
modi evidentia, cum adſit, reapſe obliget, ut, quod proponi-
123. tur, firmiter & indubie tanquam veritas aut factum credatur.
Ut itaque naturam evidentiæ moralis clarius exponat, theſes
quaſdam ponit, quas utique huc transferri operæ pretium puta-
mus. *Th. 1.* Sunt quædam certæ fixæque regulæ & leges actionum,
ad

ad quas homines non tantum velut entia ratione prædita, quæ
agere poſſunt, ſed & tanquam membra ſocietatis, multis rela- p. 125.
tionum & conjunctionum vinculis innexa, neceſſario re-
ſpicere debent. *Theſ. 2.* Vi harum regularum, quæ tam con-
ſtanter & ubique apud omnes, qui ſecundum rectam rationem 129.
ſentiunt, obtinent, ſequitur, hoc vel illud eventurum: & vice
verſa hoc vel illud, quod in iſtis pugnat, non eventurum. *Theſ.*
3. In quibusdam caſibus, ubi humanum tantummodo teſtimo-
nium allegatur, iſtæ univerſales modo dictæ leges poſſunt eſſe
ita implicitæ, & reſpectus ad eas, ob ipſius caſus naturam, tam
eſſe neceſſarius, ut de veritate & certitudine iſtarum rerum,
quæ ſolum teſtimonium humanum absque ulteriori probatione
confirmat, tam ſecuri & certi eſſe poſſimus, quam qui maxi-
me. *Theſ. 4.* Strictus ille & perfectus demonſtrationis modus a 136.
talibus præmiſſis & quidem unice talibus procedit, quæ ſunt
veræ, primæ, potiores, priores, & cauſæ concluſionis. *Theſ. 5.*
Quædam propoſitiones in ,quibus moralis tantum probatio lo-
cum habet, æque evidentes eſſe poſſunt ac aliæ, quæ perfecta
demonſtratione ſuſtinentur. *Theſ. 6.* Ut in ratiocinatione geo-
metrica veritates ſubinde per indirectam quandam demonſtra-
tionis methodum & deductionem, qua ad impoſſibile recurri-
mus, eliciuntur: ita eadem argumentatio in rebus, quæ mora-
li probatione defenduntur, obtinet, ut ſubinde craſſeat & palpa- 140.
bilia abſurda juſto & legitimo concludendi modo ex quibusdam
hypotheſibus eliciantur. *Theſ. 7.* Reductio ad abſurdum in re-
bus probationis moralis multo magis cavenda eſt, quam in iis 143.
rebus, ubi ejusmodi abſurdum ex negatione propoſitionis cu-
jusdam Phyſicæ aut Mathematicæ naſcitur. *Theſ. 8.* Quæ-
dam probationes morales veritatem rerum tam aperte evin- 144.
cunt, quam per genuinæ demonſtrationis vias effici poteſt.
Theſ. 9. Aſſenſus noſter concluſionibus quibusdam moralibus
tam prone & lubenter, ac ſine ullo de veritate ipſarum dubio,
impertiendus eſt, ac ſolemus eum dare concluſionibus a priori,
via ſtrictisſima & rigidisſima factis. *Theſ. 10.* Ubicunque unum
idemque probationis genus omnibus caſibus, qui & ipſi unius
ejusdemque generis ſunt, applicatur, tunc quidem iſta pro-

Digitized by Google

batio in ſpecie caſui cuidam particulari, licet graviſſimo, plane
p.149. ut leviſſimo & infimo, ſine ulla hæſitatione applicari debet.
Theſ. 11. Si quando nobis teſtimonii alicujus veritas dubia aut ſuſpecta eſt, ſemper diſtinguenda eſt ſuſpicio, quæ non niſi meram phyſicam poſſibilitatem, (quod nempe teſtis in eo, de quo teſtatur, fallere forſan queat,) pro fundamento habet, ab ea, quæ
150. oritur ex quadam cauſa actuali poſitiva, ſita nempe vel in iſtius teſtis perverſitate & moribus, aut defectu quodam teſtimonii ipſius evidenti. *Theſ. 12* explicat Phyſicam poſſibilitatem, ubi nempe in ſtricto quodam & abſtracto ſenſu vel ſecundum intrinſecam rerum naturam non abſurdum, impoſſibile aut contradictorium eſt, ut aliquis ab altero teſtimonio circumvenia-
155. tur: licet nullæ cauſæ adſint, quæ ſuſpicionem de actuali deceptione moveant, imo potius graviſſimæ adſint, quæ contrarium ſuadeant. *Theſ. 13.* Mera deceptionis poſſibilitas phyſica non eſt in ullo teſtimonii caſu, cum factum aliquod probatur, juſtum & legitimum fundamentum, cur teſtimonium illud repudiari aut veritas facti ullo modo infirmari debeat. *Theſ. 14.* Inter iſtas præcautiones, quas prudentia hominibus ſubinde
162. obſervandas dictat, ut eo ſecurius procedant & certius, nullo tamen modo referri poteſt principium iſtud meræ poſſibilitatis phyſicæ deceptionis: nec ex eo concludi, quod vere decepti ſint. *Theſ. 15.* Cum de imminutione fidei teſtimonii alicujus (vel oralis vel ſcripti) agitur, diſtinguendæ cauſæ illius, quæ oriuntur in noſtris mentibus & notionibus ab illis, quæ tantum ex natura & circumſtantiis rerum extra nos promanant. Siquid deficit in poſteriori, fides quoque teſtimonii vacillat: ſecus eſt
172. in priori. *Theſ. 16.* Teſtimonium, per ſeriem ſeculorum licet longiſſimam productum, non tamen quidquam eam ob rem de probabili & credibili ſua natura perdit. His propoſitionibus expoſitis uſum & neceſſitatem evidentiæ moralis Autor uberius exponit, probatque, 1) in hoc genere evidentiæ adminiſtrationem juſtitiæ & conſequenter conſervationem omnis politiæ & regiminis verſari: rationem nobis nulli uſui eſſe, ſi tollatur cognitio & ſocietas mundi: hanc vero tolli ſublata certitudine morali; adeoque 2) non tantum regimen omne ſeu politi-
tiam

tiam in ſpecie deſtrui, ſed & ſocietatem omnem in genere diſſolvi, ſi hæc evidentia deſtruatur. Absque hac enim omnem mutuam fiduciam, quæ vinculum maximum omnium ſocietatum ſit, tolli: quod, ſi hæc tollatur, ut nemo fidem aut dare aut accipere ita poſſit, ut in ea plene acquieſcat, æternas inde ſuſpiciones, diffidentias, odia & inimicitias regnaturas. 3) Omnes noſtras immunitates & privilegia civilia hac evidentia morali niti, & absque ea nullam cuiquam reſtare probationem juris ſui aut tituli. 4) Eruditum orbem absque ea nil fere retinere doctrinæ præter id quod demonſtrabile eſt. Parte denique III omnis hæc Evidentia moralis ad factum ipſum reſurrectionis Chriſti traducitur, & variæ obſervationes jucundæ immiſcentur. Inprimis p. 215 teſtimonium Joſephi de Chriſto & ejus perſona defenditur contra eos, qui ſuppoſitum a Chriſtianis putant. Argumenta ſunt, 1) quod ab Euſebio, Niceph. Calliſto, Sozomeno, Suida, Hieronymo, Iſidoro Peluſiota citetur; 2) quod alia teſtimonia Joſephi, ab aliis autoribus allegata, non deficiant, unde credi non poſſit, Judæos nonnulla ex iſto Hiſtorico eraſiſſe, quo factum ſit, ut Tertullianus, Juſtinus Martyr, Origenes &c. qui hoc teſtimonio ipſius de Chriſto non uſi ſunt, inciderint in ejusmodi exemplaria mutilata. Sub finem accedit Autoris diſſertatiuncula de impoſſibili productione humanarum cogitationum ex materia & motu, de natura humanæ animæ & brutorum & reliquis.

p. 179.
215.
219.

TEXTUS ROFFENSIS: ACCEDUNT Profeſſionum antiquorum Angliæ Epiſcoporum formulæ de canonica obedientia Archiepiſcopis Cantuarienſ. præſtanda, & LEONARDI HUTTENI Diſſertatio de Antiquitatibus Oxonienſibus. E Codicibus MSS. deſcripſit ediditque THO. HEARNIUS.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano. 1720, 8 maj.
Plag. 19 & Tab. æn. 1.

INter libros novos, Cl. Hearnii opera prodeuntes, quibus paucitas exemplarium pretium conſtituit, non eſt nobis

 plane

Digitized by Google

plane prætermittendus Textus, quem vocant, Roffenſis, ab Earnulpho Epiſcopo ſeculo XII, ut creditur, collectus, & e Codice Eduardi Dering deſcriptus, ac nutu Antiſtitis Roffenſis, quem ſiniſtro nunc, ut conſtat, fato carcere detentum, Noſter vocat *virum ſine dubio eruditiſſimum, & in dicendo non ſolum ſapientem atque elegantem, ſed etiam fortem*, publici juris factus. Continentur hic chartæ & diplomata inde a Saxonum Regum temporibus ad A. 1143, quæ cumprimis quidem Roffenſis Eccleſiæ acta, emptiones, donationes, onera, immunitates ſpectant: præterea tamen leges eccleſiaſticas varias a Regibus promulgatas, conſtitutiones de ceremoniis, ut *exorciſmi aquæ ad judicium Dei demonſtrandum* p. 19, *adjurationis ferri vel aquæ ferventis ad judicium* p. 29, *exorciſmi panis ordeacii & caſei, quorum appenſio unius unciæ*, p. 33, & alia hic deprehendas, quæ nunc repetere ſupervacaneum ducimus. Quæ acceſſere profeſſionum antiquorum Angliæ Epiſcoporum formulæ de canonica obedientia Archiepiſopis Cantuarienſibus præſtanda, a Th. Smitho ad Noſtrum translatæ, ſua pariter antiquitate ſe commendant, & præter obſequii promiſſionem, fidei quoque ſubinde confeſſionem brevem continent. Nec morabimur *Leonhardi Huttenii* S. T. P. & Ædis Chriſti Canonici, Antiquitates Oxonienſes, Anglico ſermone conſcriptas, quas ex Br. Twyni Apologia Antiquitatum Acad. Oxon. magnam partem deſcripſiſſe fertur, teſte Wood Ath. Ox. T. I p. 488.

BIBLIOTHECA MANUSCRIPTORUM, maxime Anecdotorum, eorumque Hiſtoricorum. Recenſuit JO. JACOBUS MOSER DE FILSECK & WEIYHLERBERG, Sereniſſimi Wurtenbergiæ Ducis Conſil. Reg. &c.

Noribergæ, in officina Hoffmanniana, 1722, 4.
Plag. 17.

QUod Cl. Autoris inſtitutum ſit in libris MSS. recenſendis, illud ipſe brevi Præfatione expoſuit. Recenſebit nimirum tam antiquos, quam recentiores ex omni ſcientiarum genere, maxi-

maxime tamen Hiſtoricos. Si vulgati jam ſint, varias lectiones adferet, lacunas ſupplebit, menda eluet: ſi vero nondum publice fuerint expoſiti, argumenta librorum ſedulo enumerabit. De Autore, forma, ætate aliisque Codicis memorabilibus, quæ poterit, dicet. Interdum nudos indices, & Catalogos integrarum MSptorum Bibliothecarum dabit. Hujus conſilii ſpecimen ſive pars eſt præſens Bibliotheca Manuſcriptorum: ipſe vero Partem primam appellavit poſt Præfationem, etſi operis æqualitatem ſpondere noluerit. Hac continetur I *Waſſenbergii Diœceſis Ratisbonenſis illuſtrata*, quod opus poſt annum 1654 conſcriptum in Bibliotheca Monaſterii Scotorum ad S. Jacobi Ratisbonæ extat. Dignum Cl. Autor judicat, quod in lucem edatur; & cum ad id exigua ſpes appareat, ſaltem illam partem, quæ *Ratisbona illuſtris* inſcribitur, ſine piaculo tenebris tegi non poſſe, innuit. II *Valentini Prevenhuberi Annales Styrenſes*. Servatur Codex ſatis ſpiſſus minutis literis ſcriptus in publica Viennenſi Bibliotheca, cui a conditore *Windhagianæ* nomen eſt. Ex eo inter alia didicit, *Joſephum Grienbeckium*, cujus Biographias Imperatorum Friderici III & Maximiliani I Autor ex MS. edidit, obiiſſe munus Hiſtorici & Mathematici in aula Cæſarea & ortum fuiſſe Styra. III *Jo. Joſephi Ganzenmilleri Matricula Diœceſis Ratisbonenſis*, ex ſupra laudata Ratisbonenſium Bibliotheca. IV *Volumen varia Jura, Privilegia & Diplomata antiqua*, *Auſtriaca præſertim*, *continens*, ex Bibliotheca S. Mariæ ad Scotos Viennæ Auſtriorum. Scriptum eſt ſub medium Seculi XV. Complectitur inter alia *Speculum Suevicum*, cujus *Jus Provinciale* Cl. Autor diligentiſſime contulit cum editione Burgermeiſteriana; *Jus* vero *Feudale* cum editione Schilteri. Sunt vero plurima, in quibus iſtæ impreſſiones ex MS. inſigniter poſſent augeri, vel emendari. Præterea *Receſſum Comitiorum Würtzburgenſium* comprehendit, quem Cl. Moſer comparavit ſimili modo cum editione Lehmanni in Chronico Spirenſi. Deſcripſit inde etiam varia Diplomata, quæ hic integra exhibet. Inter utilitates hujusmodi Recenſionum Cl. Autor eam pro primaria habet, quod ita poſſent ſervari quædam tabulæ de claſſibus olim fortaſſe naufragium facturis,

quale

Digitized by Google

quale loci cujuſdam Bibliothecæ MStorum imminere memorat. Scilicet plusquam Bœotica clauſtri cujuſdam ingenia bibliopegis venum expoſuiſſe ſexaginta mille MStorum libras, ſingulas pro 24 groſſis vulgaribus. Simile & nos exemplum referre poſſumus. Ante triginta enim, & quod excurrit, annos ex vicina nobis Bibliotheca vetuſtiſſimæ membranæ, pleræque autorum Claſſicorum, Bibliopegis tanto numero ſunt venditæ, ut pretium inde ter centum uncialium (notum eſt, quo uſu id genus hominum membranas æſtimet) conficeretur.

CARMINA ILLUSTRIUM POETARUM Italorum. Tomi VIII.

Florentiæ, apud Jo. Cajetanum Tartinium & Sanctum Franchium, 1719, 1720, 1721, 8.
Alph. 11 pl. 6.

ETſi proſtent jam pridem Delitiæ Poetarum Italorum, quas, ut Germanorum, Gallorum, Belgarum, collegit *Janus Gruterus*, & ſub anagrammatico *Ranutii Geri* nomine vulgavit, longe tamen ejus induſtriam ſuperavit, quisquis novam hanc Syllogen in lucem emiſit. Is enim non edita modo, quotquot proſtant, Italorum Poetarum carmina, verum & plurima alia, quæ in bibliothecis tum publicis, Medicea nimirum Divi Laurentii & Strozzia, tum privatis Salvinii Bangiacchiique hactenus latuerunt, collegit, in quibus tamen ita verſatus eſt, ut laſciviora carmina, quæ legentibus offendiculo eſſe poſſent, prætermiſerit. Et prodiere hactenus Tomi VIII, quibus trecenti & octo Poetæ continentur, quos cum ſecundum ſeriem alphabeti diſpoſuerit Editor, ita ut Tomus VIII ad literam S. pertingat & Jul. Cæſ. Scaligeri carminibus finiatur, nullum eſt dubium, quin aliquot adhuc operis tomi imprimendi reſtent. Ceterum acceſſere cuique tomo Indices, quibus argumenta Carminum aliaque notata digna continentur.

ERRATUM.
Pag. 166 lin. 17 pro II lege I.

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII Sect. V.

S. CYRILLI OPERA, QUÆ EXTANT, omnia & ejus nomine circumferuntur, &c. Græce & Latine. Cura & ſtudio ANTONII AUGUSTINI TOUTTEE, *Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri.*

Pariſiis, typis Jacobi Vincent. 1720, fol. maj. Alph. 7. plag. 8.

QUantum in edendis & ab interitu vindicandis Seculorum priorum Græcæ & Latinæ Eccleſiæ Patribus R. P. Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri debeat Orbis eruditus, nuper dictum a nobis fuit, cum, quo labore, quo ſtudio in poliendis ſuoque nitori reſtituendis S. Baſilii M. Operibus verſatus fuerit & etiamnum verſetur Clariſſimus Garnierius, exponeremus in noſtris Annalibus. Et ſuum illud cum de univerſa Antiquitate Eccleſiaſtica, tum inprimis de Patribus bene merendi ſtudium iterum nobis probarunt nova S. Cyrilli, Hieroſolymitani, dum vivebat, Archi-Epiſcopi, Operum editione, quam ad Codices MSS. caſtigatam, Diſſertationibusq; illuſtratam, cum nova interpretatione, ante biennium nobis dedit Antonius Auguſtinus Toutteus, ejusdem ſodalitii Monachus. Magna eſt Cyrilli, quam ob rerum præclare geſtarum amplitu-

dinem in orbe Chriſtiano impetravit, exiſtimatio. B. Theodoreti, Theophanis, Photii, Glycæ aliorumque bene multorum notiora ſunt de illo teſtimonia, quam ut & hic eadem proferre neceſſe ſit. Et hac quidem ſancti olim Antiſtitis auctoritate, inprimis ſummo, ut ait, quo in eundem ferebatur, amore & admiratione accenſus novæ Editionis laborem in ſeſe ſuſcepit vir Clariſſimus, quo nomine obſtrictos ſibi reddidit, quibus bene exculta habere Cyrilli Opera, non parum intereſſe videtur rei Eccleſiaſticæ. Non ſic emendatæ erant Seculorum ſuperiorum Editiones, ut ſuo prorſus nitori dici potuiſſent reſtitutæ. Præter Editionem namque Sclavono-Polonam Jacobi Uchanski, Gneſnenſis Archi-Epiſcopi, quæ prima omnium eſſe videtur, abſque tamen origine Græca, Pariſienſis Morelii 1564 ad unius Codicis fidem ejusdemque mutili & mendoſi elaborata erat; hinc lacunæ frequentes & voces plurimæ majorem in modum deformatæ. Iisdem fere vitiis ſcatebat Grodeciana, quæ vocatur, Editio, cujus autorem habemus Glogovienſem, dum vivebat, Decanum, Johannem Grodecium; in hac enim occurrunt lacunæ, interpolationes, vitioſæ lectiones, codicum, quibus uſus eſt ſua ætate Grodecius, vitio tribuendæ; præterea quoque dum verbum & literam in interpretando ſequitur, obſcurus interdum ſit ac barbarus. Nec meliora pollicebatur Johannis Prevotii, Burdegalenſis, editio, quæ Pariſiis an. 608 ſupra milleſimum apud Claudium Morellum proſtitit aucta Catecheſeon titulis, omiſſis a Johanne Grodecio. Sic quidem nondum Cyrillo contigerat, quod multis noſtra Patrumque memoria Scriptoribus, ut accuratiore induſtria illuſtratus prodiret. Nihil habebant illæ editiones præter Catecheſes & Epiſtolam ad Conſtantium. Quæ ſub Cyrilli nomine feruntur, collegerat nemo, nemo latentia in Bibliothecis fragmenta eruerat. Ad hæc contextus mire deformatus, nævis ſcatens interpretatio, nullæ animadverſiones, quæ vulnera ſanarent, lucem obſcuris darent. Hanc operam in ſe ſuſcepit vir Clariſſimus Thomas Milles, cujus Editio prodiit Oxoniæ e theatro Sheldoniano tertio, quod nunc vertitur, Seculi anno, eo characterum nitore & chartæ ſplendore, nihil ut elegantius requiri poſſit. At quamvis non exiguam ſui laboris laudem re-

por-

Digitized by Google

portaverit Vir Cl. ſic tamen in eo verſatus eſt, ut aliorum quoque labori nonnulla reliquiſſe, dicendus ſit. Præterea enim quod in textu emendando non pauca eum feſellerint, in rebus ſane contritis & pervulgatis multus & diſertus, in arduis autem & ſpiſſis jejunus eſt & pene taciturnus. Novæ hinc Editionis conſilium cepit Cl. Toutteus & primum quidem præcipuam, ut ait, ſuſcepti muneris partem exiſtimavit, Græcum exemplar ita purum edere & intaminatum ac ſi e manibus autoris prodiret. Ac proinde non defuerunt optima quæque ſubſidia, quæ ad aſſequendum eo felicius ſcopum non parum contuliſſe videntur, Antiquos, ad quorum fidem & autoritatem Græcum exemplar caſtigaret, codices MSS. ſubminiſtrabant Bibliothecæ, viris quoque doctiſſimis ad emendandum opus operam ſuam conſiliumque conferentibus, ſuamque ipſi humanitatem ſignificantibus. Plurimum autem debere ſe fatetur Vir doctus Ottoboni, Eminentiſſimo Eccleſiæ Romanæ Cardinali, cujus ditiſſima Bibliotheca, ut ſæpe alias iſtius Societatis Monachis, ita ipſi ad hoc opus magno uſui extitit, Codices MSS. explorante D. Philippi Raſſier, qui tum erat ſodalitii illius in Curia Romana Procurator Generalis. Hic enim Roma ad illum miſit collectas a ſe ſumma induſtria varietates trium Ottobonianæ Bibliothecæ Codicum MSS. qui ex Altaempſiana in illam tranſierant. Continent Catecheſes omnes & Epiſtolam ad Conſtantium. Primus illorum, qui vetuſtus eſt & membranaceus, multum variavit ab editis. Pariſiis autem Bibliotheca Regia, magnum illud literatorum perfugium, percommode ipſi patuit, annuente Illuſtriſſimo Abbate Camillo le Tellier de Louvois, Bibliothecæ moderatore. Sed præſidium longe maximum in Coisliniana conſtitutum habuit, quam Excellentiſſimus Metenſis Epiſcopus, Henricus de Cambout Dux de Coislin in San-Germanenſi monaſterio aſſervandam depoſuit. Ex ea namque habuit membranaceum Codicem undecimi circiter ſeculi, qui Encliſtræ in Cypro fuit, quo quidem maximopere adjutum ſe fuiſſe fatetur, inde multæ magni momenti emendationes. Ad hos ergo aliosque, quorum rationem poſt præfationem nobis reddit Vir doctus, Codices MSS. exacta potiſſimum ſunt S. Cyrilli Opera. Ad eorum

 fidem,

fidem, quam diligentiſſime potuit, Græca recenſuit, cum Grodeciana interpretatione, Morelii & Prevotii editionibus, quorum ille Meſmiano, hic Vaticanis Codicibus uſus erat, contulit, & quæ ex Anglicanis collectæ fuerant a Milleſio lectionum varietates, eas quoque ad uſus ſuos adjunxit. Neque etiam negligenda eſſe exiſtimavit producta ab antiquis ex Cyrillo teſtimonia, ex quibus, quid olim lectum in Cyrillo fuerit, quamve in ſententiam verba ejus accepta, perſpectum fuit. Natus exinde eſt maximus lectionum diverſarum numerus, in quibus eligendis non minus operæ fuit, quam in colligendis: alterum enim diligentiæ, alterum meditationis erat & judicii non mediocris. Ac proinde, ut Cyrilli emendandi rationem ex Codicibus MSS. repetere ſolet Autor Cl. ita interdum ipſos Codices MSS. ad Cyrilli & loquendi & ſentiendi rationem referre coactus eſt, & uni Codici cum ejus ſtylo & doctrina conſentienti plus tribuere quam multis diſſentientibus. Præterea quorum ad emendationem nihil afferrent Codices antiqui, eadem conjecturis ſanare coactus eſt, non tamen in textum injectis, ſed in margine poſitis: at ubi certiſſimis indiciis ad fontem erroris pervenit, ibi & contextum mutare, haud ſibi duxit religioni, parce tamen pudenterque hanc ſibi ſumſit licentiam, lectore nonniſi ſemper admonito, paulo liberius verſatus in diſtinguendis interpunctionibus, quæ temere & ad arbitrium poſitæ Cyrilli orationem ſæpiſſime deformaverant. Ad hæc quoque novæ interpretationis curam in ſe ſuſcepit Vir doctus; et Grodecianam tantum, quæ jam a nonnullis emendari cœperat, diligentius caſtigare, primum quidem ipſi deliberatum erat; ſed tam multa mutari neceſſe erat, ut novum opus conficere non valde difficilius viſum fuerit, quam emendare vetus. In interpretando autem ipſi inprimis propoſitum fuit, ſcriptoris ſententiam accurate & perſpicue reddere. Et quamvis elegantiæ verborumque concinnitatis, quoties fieri potuit, rationem ſimul habuerit, diligens tamen potius & accuratus eſſe voluit, quam elegans & ornatus. Quam obrem literam & verbum, quantum utriusque linguæ diſſimilitudo patitur, in interpretando ſequutus eſt, neque voces uſu contritas Eccleſiaſtico, etſi non placere caſtigatum dicendi genus amantibus

bus ſciebat, uſurpare dubitavit. Relicto præterea numerorum ſive paragraphorum, quos magno quidem commodo in Cyrillum primus induxit Milleſius, ordine, ſatius ipſi viſum eſt in diſtribuendo textu oculos habere intentos ad diverſa orationis capita & cujusque capitis argumenta; hæc non ſolum numeris diſtincta, ſed ſummatim quoque notata ad marginem; ibidem res obſervatione dignæ, loca ſimilia indicantur, voces obſcuriores brevi interdum ſcholio explicantur. Quæ autem a noſtro præmiſſæ ſunt ſingulis Catecheſibus admonitiones, totius orationis deſcriptionem breviter ante oculos ponunt, lectoris animum neceſſariis obſervationibus præmuniunt, quo die pronunciata Catecheſis, quos ad Codices emendata, ſimul demonſtrant. In his autem non omnis verſatur labor, quem Cyrillo ſuo impendit Autor Cl. Dictum fuit in antecedentibus, nihil prius, nihil antiquius ipſi fuiſſe, quam ut textus emendandi rationem ſuſciperet, ſuoque olim nitori, quantum fieri poſſet, Græca Cyrilli reſtitueret; at vero textum emendaſſe, cum nondum ſufficiat, ſed lucem obſcuris dare, ſimul boni Autoris ſit, duplex hinc obſervationum genus in hoc opere animadvertas, aliis quidem illarum Græca Cyrilli ſpectantibus, aliis varias ejusdem ſententias illuſtrantibus. In iis, quæ ad contextum pertinent, 1) variæ lectiones recenſentur, non omnes tamen, ſed quæ majoris pretii, neque illas modo ſimpliciter ac nude refert, ſed momento quodam & judicio, ubi habendus fuit earum delectus, examinavit. 2) Ut quæque res in textu mutata, emendationis ratio lectori ſubjicitur. 3) Quæ Cyrillus ex aliis ſcriptoribus, aut alii ex Cyrillo, ſive expreſſo nomine, ſive tacito, mutuati, in iisdem ſimul indicatur. In altero obſervationum genere 1) voces antiquæ quam vim & ſententiam habeant, expenditur. 2) Majoris momenti ſententiæ ſimilibus Cyrilli aut aliorum locis explicantur. 3) Quæ doctrinam aut hiſtoriam ſpectant, variis modis illuſtrantur, lucem obſcuris dando, male in dubium vocata confirmando, fontem erroris, ſi quid erratum ſit, inveſtigando. 4) Quæ apud Cyrillum de ſacrorum locorum ſitu aut de ritibus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ propriis leguntur, auditoribus quidem ob oculos poſita ſatisque cognita, ne lectoribus nimium faceſſant negotii, aliis monu-

mentis illuſtravit. 5) Cum ſæpe diſcedat Cyrillus a communi le-
gendæ & interpretandæ Scripturæ ratione, qui eidem ea in re præ-
iverint, quique ſuffragati, paucis in iisdem animadverſionibus
demonſtrandum duxit. Atque in his potiſſimum labor Viri docti
verſatur atque induſtria. Ne autem ea, quæ diximus, gratis
dixiſſe, videamur, habe jam utriusque obſervationum generis
ſpecimina, quæ obviam nobis venerunt, novum hoc opus paulo
curatius inſpicientibus. Catech. III de Baptiſmo n, XII homi-
p. 45. nem peccata ferentem in aquam deſcendere ait, ſed gratiæ invo-
cationem, animam obſignantem, non permittere ipſum ab im-
mani ſorberi dracone *ἐ συγχωρεῖ λοιπὸν ὑπὸ τοῦ φοβεροῦ κατα-
ποθῆναι δράκοντος*, ubi vocem *καταποθῆναι* ex nonnullis codi-
cibus Noſter bene repoſuit: Prevotius namque & omnes Editio-
nes ante Oxonienſem ferunt *καταποντωθῆναι* nullo plane ſenſu. Ac
proinde Milleſius ex conjectura Iſaaci Caſauboni ſcripſit *κατα-
ποντωθῆναι*, cui favet verſio Grodecii, qui vocem interpretatus
eſt, ſubmergi; at vero cum rebus ipſis, tum Cyrilli propoſito
convenientius eſt, ut a dracone abſorberi, quam ſubmergi, di-
camur; quod ex aliis Catecheſibus, quarum eodem loco injecta
47. fuit mentio, ſimul apparet. Sic quoque n. XVI: *Θάρσει Ἱερου-
σαλὴμ, περιελεῖ κύριος πάντα τὰ ἀδικήματά σου· Ἐκπλυνεῖ
κύριος;* ubi verba *περιελεῖ* & *ἐκπλυνεῖ* reſtituit ex nonnullis Co-
dicibus ex ſacro Jeſaiæ textu, quem hic citat Cyrillus. Edidit
Grodecius: *περιεῖλε* & *ἔπλυνε*. At futurum tempus, non præte-
ritum poſtulat primum circumſtantia Cyrilli ad catechumenos
de Baptiſmi gratia loquentis: tum deinde ſequentes in futuro
199. phraſes, *ῥαντιεῖ, καθαρισθήσεσθε* &c. Catecheſ. XIII n. XXXIII
de crucis Chriſti fructu, hominum nempe reconciliatione, lo-
quitur Cyrillus, ubi inter alia: *Ἔδει οὖν ἓν ἐκ τῶν δύο γενέσθαι*
Hanc lectionem reſtituit ex Codicibus, addita ex editis præpoſi-
tione *ἐκ*, aliter in editis per interrogationem, *τί οὖν ἐκ τῶν δύο γε-
νέσθαι ἔδει;* Quodnam igitur ex duobus fieri oportuit? at nulla
ad interrogationem ſequitur reſponſio. Sic quoque in Cateche-
743. ſeos XVI titulo nonnihil mutavit Noſter, quod male ſcriptum le-
gitur in editionibus prioribus. Agit hæc Catecheſis de uno Spi-
ritu S. Paracleto, ubi Codices editi: *εἰς ἓν ἅγιον πνεῦμα τὸ πα-
ρά-*

Digitized by Google

ράκλητον: ſatis corrupte. Hinc articulum, quem in neutro ge-
nere ſcriptum habent editi, tum Codicum, tum rationum aucto-
ritate ductus, in maſculinum τὸν bene mutavit, uti etiam eun-
dem reſtituit Cat. 17 n. 3, quo loco Cyrillus ſymboli verba reci-
tat. Nuſquam enim ille, cum Parackleti vocem Spiritus S. men-
tioni ſubjungit, τὸ παράκλητον ſcribit; ſed ὁ παράκλητος. Ita
Catech. XVI n. III, XIII, XXIV & Catech. XVII n. XXXIV, qui-
bus in locis perſpicue alludit ad verba Symboli, quæ repetit. Pa-
racletus non eſt adjectivum nomen Spiritus Sancti, ut, Sanctus,
conſubſtantialis &c. ſed appellativum ab effectis ejus ductum &
alterum quoddam ipſius nomen, quod Chriſtus abunde ſignificat
his verbis Joh. XIV, 26: ὁ δὲ παράκλητος τὸ πνεῦμα τὸ
ἅγιον. Et adeo diſtincta ſunt hæc quidem nomina, ut occaſio-
nem inde arriperent Hæretici diſtinguendi Paracletum a Spiritu:
cui ſententiæ ut obviam irent veteres, in Symbolo Paracletum
conjunxere cum Spiritu, ut teſtatur Cyrillus Catech. XVII n. II,
III. Quare in Symbolo Conſtit. Apoſtol. Lib. VII Cap. XLI ſic
habetur: εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τουτέστι τὸν παράκλητον, quod
ſimul ſervatum in Symbolo Antiocheno apud Athanaſium de
Synodis. Poſteriores Græci dixere τὸ παράκλητον, unde hoc
fluxit librariorum noſtrorum vitium. Tandem homilia in Pa-
ralyticum ad piſcinam n. 6 locum caſtigavit Noſter tum in duo- P. 338.
bus MSS. Codicibus, quorum mentionem injecit in adjecta ani-
madverſione, tum in editione Milleſii, quam omnium optimam
eſſe, hucusque crediderunt eruditi, depravatiſſimum. Græca
Cyrilli ſic legit Milleſius: Νῦν δὲ καὶ Θεὸν καὶ ἄνθρωπον κληρο-
νομοῦντες, καὶ ἀμφότερα ἀληθῶς ἐξ ἀληθινοῦ πατρὸς γεγεννη-
μένα, καὶ ἄνθρωπον οὐ κατὰ φαντασίαν, ἀλλὰ κατὰ ἀλήθειαν
ὁμολογοῦμεν, ἀληθινὴν σωτηρίαν ἐκδεχόμεθα. Et hunc quidem
locum tum ex ipſis ſecum collatis, tum ex conjectura Noſter re-
ſtituit. Primum loco κληρονομοῦντες, quod poſt ἄνθρωπον poſi-
tum, nullum niſi perabſurdum ſenſum efficit, ex Regio quodam
Codice ſcripſit, ὁμολογοῦμεν. Tum voces Θεὸν ἀληθῶς uncinis
incluſas, ex conjectura quidem adjecit & ſine Codicis autoritate;
ad ſenſum tamen perficiendum viſæ ſunt neceſſariæ. Poſt ἀλη-
θινοῦ πατρὸς, loco γεγεννημένα, quod in nonnullis Codicibus ex-

tat, γεγεννημένον repoſuit. Poſtremo, verba γεγεννημένον προσ-
κυνοῦντες ex Codice Regio deſcripſit, loco unius vocis ὁμολογοῦ-
μεν, & ex eodem pro ἐκδεχώμεθα ſcripſit ἐκδεχόμεθα. Atque
ſic tandem interpretandus erit emendatus a Noſtro locus: *Nunc
vero & Deum & hominem confitemur & utrumque vere: [Deum
vere] ex vero Patre natum, hominemque non ſpecie tantum, ſed
veritate factum adorantes, veram ſalutem expectamus.* Bonus
verborum ſenſus eoque magis præferendus vulgatis Editionibus,
cum non ſoli Autoris conjecturæ ſed & Codicum autoritati inni-
tatur verborum emendatio. Atque hæc prioris obſervationum
generis, quod in emendando Græco Cyrilli idiomate verſatur,
ſpecimina dediſſe, ſufficiat. Jam ex altero quoque, quo illu-
ſtrantur, quæ δυσνόητα ſunt & obſcura, nonnulla accipias. Et pri-
mum quidem in Procatecheſi ſequentia leguntur apud Cyrillum:
Πολὲ μὲν ὑμῖν δείξῃ ὁ Θεὸς ἐκείνην τὴν νύκτα, τὸ σκότος τὸ ἡμερο-
φανὲς, *aliquando vobis oſtendat Deus noctem illam & tenebras
diem ſplendore referentes.* Sic interpretatus eſt Noſter τὸ σκότος
τὸ ἡμεροφανὲς, contrario plane ſenſu verba hæc vertente Grode-
cio, *tenebras in die apparentes*, cum potius dicendum fuerit *diem
in tenebris apparentem.* Sed in genuinum illorum ſenſum vix
penetrabis ſine antiquitatis teſtimonio. Reſpicere autem vide-
tur S. Antiſtes ad ritum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ proprium.
Vigiliam nempe Paſchalem intelligit Cyrillus, quam luminum
tota Eccleſia accenſorum frequentia & lampadum a Neophytis
geſtatione ita colluſtratam referunt autores Eccleſiaſtici, ut nox
fere diem vinceret. Ad hæc ad celebrandam reſurrectionis læ-
titiam curabatur, ut, accenſis, priusquam nox irrueret, nec ante
ſolis exortum extinctis luminibus, nox quodammodo illa exclu-
deretur, & in unam diem Dominicæ Paſchæ cum Sabbatho ſan-
p. 270. cto conjungeretur. In Catecheſ. XIV n. VI inter alia locum
reſurrectionis Salvatoris noſtri Martyrium vocat Cyrillus: βλέ-
πεις ὅτι καὶ τὸν τόπον τῆς ἀναστάσεως προεῖδεν ὁ προφήτης,
Μαρτύριον ἐπικληθησόμενον· Deducit hoc quidem Cyrillus ex
loco Sophoniæ, cujus hebraicam vocem per μαρτύριον, teſtimo-
nium, reddiderunt LXX Interpretes. Ad hæc autem obſervat No-
ſter, cum Eccleſiæ, quæ ſuper Martyrum tumulos ædificari ſole-
rent,

rent, Martyria dicerentur, e variis, quæ in ſacris locis Chriſto conſtructæ ſint, Eccleſiis, ſolam, quæ ad monumentum ejus condita, Martyrii nomen retinuiſſe; quod Eccleſiis nativitatis Bethleem & aſcenſionis in monte olivarum, & ſuperiori in monte Sion Eccleſiæ, tribui non potuerit. Non dubium eſſe ait, illi Eccleſiæ præcipue conveniſſe nomen Martyrii, quæ ad Chriſti ſepulchrum & in loco, ubi præclaram confeſſionem teſtatus ſit, ædificata fuerit, quamobrem apud Euſebium variis in locis, aliosque Seculorum ſuperiorum ſcriptores, Eccleſia Reſurrectionis proprio nomine *martyrium*, vel *magnum Martyrium*, vel *Martyrium Salvatoris*, dici conſueverit. Martyrii vero nomen ipſi ſepulchro aut loco & ſacello reſurrectionis ſeu ſancto monumento peculiariter attributum legi, e.g. apud Euſebium & Hieronymum. Ceterum Eccleſias martyribus ædificatas, horum Sanctorum martyria dicta fuiſſe, quemadmodum etiam templa Prophetis, Apoſtolis & virginibus condita, horum προφητεῖα, ἀποςολεῖα &c. appellata legantur. In ejuſdem Catecheſeos n. IX brevibus deſcribit Cyrillus, quæ ratio fuerit Salvatoris tumuli? Ad hæc ſequentia ex antiquitate obſervat Noſter: Conſtabat, p. 208.
„ inquit, ſepulchrum Chriſti ſpelunca duplici in rupe excavata: „ quarum prior alteri pro veſtibulo erat, ex antiquo more loci, ut „ videtur Gen. XXIII. 19, XXV. 9. Patens erat prior illa ſpelunca, „ de qua Juvencus lib. 4 hiſt. evang. *Limen concludunt immenſa volumina petræ.* Altera vero interior ita deſcribitur a Paſchaſio „ Ratberto lib. 2 in Matth. XXVII, 60, ut rotunda fuerit domus intus infra rupem vaſtiſſimam præciſa; tantæ altitudinis, ut intra „ ſtans homo vix manu extrema culmen ejus poſſet attingere. Ad „ eam aditus erat ab Oriente per oſtium monumenti, cui lapis ille „ magnus advolutus atque appoſitus cum ſignaculis fuit. Ibi compoſitum fuit Chriſti corpus ad Aquilonarem partem, in loculo „ ipſa in rupe excavato, ſeptem pedibus longo, & trium palmarum „ menſura pavimento eminentiore; cujus apertura ad inferendum „ corpus non ſuperne, ſed in latere meridianam partem reſpiciens perfoſſa erat. Hæc Paſchaſius. Cum vero Adrianus totum „ monumentum plurima humo aggeſta penitus abdidiſſet, locoq; ita ad mediocrem altitudinem evecto ac lapidibus ſubſtrato, „

 ædem, „

Digitized by Google

„ædem ac ſimulacrum Veneris impoſuiſſet; Conſtantinus diſſipatis omnibus impietatis monumentis, ſepulcrum egeſta humo „aperuit; ſacramque Reſurrectionis ſpecum convertit in Eccleſi„am eximii operis,rotundam,triplici pariete diſtinctam, in cujus „medio monumentum erat. Sic eam deſcribit loco jam citato „Paſchaſius. Ut novæ ædi eximiis columnis, maximoque cultu „& cujusque modi ornamentis decoratæ, locum faceret pius Im„perator,rupis maximam partem,ac priorem ſpeluncam deſtrue„re neceſſe fuit. Hinc ædes excitata ſatis capax, ut in ea Cyrillus „quinq; myſtagogicas Catecheſes haberet,& aliquando Epipha„nius coram Johanne, Cyrilli ſucceſſore, & frequenti populo „concionaretur,Hieronymo teſte epiſt. 61 nov. ed.38.„ Omittimus alia, quæ de paradiſo, in quem latro perductus eſt, de catechizandi & baptizandi ritibus, de neophytorum & baptizandorum officio, aliisque temporum iſtorum hiſtoriam illuſtrantibus ex Eccleſiæ antiquitatibus obſervat: hoc tantum ſilentio præterire nefas fore exiſtimamus, uſum fuiſſe S. Cyrillum loquendi formulis parum accuratis & ad Neſtorianam interdum hæreſin accedentibus. Talis habetur Homilia in paralyticum ad piſcinam

p. 339. n. IX, cui ſimillima occurrit Catech. II n. XX: *Ne attendas ad eum, qui nunc ortus eſt ex Bethleem, verum adora eum, qui ſempiterno ex patre genitus eſt.* Sed harum aliarumque minus recte dictarum locutionum innocentiam abunde oſtendit in adjectis animadverſionibus Autor Cl. atque, ut notum eſt, ante Neſtorianam ætatem frequentiſſimæ extiterunt apud Patres etiam illos, qui & magis orthodoxe ſenſerunt & magis caute accurateque ſunt loquuti, quod obſervandum de Gregoriis Nyſſeno & Nazianzeno. Non deſunt tamen alia loca, in quibus de homine Jeſu Chriſto magnificentiſſime loquitur Cyrillus: hunc enim eadem homilia l. c. vocat *factorem & conſervatorem omnium*, *ſolum ex ſolo Patre genitum*, vocat eum *Deum & Hominem ſimul ſub diverſo reſpectu*, *fontem vitæ & fontium autorem*, & quæ alia ſunt, quibus orthodoxe ſatis de Chriſto eundem ſenſiſſe, poteſt probari. Plura ſpeciminis loco non ſiſtimus, ne plus juſto detineamur in recenſendo hoc Opere. Si prudens es hujusque rei intelligens æſtimator,quid de Autoris noſtri labore ſperare poſſis, ex iis,quæ dixi-

Digitized by Google

diximus, dijudicare, haud tibi difficile erit. In utroque obſervationum genere multa habentur, ſine quibus ad mentem Cyrilli vix accedes; utrumque ergo ſua tibi commendatur utilitate: tamen, ſi dicendum quod res eſt, priori longe præſtare poſterius, fidenter affirmare haud dubitamus. In hoc enim omnia tranſtulit, quæ illius ætatis antiquitates Eccleſiæ illuſtrant, nominatis ſimul magno interdum numero optimis quibusque autoribus, quibus lucem obſcuris fœneraturum ſe eſſe exiſtimavit. Sed & in his quoque Cyrilli doctrinam ad ſuæ, Romanæ nempe, Eccleſiæ placita unice trahit, graviter interdum invectus in Andream Rivetum, nobilem ſuæ ætatis Criticum, qui calamum adverſus Pontificios ſtrinxerat in ſuo de Cyrillo ejusque ſcriptis judicio, quod ſuæ Editioni adjecit Thomas Milleſius, vel ideo a noſtro in Præfatione notatus. Omnia tandem Cyrilli Opera, tum quæ vera & germana, tum quæ ſuppoſita ſunt aut dubia, cum fragmentis in nova hac Editione continentur. Admonitio ſingulis præfixa, quid de illis judicet Noſter, declarat. Poſt Opera Cyrilli diverſarum lectionum indicem appoſuit, deinde dedicatorias Grodecii & Prevotii Epiſtolas, in quibus de editionum ſuarum inſtrumentis diſſerunt. His addidit brevem de vita & ſcriptis Cyrilli Grodecii Diſſertationem, Milleſii item Præfationem cum ſelectis ejusdem animadverſionibus. Appendicis loco ſubjecta eſt Hieroſolymitanæ ſanctæ Crucis ſeu Reſurrectionis Eccleſiæ erudita deſcriptio; cumque in hac potiſſimum Eccleſia ſacras conciones habuerit, ejusque ædis adjunctique ſancti ſepulchri & utriusque ornamentorum frequentiſſimam mentionem Cyrillus injecerit, rem certe gratiſſimam fecit lectoribus Autor Cl. qui magnifici hujus templi in monte Golgatha ad ipſum ſepulchri locum ædificati tam eruditam nobis deſcriptionem reliquit, ex quo temporis injuria periit liber ſingularis, quem de eadem re ſe ſcripſiſſe teſtatur Euſebius; Ichnographiam hujus templi ſimul delineari curavit, ejusque hiſtoriam brevi oratione perſequitur. Sequuntur duo indices copioſi: Scripturæ teſtimoniorum primus, alter rerum in Cyrillo memorabilium, tum etiam earum, quæ in animadverſionibus, præfatione, Diſſertatinibus continentur. Initio voluminis ante veterum & quorun-

dam recentiorum de Cyrillo teſtimonia triplicem Diſſertationem inſtituit. Prima eſt de vita & rebus geſtis Cyrilli, quas dum non perfunctorie, ut ſuperiores Editores, ſed operoſius perſequitur, multum in illuſtranda hac hiſtoriæ parte præſtitiſſe, dicendus eſt. Agit altera de ejusdem ſcriptis, quorum index texitur, veritas, antiquitas, integritas vindicantur, ac de Catecheſibus potiſſimum, quo tempore & loco habitæ, qua ratione, methodo & ſtylo compoſitæ, inquiritur. Tandem quæ de Cyrilli doctrina differere non licuit autori in animadverſionibus, ea in tertiam Diſſertationem conjecit; inprimis autem, quæ fuerit Cyrilli de Chriſti & Spiritus S. Divinitate ſententia, expenditur, variaque ex eodem a Noſtro producuntur teſtimonia, quibus ſuæ religionis dogmata, de Traditionis nempe autoritate, de præſentia reali & transſubſtantiatione probare conatur, quæ an omni exceptione majora ſint, dijudicare noſtrum non eſt. Hic tamen locus eſſe videtur monendi lectorem, novæ hujus Editionis Autorem, cum typis mandaſſet totum Cyrilli Opus, in hoc laboris decurſu obiiſſe; ac proinde ne te lateat, quis fuerit ille, cui Opus debeas tanto labore excultum, ſequentia de eodem accipe. Natus erat Riomagi Idib. Decemb. an. 1677 ex patre forenſi eloquio, juris civilis ſcientia, morum probitate ſpectato. Peractis egregie apud eruditos Oratorii ſacerdotes literarum humaniorum, Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis, monaſticam vitam amplexus eſt, ſeque votis ſolennibus obſtrinxit in monaſterio Vindocinenſi IV Calen. Nov. an. 1698. Poſt navatam iterum rebus Theologicis operam, Presbyter menſe Decembri an. 1702 creatus, Philoſophiam annis duobus, tribus Theologiam in monaſterio Floriacenſi docuit. Quo munere magna cum laude pietatis & eruditionis perfunctus, in monaſterium S. Dionyſii accerſitur an. 1708, ubi ſaniorem Theologiam per annos quatuor profiteri perrexit. Hanc autem docendi viam ſequebatur, ut, miſſis Scholaſticæ ſpinis, quid ſancti Patres ſenſiſſent, unice curaret, atque ex eorum libris, quos nocturna diurnaque manu verſabat, omnem dictandi materiam comportaret. Hos ad uſus literarum Græcarum præſidium ſibi paraverat, in quibus ita contritus fuit, ut cum excellentibus in hoc genere comparari poſſet. Sic inſtructus & muni-

munitus ad novam editionem S. Cyrilli adornandam acceſſit, ſuadentibus amicis, præpoſitis jubentibus. Opus inceptum in monaſterio S. Dionyſii, abſolvit in San-Germanenſi, Lutetiam vocatus an. 1712. Præterlapſis quibusdam annis tuſſis perincommoda eum tentabat, male curata vellicabat interdum; ſed an. 1716 exeunte ſic inſedit pectori, ut ſanguinis vomitum non ſemel exciverit, nec ulla medicorum arte ſanari potuerit. Hujus rei cauſa non extitit in ſtudiis immoderatis; nam, ut ceterarum rerum, ita & ſtudiorum modum tenebat, nec eis quidquam tribuebat, quod aut monaſticis muniis, aut neceſſariæ corporis procurationi ereptum eſſet. Sed minime mirum, ſi aſſiduus labor, vitæ auſteriori additus, bonam valetudinem labefactavit. Quinque aut ſex ante mortem diebus lecto affixus, cum jam mortem faucibus concepiſſet ac ſpiranti mortuo ſimilis videretur, erat robuſto ut cum maxime & conſtanti animo. Tandem quo die naſcentem Deum celebramus, præclare ſecum agi exiſtimans, quod ſibi tam ſancto die moriendum eſſet, duabus ante mortem horis ultimam abſolutionem in ipſo extremo ſpiritu petiit, ſicque obdormivit an. 1718, ultimum ingenii ſui monumentum relinquens, S. Cyrillum, quo non exiguam apud eruditos nominis ſui laudem ipſum eſſe reportaturum, cur dubitemus, cauſam habemus plane nullam.

THE HISTORY OF THE LIFE OF JOHN Wicliffe.

i. e.

VITA JOHANNIS WICLIFFI, THEOLOGIÆ Doctoris & Profeſſoris in Academia Oxonienſi, per JOHANNEM LEWIS, A. M. & Verbi Præconem Meregatenſem.

Lond. ap. Robertum Knapſock & Richardum Wilkin, 1720, 8.
Alph. 1 plag. 4.

ID ſummis ſæpe viris accidit, ut, cum copioſos ſcriptores nanciſcantur, quorum vix mediocris eſt fama, ipſorum contra memoria brevibus epiſodiis & per occaſionem quaſi aliorum argu-

mentorum natis, coarctetur. Hæc Wicleffi (vel Wicliffi potius) fata fuerunt, de quo ſtrictim hic illic quædam narrata leguntur apud autores, quos vel Anglicarum rerum vel memorabilium Eccleſiaſticorum ſeries ad ejus commemorationem deduxit: ex inſtituto vitam illius deſcribere nemo ſibi adhuc ſumſerat. Quid enim *Varillaſium* dicamus? qui, licet A. 1682 *Hiſtoriam Hæreſeos Wicleſi, Huſſi & Hieronymi Pragenſis* Gallice publicaverit, poſt etiam 1686 Tomo primo Hiſtoriarum de Hæreſibus inſertam, tamen ob fidem nimis lubricam dudum inter illos cenſeri deſiit, qui rerum hominumque memorias ab interitu digne vindicarunt. Inventus nihilominus (v. Præfat.) eſt, qui ſe Anglicanæ Eccleſiæ Presbyterum diceret, & Hiſtorias omnium, qui Reformatorum perſonam unquam ſuſtinuerunt, ſcribere polliceretur, ab initio autem tam turpiter ſe daret, ut in Wicleſi rebus narrandis plane Varillaſium exprimeret. Id ſaltem boni huic malo debemus, ut melioris Viri ſtudium accenderetur, curatius ac fidelius Anglis repræſentandi vitam civis adeo memorabilis. Neque vero harum virtutum laude, ſi quid videmus, privandus eſt Cl. *Lewiſius*, dum res, prout geſtæ ſunt, nullis vel conjecturis indulgens, vel ſuſpicionibus inhærens, opiniones autem & dogmata propriis Wicleſi verbis, non pro ſuæ perſuaſionis ratione ſenſum accommodando, exponit. Cura porro atque integritas, cum ea ſint, quæ primum in Hiſtorico requirantur, facile compenſabunt, quicquid cultus & ornamenti narrationi Cl. Autoris deceſſerit.

Argumentum univerſum decem capitibus abſolvitur, ſtudia ejus, controverſias, fata, doctrinas, libros, aſſeclas complexis. Natales circa annum 1324 obſcuriores nactus eſt in Parochia Wicliffenſi prope Richmundiam Eboracenſis provinciæ. Eſt
p. 1. 315. vero adhuc in illis locis familia quædam Wicliforum antiqua nobilitate inſignis, Theologum hunc inter ſuos referens. Clarior mox ſtudiis factus eſt, poſtquam illis in Academia Oxonienſi incubuit, loco etiam inter Socios Collegii Mertonenſis obtento. Ariſtotelem & quicquid erat Scholaſticæ doctrinæ penitus tenebat, legum etiam & civilium & Canonicarum & municipalium probe peritus. Inprimis operam dabat Scripturæ Sacræ, cujus
3. varias partes exponendo *Doctoris Evangelici* agnomen conſecutus

tus eſt. Quantum apud Anglos turbarum omni tempore dederint mendicantium Monachorum ordines, ſatis ex ejus regni Hiſtoria & Documentis patet. Academiis præſertim graves erant, ad ſe cuncta trahere nitentes. Illis dum ſe fortiter opponit Wicliffus, inde primum nata ipſi fuit occaſio ea proponendi adverſus doctrinas tum receptas, ob quæ in Hæreſeos crimen non venire non poterat. Scilicet totum illorum inſtitutum vahementi vituperio proſequebatur, autoritatem ejus ab exemplis Chriſti & Apoſtolorum, quos pariter mendicos faciebant, graviter impugnabat, in eos cauſam omnium in rebus divinis errorum, omnis in Eccleſia corruptionis conferebat, quæ omnia quinquaginta articulis ab ipſo Wicliffo comprehenſa repræſentat Autor, ex MSto quodam ejus opere. Redeunt tamen hæc eodem fere, ut ex comparatione patuit, quo in *Trialogi L. IV c. 34 & 35* tendit Wiclifus, duodecim capitibus abuſus fratrum proponens. Ibi autem (nec pigebit enim lectores noſtros ex libro rariſſimo, unde brevius poſſumus, hos articulos exhiberi) ſequentia fratribus objicit: 1 *quod in Sacramento altaris ſtultificent Eccleſiam*, dogmate ſcilicet, de transſubſtantiatione; 2 *quod imponant in Chriſtum, quod mendicavit* (ita enim pro *mendicant* legendum apparet) *notabiliter ab homine*; 3 *literas fraternitatis*, quibus meritorum ſuorum ſe alios participes reddere ad queſtum faciendum fingebant; 4 *excellentiam ſupra Chriſtum*, cujus affectationem prodant, quod homines Chriſto jam obligatos ad ſua vota, tanquam ad perfectiorem ſtatum pelliciant & Chriſto ereptos ſuis conventibus mancipent; 5 *quod mentiantur, ſe eſſe Chriſto ſimillimos in pauperie & quorumcunque temporalium poſſeſſione*; 6 *Simoniacam collectionem temporalium per officium ſimulatorie prædicandi*; 7 *quod contra Chriſtum & ſuum Apoſtolum ſint fidelibus oneroſi*, emendicando ſcilicet a civibus opes, quæ utilius Reipublicæ neceſſitatibus impenderentur; 8 *quod in contractis, quas habitent, contemnentes Pauli laboricium, otientur*, cui otio fratrum tot fundorum in Anglia ſterilitatem, illaboratis terris ſimul & multiplicatis fratrum habitaculis, qui utpote otioſi noxia exhalent, aeris intemperiem & frequentes tum morbos manifeſte tribuit; 9 *quod poſtponentes legem & ordinationem Chriſti* p.20. ſ. 1

Chriſti cum ſua ſententia adinventiones fratrum frivolas antepo-nant; 10 *quod deſerant executionem legis Evangelicæ de corre-ptione fratrum*, dum ſcilicet, ſiquis obſit ſibi aut ordini ſuo, eum tetro carcere & ipſa morte multent; 11 *quod omnino ſubver-tentes ordinem charitatis, plus ament honores & lucra mundana, quam ipſos homines;* 12 *quod ſimulent, ſe confeſſos ſuos purgare & omnino facere mundos ab omni macula quoad Deum ex præ-ſumta Antichriſti potentia, lege & ſatisfactione Domini præter-miſſis*. Hæc in Trialogo ſummatim dicta amplius & copioſius per partes eundo, inde vero gravius etiam urgentur eo loco
p. 18. quem præ oculis habuit *Cl. Lewiſius*. Eodem tempore mutuis querelis inter ſe collidebantur Pontifex & cum Rege populus Angliæ. Ille ſcilicet, quantum a Johanne Rege iniquo ſuo tempore conceſſum & tributi & poteſtatis fuerat, nunc etiam exigebat. Rex autem Eduardus III & Parliamenta non Johannis modo acta reſcindebant, ſed &, quicquid autoritate propria, tanquam jure ſuo in Anglia ſtatuere Pontifex conſueverat, acriter impugnabant. In his controverſiis Regis & Parliamenti cauſam
29. ſcriptis tuebatur Wicliffus. Legationem etiam cum aliis ad eas componendas obibat An. 1374, ex qua, ſive, quod arcana Pontificum propius inſpexerat, ſive, quod pactis ille non ſtetiſſet,
34 ſqq. confirmato magis animo Romani Pontificis dignitatem & vitia cleri aggreſſus eſſe obſervatur. Inde ob novendecim articulos ad
42. Pontificem An. 1376 fuit delatus, in quibus præter Dominium Eccleſiaſticorum civile, immunitatem Eccleſiaſticam & poteſtatem clavium nihil aliud videas impugnatum, ut adeo eum tum quidem, quæ de transſubſtantiatione, ſacramentis &c. docuit, nondum propoſuiſſe pateat. Neque vero hoc ipſi impune fuiſſet, ni ſingulari fato, quod paucis ejus ſimilibus accidit, ereptus fuiſ-
46. ſet hoſtibus. Scilicet, cum irritatus Pontifex pluribus ſimul Bullis eum aggrederetur, obſtitit tamen non Academiæ ſolum Oxonienſis & populi, ſed procerum etiam favor, penes quos impubere Richardo II rerum ſumma erat, quo minus violenter ali-
50. quid in illum ſtatueretur. Oxonienſes eum captivum tradere, prout juſſi fuerant, abnuebant, & eum ad cauſam dicendam coram Archiepiſcopo Cantuarienſi & Londinenſi Epiſcopo in æde Pau-

Paulina Londini compareret, Dux Lancaſtriæ, qui Wicliffum in clientelam ſuam receperat, & Angliæ Mareſchallus eo illum p. 52.
comitabantur, tam manifeſte defenſionem ejus ſuſcipientes, ut minis etiam cum Præſulibus agerent, unde per tumultum & re infecta tum quidem diſceſſum. Alia deinde dies Wicliffo dicta; 54.
neque is recuſabat in Lambethano Archiepiſcopi ſacello adeſſe. Tum vero non civium ſolum Londinenſium & plebejorum hominum manus irrumpere minitans adverſarios Wicliffi territabat, ſed Regia quoq; Mater miſſo nuntio ſententiam adverſus ipſum ferri prohibebat. Dum hæc fiunt, moritur Gregorius XI & 63.
in eligendo novo Pontifice Cardinales ſcinduntur in partes, aliis Clementem VII, aliis Urbanum VI ſequentibus, quo fiebat, ut motus adverſus Wicliffum conquieſcerent. Ille vero interea in cœptis eo magis ſe confirmabat, & Monachos quidem ita pergebat averſari, ut etiam, cum in gravem morbum incidiſſet, & 64.
quidam eorum illum de vita periclitantem coram hortarentur, ut fateretur, injuriam ſe ipſis hucusque feciſſe, animum quaſi, eorum aſpectu incenſus, reciperet, & erectus in lectulo clara voce pronunciaret; *ſe non moriturum, ſed ad exponenda fratrum peſſima facinora victurum.* Tum etiam idem cum offenſione maxima cleri Romani ſacrorum Bibliorum, quanquam ex 66 ſqq.
Latino tantum idiomate, translationem in Anglicum ſuſcipiebat, quem laborem, defenſum hoc Canone, quod cuivis Chriſtiano de fide judicandum ſit, circa annum 1381 abſolvit. Dubitatum eſt, an primus inter Anglos fuerit Wicliffus, qui vernacula lingua ſacram Scripturam ediderit, quod magnis autoribus licet 329 ſqq.
negatum, aſſerit tamen Cl. Autor, ita ſaltem, ut neminem ante Wicliffum neque univerſa Biblia, neque eo ſermone, qui poſt Normannorum in Angliam tranſitum obtinuerit, vertiſſe dicat. Vulgatum, vero ita ſacrorum Voluminum uſum eo iniquius omnino Romani cultus ſtatores ferre debuerunt, quo majori cura hucusque id egerant, ut illa manibus hominum excuterent, adeo ut in Academia Oxonienſi ſtatutum fuerit, ne quis ſacerdos legeret Biblia, niſi poſt novennium aut decennium in ſacro mu- 72.
nere abſolutum. Quousque Wicliffus Regis tantum & regni jura adverſus injurias Cleri tutabatur, & abuſus in diſciplina taxabat,

ſatis ipſi erat in proceribus Angliæ præſidii. Simulac autem in doctrina hucusque recepta errores varios publice demonſtrare, & transſubſtantiationis inprimis dogma evertere nitebatur, pa-
p. 85. tronos etiam offenſos ſentiebat. Itaque cum a Theologis Oxonienſibus ob ea, quæ de Sacramento Altaris docebat, condemnaretur, ipſe vero ad Regem & Parliamentum eſſet provocaturus, interdictum id ei a Duce Lancaſtriæ, & ipſe ad palinodiam adactus fertur, quanquam, quæ palinodia eſſe debebat, confeſſio potius nova & repetita ſententiæ ſuæ confirmatio fuerit. Neque
97. proderat illi quicquam, quod Cancellarius Oxonienſis eum protegendum ſuſciperet, & ex populi numero aſſeclæ ipſius indies creſcerent. Majori enim potentiæ denique cedendum, & poſitis muneribus Academicis Lutterworthum in Leiceſtrienſi provincia fuit abeundum An. 1382, ubi Parochiæ curam dudum habebat demandatam. Sed & ibi pergebat reformandæ Eccleſiæ ſedulo dare operam, nec dubitabat, peculiari ſcripto Urbanum
98. VI Pontificem aggredi, cum is ad opprimendum æmulum Clementem Anglos tanquam ad ſacram militiam invitaret. Ad ultimum fortaſſis ſui exitium ea conſtantia inimicos accendiſſet, cui per evocationem ad Pontificem haud obſcure præludebatur,
100. niſi paulo poſt initum exilium paralyſi correptus fuiſſet, quæ, ſpe facta adverſariis, eum non diu fore ſuperſtitem, eum a ſuppliciis præſtabat tutum, utpote poſt biennium A. 1384 ultimo
101. Decembris die placide exſtinctum. Attamen, quemadmodum fieri ſolet, ut in mortibus eorum, qui multum turbare nobis viſi ſunt, aliquid παραδόξου, & quod argumentum adverſus ipſos ſuppeditet, quæramus, ita & a Wicliffi adverſariis factum legimus. Scilicet, cum Miſſæ intereſſet, illum eo ipſo tempore, quo elevabatur Sacramentum, ex paralyſi ſubito concidiſſe & linguæ inprimis uſum amiſiſſe obſervarunt, ut ad mor-
103 ſqq. tem usque verbum non amplius fecerit. Eo itaque ſublato e vivis, majore nunc niſu ſcripta ejus damnando, lectionem eorum & poſſeſſionem ſub graviſſimarum pœnarum denuntiatione prohibendo, miſeroſque Wicliffi aſſeclas ad carceres & ultima ſupplicia paſſim rapiendo, id quærebatur, ut dogmatum per eum diſſeminatorum memoria e mentibus evelleretur. Quanquam,
quo

Digitized by Google

quo ſucceſſu id factum ſit, poſteriora tempora ſatis monſtrarunt, ubi & ſcripta Wicliffiana paſſim adhuc extare, & animos Anglorum ad recipiendas doctrinas, quæ Pontificiis adverſarentur, promtiſſimos eſſe apparuit. Tum tamen ita ſaltem oppreſſi fuere Wicliffiani, ut publice ad incrementa rerum ſuarum graſſari non auderent, maxime, poſtquam Conſtantienſe Concilium lata ideo ſententia opiniones Wicliffi condemnavit, ipſum in hæreſi mortuum pronunciavit & oſſa ejus comburenda, A. 1415 cenſuit, quod, quanquam moras nectendo eluſuri viderentur Angli, repetito tamen A. 1428 Pontificio mandato, fuit exſequendum. Articulos, quibus contentas Wicliffi doctrinas Concilium rejecit, miramur non exhibuiſſe Cl. Autorem. Extant autem in *Faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum* p. 140 b. ſqq. *Lewiſius* quadraginta quinque fuiſſe articulos, & totidem etiam ſententia Concilii damnatos eſſe, dicit. Sed cum numerum iniremus ipſi, quatuor tantum ſupra quadraginta reperti ſunt. Inveniuntur præterea in eodem *Faſciculo* p. 133 b. ſqq. articuli longe plures, e ſcriptis Wicliffi excerpti, qui pariter a Concilio dicuntur damnati. Hos eosdem putat eſſe Cl. Autor, quos magno numero per duodecim judices An. 1396 e ſcriptis quibusdam Wicliffi excerptos eſſe invenit. Id ſaltem dicendum arbitramur, eos materiam tantum Concilii patribus ad cognoſcendam Wicliffi doctrinam præbuiſſe, ceterum, cum eſſet pronuntiandum, ob prolixitatem in minorem numerum fuiſſe contractos. Ita, quæ ad vitam Wicliffi pertinebant, abſolutis, integro capite doctrinas viri præcipuas verbis etiam ipſius repræſentat, unde patet, quam inique ab aliis plerumque fuerint expoſitæ, inter quos Philippum Melanchthonem inprimis notat, paſſim non adeo præclare de Wicliffo ſentientem. Sententiam tamen ejus de Sacramento Altaris hic omiſit, ob quam quidem maxime a Melanchthone fuit notatus, forte quod ſupra jam capite ſexto copioſe hoc argumentum tractaverat. Ceterum non negat, Wicliffum inconſtantius de hoc Sacramento locutum, quod ipſum appoſitis duobus e Trialogo locis, quæ comparere poſſunt lectores, confirmabimus. Noſtræ ſententiæ fere conſentire videtur, cum L. IV c. 4 p. 105 a. ſcribit: *Oportet, cum*

p. 110.

340.

113. ſqq.

331.

iſta materia ſit poſitiva, ad fidem Scripturæ attendere & ipſi plane credere, & ſicut virtute verborum fidei Scripturæ conceditur, quod hoc Sacramentum eſt corpus Chriſti, & non ſolum, quod erit vel figurat ſacramentaliter corpus Chriſti, ſic concedatur eadem autoritate ſimpliciter, quod iſte panis, qui eſt hoc Sacramentum, eſt veraciter corpus Chriſti. Sequentibus contra capitibus aliam longe ſententiam prodit, ſæpius repetens: *habitudinaliter, id eſt figurative tantum panem eſſe corpus Chriſti*, maxime vero c. 8 p. 113 a. ita ſcribens: *Non eſt intelligendum, corpus Chriſti deſcendere ad hoſtiam in quacunque Eccleſia conſecratam, ſed manet ſurſum in cœlis ſtabile & immotum, ideo habet eſſe ſpirituale in hoſtia & non eſſe dimenſionatum & cætera accidentia, quæ in cœlo.* Quicquid tamen in hoc argumento Wicliffus quandoque titubaverit, illud ex accuratiori patet inſpectione, magis ipſi placuiſſe, quæ poſtea Reformatorum quoque fuit, ſententiam. Quod ad
p. 143 ſqq. ſcripta Wicliffi attinet, cum capitale diu fuerit, quicquam eorum habere, adeo illa fuerunt occultata, ut *Lelandus*, diligentiſſimus indagator, nonniſi octo videre potuerit, & quanquam totidem nominatis, ſeptem tantum Cl. Autor recenſeat. Succeſſu autem temporis liberius monſtrari cœperunt, unde *Balæus* longum illorum Catalogum texuit, quem retinet *Lewiſius*, uberiorem ſubinde ſingulorum notitiam propria ſolertia comparatam addens. Ex omni numero trecentorum fere Tractatuum, quatuor tantum notamus impreſſos, quos inter duo etiam ſunt, de quibus non liquet, an Wicliffum autorem habeant. *Trialogus*
144. in Germania forma, quod ajunt, quarta, non nominatis vel loco editionis vel curatore, A. 1525 eſt excuſus, qui magnæ dudum fuit
149 coll. raritatis. *Elucidarium Bibliorum*, ſive *Prologus* Anglice Londi-
330. ni 1550 in 12 editus, a multis ante Wicliffum ſcriptus exiſtima-
156. tur. Liber Anglicus *de Chriſtianorum villicatione* A. 1582 editus *Wimbledonum* quendam autorem in titulo refert, qui quod plane ignoretur, inde per conjecturam Lewiſii Wicliffo tribuitur, cum præſertim circa argumentum ipſi alias ſatis frequens,
162. vitia ſcilicet cleri & procerum regni, verſetur. Denique *Oſtiolum Wiclevi* vernacula pariter lingua Norenburchi (qui locus ubi quærendus ſit, neſcimus) A. 1546 dicitur excuſum. Finem di-

cen-

cendorum de Wicliffo facit Cl. Autor, fautores ejus præcipuos & aſſeclas commemorando. Ibi vero id ſimul agit, ut rebellionum ſuſpicionem, qua, quod populum faventem haberet, oneratus fuit Wicliffus, amoveat. p. 175 ſqq. Eduardi III Regis & Johannis Lancaſtriæ Ducis memorias pariter a criminibus, quibus apud Pontificios quosdam ſcriptores deturpatæ inveniuntur, vindicat. 192. 194. Inter omnes cauſæ Wicliffianæ patronos nemo facile magis inſignis eſt Domino Cobhamo, quem nec nobilitas, nec Regis favor ultimo ſupplicio eripere potuerunt, prout ex *Goodwini Hiſtoria Henrici V* olim jam retulimus *Supplem. T. IV Sect. 3 p. 98*. 201. In eorum numero, a quibus ſuſtentatæ res Wicliffi fuerunt, recenſetur etiam Anna Richardi II uxor, Caroli IV Imperatoris filia, poſt cujus mortem multi Wicliffiani libri ab ejus miniſtris domum revertentibus Bohemiæ illati, multisque ad diſcedendum a Pontificiis dogmatibus occaſionem dediſſe dicuntur. 197. Idem etiam Cobhami opera factum, quem a Johanne Huſſo rogatum curaſſe ajunt, ut omnia Wicliffi opera in Bohemorum gratiam deſcriberentur. 203. Inde vero ſuppleri poſſunt, quæ *Æneas Sylvius* de origine doctrinæ Wiclephiticæ in Bohemia tradit, ſolius Hieronymi a Putrido piſce mentionem faciens, qui Oxonia redux & libros & dogmata Wicliffi divulgarit. Olim *Polydori Virgilii* fide creditum fuit, ipſum etiam Wicliffum poſt Eduardi III mortem, ut inimicos fugeret, in Bohemiam aliquandiu conceſſiſſe. Illa vero fabula dudum exploſa nunc etiam magis concidit, cum Cl. Lewiſius, qui vere Annales Wicliffi nobis dedit, ne minimi quidam extra Angliam ſeceſſus, præterquam legationis A. 1374 adminiſtratæ tempore, faciat mentionem.

JULII STERRINGAE OBSERVATIONES Philologico-Sacræ in Pentateuchum &c.

Lugduni Batavorum, excudit Iſaacus Severinus, 1721, 4.

Alph. 2.

HAs ipſas Obſervationes, ſub titulo Animadverſionum Leovardiæ 1695 editas, in Actis noſtris A. 1696 p [illegible] amr eceuſuimus; ideoque lectorem tantum monendum eſſe ducimus,

mus, operis hujus, quod teſte Autore olim per triennium ſub manibus typographi hæſit, & forſan citra ejus exſpectationem hactenus latuit, novam nunc non prodiiſſe editionem, id quod vel ex σφαλμάτων indice conjici poteſt, ſed titulum ſaltem immutatum eſſe, ut nova illi ſuſpenderetur hedera. Nec eſt, quod toto opere denuo perluſtrato, iis, quæ a nobis l. c. dicta, ſubjungamus. Variæ quidem in illo paſſim habenter obſervationes, ad Philologiam & Grammaticam ſacram pertinentes: ſed eas ἑβραιοφίλοις inquirendas relinquimus. Si quid eſt, quod notari adhuc mereatur, hoc ſane non prætermittendum, cum de verſione D. Lutheri Autor in præfatione minus dextre ſentiat, cui quantum deferendum ſit, optime novimus, nec ingenui Reformati quique ignorant, triginta fere ab Autore notari loca Pentateuchi, in nova ſacrorum oraculorum verſione Belgica, integro poſt Lutherum ſæculo, & a pluribus concinnata, ipſo judice emendanda, in quibus verſio Lutheri textui ſacro originali ex aſſe reſpondet. Sic, quod in verſione Belgica *ſuperfluum* judicat Gen. XXVI, 7, Exod. XXVI, 23, Levit. XI, 42, Deut. VII, 7, IX, 5 &c. in verſione Lutheri recte omiſſum: e contrario, quod in illa *omiſſum* animadvertit Gen. XXIV, 27, Deut. VII, 73 &c. in hac rite expreſſum: & denique, quod in illa *mutandum* cenſet Gen. XII, 11, Exod. XVIII, 12, Deut. II, 16, XVIII, 6 &c. in hac congrue ſatis apteque eſt translatum.

G. OUTHOVII JUDICIA JEHOVÆ ZEbaoth, ſeu Bellum divinum, quo petit Deus peccatores &c. Adjunctum eſt Carmen SEVERI SANCTI, id eſt ENDELEICHI de mortibus boum, cum notis Variorum.

Groningæ, ex officina Jo. a Velſen, 1721, 8.

Alph. 2 plag. 11.

GRaviſſimis judiciis divinis, lue pecorum, eruptione maris, & peſtilentia, variis in partibus Europæ, præſertim in Friſia Orientali & Gallia Narbonenſi, paucis abhinc annis a ſupremo Numi-

Digitized by Google

Numine, juſtiſſimo peccatorum judice, exercitis ac demonſtratis, plurimum reverendus Autor, qui Embdæ ad Amiſiam eccleſiæ operam ſuam graviter navat, non ſolum ſcripto Belgico exundationes, a tempore Noachi ad annum hujus ſæculi viceſimum in hiſtoricorum monumentis conſignatas, ex omnibus annalibus recenſuit; ſed etiam præſentem de judiciis Jehovæ Zebaoth tractatum conſcripſit, in quo variæ de variis calamitatibus publicis Obſervationes philologicæ, hiſtoricæ & morales continua ſerie exhibentur, & quamplurima ſacri Codicis loca, in quibus pœnarum & creaturarum, per quas Deus punit, mentio injicitur, explicantur, & hiſtoriis tum antiquis tum recentioribus illuſtrantur. In *præfatione* Autor merito conqueritur de ſecuritate & perverſitate hominum ψυχικῶν, qui triſtia fata quævis vel plane non curant, vel phyſice exponunt; &, licet multarum rerum cauſæ naturales exſtent, & rationes phyſicæ dari poſſint, nihilo tamen minus opera naturæ inſolita vim numenque Dei declarare adſerit: an vero eadem ſint fatidica & futura mala portendant, nec temere ſe negare, nec ubique affirmare fatetur. In hunc itaque finem Autor hoc opus philologicum quoque edidit, ut homines ad ſeriam excitet pœnitentiam, ut juſtitiam diſcant moniti, nec temnere Deum, peccatis hominum graviter iraſcentem. Operis vero hujus in capita non diviſi dum σχῆμα præmittit, Deum tanquam potentem bellatorem ſiſtit & Dominum *Zebaoth* ſive exercituum: tum exercitus Dei quondam fuiſſe refert *Iſraelitas*, & *angelos*, & omnes *pios*, in primis *apoſtolos*, & eccleſiæ *doctores*, quos etiam cum *fecialibus* comparat: porro noxia animalcula magnum dicit Domini exercitum, eumque ita dividit, ut primo magnam armatam turbam, *colluviem animalculorum, muſcas, veſpas* &c. deinde equites gravioris armaturæ, *locuſtas*; poſtea copias pedeſtres, *pediculos*, quos milites dicit ſtationarios, *vermes*, quos incurvas nominat phalanges, *mures*, quos cum levioris armaturæ militibus confert, *ranas*, quas milites vocat διμάχυς, & denique *tineas* & *blattas* ἐν ἐσχάτῃ τάξει conſideret: tum ad arma, quibus Deus utitur, ſe convertit, & Dominum Zebaoth adverſus peccatores militare docet *uredine* & *rubigine, fulminibus* & *tonitru, terræ motibus* & *incendiis*, *ventis*, *tur-*

turbinibus & *procellis*, *ariditatibus* & *aquarum exundationibus*, ex fluviis exuberantibus, ruptis nubibus, immenſis imbribus & æſtu maris proficiſcentibus: tandemque ſequelas belli divini contra peccatores, *famem*, *peſtilentiam*, & *luem peſtemque pecorum* contemplatur, &, quid ex ſingulis hiſce judiciis divinis diſcendum ſit, in generali applicatione practica & parænetica uberius exponit, atque varia irrepſiſſe ſphalmata, ipſemet lectorem monet. Obſervationes autem hoc ordine diſpoſitas, & inter ſe cohærentes, doctiſſimus Autor ita elaboravit, ut variam ſuam eruditionem, philologicam & hiſtoricam, ubivis oſtenderet. Etenim nomina primum, maxime Hebræa, philologice examinavit & loca biblica explicavit; tum varias antiquitates, & ſacras & profanas illuſtravit: porro cauſas naturales quidem tradidit, nutu tamen & conſilio Dei geri omnia egregie demonſtravit, & ad animos hominum convertendos frequenter applicavit. Omnes vero obſervationes cum recenſere noſtri non permittat inſtituti ratio, nonnullas tantummodo, quæ nobis notatu digniores viſæ fuerunt, breviter adducemus, ut de genio hujus operis eru-
p. 2. ditus lector ipſe ſententiam ferre queat. De voce צבאות Autor ſtatim ab initio prolixe diſputat, quid ſignificet in ſacris litteris, & unde oriatur, an ſit nomen Dei proprium, quod, cum ſeparatim nunquam reperiatur, cum Druſio negat; nec Leusdenio concedit, nomen צבאות per appoſitionem exponi debere, eo quod nomen אלהים aliquando in ſtatu abſoluto cum illo conjungatur, ex. gr. Pſ. LXXX, 8, 15 &c. cum ſtatus abſolutus ſæpiſſime pro conſtructo uſurpetur: qua occaſione verba Hoſ. XIV, 3 פרים שפתינו triplici modo commode exponi poſſe innuit, vel per ellipſin præfixi ב in voce שפתינו, vel per ellipſin duarum vocum inſerendarum אשר פצו ex Pſ. LXVI, 14 vel potius per enallagen ſtatus abſoluti pro conſtructo. Totam vero phraſin אלהי צבאות, vel יהוה אלהי צבאות inter epitheta Dei ponendam eſſe probat ex Jer. LI, 19, 57, Amoſ. IV, 13 & omnium rerum creatarum, quæ in cœlo & terra ſunt, Dominum ſignificare, atque a LXX Interpretibus, a Dolſcio & Apollinario varie transferri, vel etiam a Græcis interpretibus, Paulo Rom. IX, 29, Jacobo Ep. V, 4 & Hieronymo Σαβαὼθ vel Σαββαῶθ

Digitized by Google

βααὼθ retineri, & ab Hieronymo ad Chriſtum referri, pluribus
deducit. Sacerdotes vero & Levitas dum in officio ſuo militaſſe p. 31.
ait, ad 1 Chron. IX, 33, quid παςοφόριον, Hebr. לשכה unde
Græcum λέσχη, fuerit, explicat; & aſtra exercitibus Dei annu-
merans, Jud. V, 20 de meteoris interpretatur, atque Fl. Joſe- 47.
phi ſententiam amplectitur. Sic etiam de *fecialibus* prolixe diſ- 64.
ſerit, quinam illi fuerit, & quid *clarigatio*, quid *diffidatio* apud
Romanos deſignarit, & quomodo facta ſit, luculenter deſcribit.
Porro ad Exod. VIII, 21 per ערב moleſtiſſimarum muſcarum, 90.
etiam caninarum, aliorumque noxiorum inſectorum commixti-
onem ſeu ἐσμὸν, Ægyptiis immiſſam, intelligit: & ad 2 Reg.
I, 2 Deum Accaronitarum *Baal-Zebub*, Dominum muſcæ, ſive 102.
qui in muſcas dominium habet, easque depellere poteſt, eodem,
quo Jovem vel Herculem Μυΐαγρον, Μυιώδην, vel Ἀπομύιον, *Mu-
ſcarum Averruncum*, vel *Averſorem*, aut *Depulſorem* gentiles
nuncuparunt, ſenſu dictum fuiſſe affirmat: muſcas etiam ve-
nenatas Salomonem reſpexiſſe putat Eccleſ. X, 1; & in verbis
Eſ. VII, 18 ישרק יהוה לזבוב *ſibilando advocabit Dominus* 117.
muſcas, τὸ שרק de juſſu & imperio Dei potentiſſimo bene ex- 122.
plicat, quo non opus habet, ut multa vi & laboribus cogat ex-
ercitus, ſed ſibilat tantum, & obediunt ipſi omnes creaturæ, imo
advolant quam celerrime. Sic de locuſtis quam plurima affert
ſcitu lectuque jucundiſſima, & inter alia ad Joel. II, 25 ארבה, 132.
ילק, חסיל & גזם diſtinctas locuſtarum ſpecies denotare, cum
Bocharto contendit, & loca Pſ. CIX, 23, Eccleſ. XII, 5 egregie
illuſtrat. Mittimus, quæ de סס & עש; de שדפון & ירקון de 261.
Deo Robigo & Dea Rubigine, de ſacris Robigalibus; de Jove 292.
cum fulmine deſcendente; de tonitru apud Lithuanos & Perua- 315.
nos pro Deo habito, de Suantevito, non a S. Vito, uti vulgo cre- 331.
ditur, derivando, ſed a *Swynſo*, quæ vox Slavis *Solem* denotavit,
Slavorum z a Germanis in *wiz* mutato, cujus idolum, apud Ru-
gianos Arconæ cultum, circa annum Chriſti 1167 demum a
Voldemaro, Danorum Rege, deſtructum; de Roma cum ipſa 363.
ſede papali tempeſtatibus & magnis terræ motibus peritura; de 433.
ſale combuſtionis Zeph. III, 9; de diluvio Noachico univerſali, 461.
& iride, & id genus aliis erudite & copioſe afferuntur.

Adjectum eſt *Severi Sancti carmen de mortibus boum*, cujus proxime præcedentem editionem in his Actis A. 1716 p. 80 ſq. recenſuimus, ac ſimul de autore ejus, quæ cognitu digna videbantur, produximus. Præſenti editioni attexuit Outhovius, præter ſelectas e Weizio & Sebero annotationes, nonnulla a ſemet ipſo docte obſervata, e. g. cum p. 837 graviſſimis exemplis docet, *peſtem* latiniſſime dici pro *peſtilentia*. Idem tamen infeliciter nobis videtur φιλολογεῖν, cum p. 805 *lacrymarum* vocabulum deducit a *lacerando*, ac *lacrymas* dictas eſſe putat per contradictionem quaſi lacerrimas, ob animi *lacerationem*. Nec probari debet ejus emendatio, qua p. 846 pro *Numina noſcimus* reſcribere geſtit *Numen agnoſcimus*. Verſus enim poſtulat duos dactylos, neque adeo quicquam hic mutari poteſt. Poterat autem criticum cultellum aliis locis rectius admovere Outhovius. Nam multæ adhuc graveſque inſunt in carmine hoc haud ſane ineleganti mendæ, quas lectoribus noſtris non indicare iniquum ducimus. Scilicet *verſu* 8 pro *tacitum* ne dubitari quidem poteſt, reponendum eſſe *tacitus*. *V.* 15 pro *complerent* reſcribi oportere *complerint*, vel præmiſſum τὸ *fuerim* oſtendit. *V.* 35 mirum eſt, philologos non vidiſſe, quod, ſi animum advertiſſent, videre poterant faciliime. Deſcribit nimirum Poeta *duos* boves, *queis*, inquit, *mentis geminæ conſona tinnulo concentu crepitacula, ætas conſimilis*. Ita quidem vulgata hæc ſunt. Sed facile patet, hæc minus fideliter deſcripta eſſe a librariis. Sic igitur Poetam ſcripſiſſe, nulli dubitamus: *queis frontes geminæ*, (queis) *conſona tinnulo concentu crepitacula*, (queis) *ætas conſimilis*. Deſcribit enim per *frontes geminas* ſimilem formam boum ſimilemque adſpectum: eodemque modo inferius *v.* 82 laudat *taurum frontis arduæ*. *V.* 39 ſic legendum videtur: *robur idem fuit. Heu fatum!* *V.* 64 metri ratio transponi jubet duas voces atque ita ſcribi: *uno in corpore perditas*. *V.* 129 pro *Et me conſiliis jungite proſperis* ſic reſcribendum autumamus: *Stat me conſiliis jungere proſperis*. *Stat*, hoc eſt, firmiter decrevi: quo ſenſu ea vox uſurpatur a Cicerone, Nepote & Virgilio. Ultimo loco etiam typographorum aliquot errores, qui in hac editione irrepſiſſe videntur, notare liceat; ut cum v. 33 exſtat *ſubderam* pro *ſubdideram*, v. 97 *quid eſt, quo*, pro *quid*

eſt,

eſt, quod; v. 102 *hic* pro *his*; v. 118 *pellitur* pro *repellitur*; v. 119 *parificatio* pro *purificatio*; v. 122 *religionibus* pro *relligionibus*: ad quem locum annotare liceat, etiam Ciceronem plurali numero dixiſſe *ſolennes religiones*. Orat. pro Milone cap. 27.

M. JOANNIS BURCARDI BASIL. MODEſta & ſeria Reſponſio ad literas BROOCK TAYLORI, quæ extant in Act. Lipſ. 1722 pag. 452.

CUm ante aliquot annos Cl. Taylorus ſui ipſius adeo oblitus fuiſſet, ut non vereretur in lucem protrudere gravem invectivam contra Cl. Joh. Bernoullium, quæ ne quidem contra viliſſimum hominem citra honeſtatis læſionem ſcribi potuiſſet; non potui juſta indignatione plenus, quin calamum arriperem ad famam Bernoullianam tuendam & ab atroci injuria liberandam. Exigebat hoc pietas in Præceptorem de profectibus meis optime meritum, in virum omnino innocentem. Multum autem abeſt, quo minus uſus fuerim ſtylo Tayloriano, hoc eſt tali, qui ſcribentis animum arguit felle & ira obſeſſum.

Miror Clariſſ. Taylorum dicentem nunc, ſe conqueri poſſe de ſcriptis, neſcio quibus, Cl. Joh. Bernoullii in Actis editis, quibus fama Taylori multa libertate tractetur, cum tamen Bernoullius in ſcriptis ſuis nonniſi bis meminerit Taylori, nimirum cum ſolveret ipſius problema, quo fuerat provocatus, deinde quoque cum anſa daretur aliquid in tranſitu monendi de Taylori in ſcribendo obſcuritate, tum & quod feliciter penetraverit ad Bernoulliana inventa profundiora; quod utrumque modeſte & non ſine præfatione honoris monuit, quamvis certe per ſe neutrum contineat accuſationem alicujus criminis, cum econtrario poſterius in laudem Taylori vergere magis, quam in ejus vituperium, liquido conſtet. Adeo ut non videam, quid ejus bilem commoverit, ut in Cl. Bernoullium tantopere exardeſceret: niſi forte id urgeat, quod in Epiſtola pro eminente Mathematico in cenſum venerit quorundam Anglorum, qui ſub re-

atu plagii verſantur; ſed jam ſæpiſſime inculcatum eſt, noſtrum non omnia ſua facere quæ in illa Epiſtola habentur.

Fallitur Taylorus, quando putat, quod ſcripſi in defenſionem Bernoulli, id me feciſſe ejus nomine vel juſſu, ſciat enim, quod hoc feci meo nomine & ex proprio inſtinctu, idem jus idemque fas mihi eſſe ratus, quod Keillius aliique ſibi ſumſerunt agendi cauſam Newtoni; Bernoullio nihil aliud contribuente, quam ut ad iteratas meas ſollicitationes tandem mihi permitteret ſuas ſchedas & literas perluſtrare ad exquirendum inde neceſſaria, quæ in rem facerent, documenta; eandem utique veniam Newtonus ſuis promachis conceſſit, quod ſatis ſuperque apparet.

Porro vellet Taylorus perſuadere, inventionem Centri Oſcillationis, libro ſuo de Methodo Increm. inſertam, non eſſe derivatam ex Bernoulliana: qua occaſione format ridiculam prorſus querelam contra Cl. N. Bernoullium, Noſtri filium, qui in Actis 1720 p. 281 (ubi reſpondet Recenſori opuſculi Tayloriani in Bibliotheca Anglica) inter alia hæc habet: *ſunt inter ſagaciores Mathematicos, qui ſuſpicantur, teſtibus literis quibusdam privatis Taylorianam hanc inveſtigationem mutato veſtitu ex Bernoulliana fuiſſe enatam;* hoc Taylorus vocat accuſationem; dicere, aliquem eſſe in ſuſpicione & quidem apud alios, eſtne hoc idem ac eum accuſare? poſito ſed non conceſſo Taylorum a ſe & ſuo Marte habuiſſe inventionem centri oſcillationis, adeoque hac in parte non eſſe plagiarium, an ideo Bernoullius Filius falſo dixiſſet, eum apud ſagaciores quosdam Mathematicos eſſe in ſuſpicione, teſtibus ipſorum literis, quod inventionem ſuam a Bernoulliana mutuatus fuerit? Ex quibus literis ego eas tantum produxi, quas Monmortius Taylori optimus amicus ſcripſerat, ubi hunc manifeſtiſſime plagii ſuſpectum habet, & alicubi etiam reum facit. In eo quidem totus nunc eſt Cl. Taylorus, ut oſtendere conetur, inveſtigationem centri gravitatis, quæ in libro ſuo 1715 prodiit, jam antea extare in Transactionibus Philoſophicis, quæ menſe Majo 1714 publici juris erant. Vidimus quidem haud ita pridem hanc, de qua loquitur, inveſtigationem ex Transactionibus excerptam & huc transmiſ-

ſam;

ſam; in illa per obſcuritatis tranſennam revera vidimus quædam veſtigia illius, quæ anno ſequenti 1715 in Meth. Increm. prodiit, ſed de cetero magnam animadvertimus diverſitatem in modo explicandi non minus quam in aliis circumſtantiis, & vel hinc de novo aliquis ſuſpicari poſſit, Cl. Taylorum viſa demum in Actis 1714 Theoria Bernoulliana, ad hujus formam, quod fortaſſe magis arriſerit, concinnaſſe eam, quam poſtea dedit A. 1715, licet Bernoullianæ nullam mentionem fecerit: ſecus enim non capio, quid illum permovere potuerit ad mutandam priorem, quæ extat in Transactionibus. Sed ut libere dicam, quod ſentio: viderat Vir Clariſſ. quæ jam menſe Febr. anni 1713 in Actis diſſeruit Cel. Bernoullius *de Oſcillationibus pendulorum a diverſa gravitatis ſpecie agitatorum*, ubi diſerte monuit in §. 23, in ſpeculationibus eo loco explicatis conſiſtere *fundamentum genuinum & unicum, ex quo naturaliſſime fluat determinatio centri oſcillationis in pendulis compoſitis*. Talia tam aperte indicaſſe, ſuffecerat cuivis ea, qua Taylorus pollet, perſpicacia prædito ad ſupplenda reliqua, & inde deducendam Methodum ipſam, quæ alioquin ipſi nunquam incidiſſet. Hæc ratio eſt, cur Methodus, quam prima vice in Transactionibus dedit, cum quædam ſupplenda fuerint per conjecturas, informis & imperfecta maneret, donec Bernoulliana Theoria ſequenti anno 1714 clariſſime & ad longum expoſita Cl. Tayloro anſam præbuiſſet priorem ſuam refingendi, eamque poſtmodum anno 1715 ſub alio vultu in lucem emittendi.

Ita liquet tantum abeſſe, quo minus ſuſpicio plagii ſit ſublata per id quod ex Transactionibus allegat, ut ea potius novo hoc accedente probabilitatis robore non parum confirmetur. Interim miramur, quod Cl. Taylorus, dum ſuſpicionem hanc tam ſollicite amoliri conatur, reliqua tamen plagii exempla ſibi objecta ſilentio præterierit, illud præſertim, quo oſtenſum eſt, ſeriem illam quam pro ſua venditavit p. 38 M. Increm. $\boxed{\dot{r} s} = rs - \acute{r}\dot{s} + \overset{\prime\prime}{r}\ddot{s} - \overset{\prime\prime\prime}{r}\dddot{s} +$ &c. nonniſi in notandi modo differre ab hac

$$\int n\,dz = nz - dn\frac{z^2}{1.2\,dz} + d^2n\frac{z^3}{1.2.3\,dz^2} - d^3n\frac{z^4}{1.2.3.4\,dz^3} + \text{\&c.}$$

quam Cel. Joh. Bernoullius exhibuit in Actis 1694 p. 438, hoc eſt, plus quam quatuor luſtra ante exiſtentiam libri Tayloriani. Hoc nunc, quo manifeſti plagii poſtulabatur, intactum relinquit; quid hoc ſibi vult? illud haud dubie: qui tacet conſentire cenſetur.

Cetera quidem contemnit Vir Clariſſimus, nec refellere curat, quæ tam Authenticis Teſtimoniis adſtruxi, ſed contemtus iſte rerum veritatem non deſtruit, cum præſertim principium habeat haud abſimile illi, quo uſa vulpes, quæ ſummis ſaliens viribus uvam, quam appetebat, ut tangere non poterat, diſcedens ait, nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere. Fateor contemtum quandoque eſſe nobilem, cum ſcilicet contemnimus injurias illatas ab iis qui ſe defendere amplius non poſſunt. Ex hoc principio Cl. Bernoullius percepto nuntio de Joh. Keillii morte noluit permittere, ut in publicum prodirent Vindiciæ a doctiſſ. Cruſio paratæ contra virulentas calumnias, quas Keillius in ambos ſparſerat, ſicut & in alios viros egregios, præcipue in Collectores Actorum de re literaria longe melius merentes.

ICHNOGRAPHIA O' SIA PIANO, E PIANTA della vita, e dell' uſizio del Veſcovo.

h. e.

ICHNOGRAPHIA, SIVE DESCRIPTIO vitæ & officii Epiſcopi.

Romæ, ex officina Bernabiana, 1719, 4.
Alph. 2.

De Epiſcopi vita & officio multa egregie & perſpicue ſatis in hoc opere traduntur præcepta, quod primum, quemadmodum præfatio teſtatur, a novo quodam Epiſcopo in privatum uſum adornatum, poſtea vero, amicis nonnullis, Viris eccleſiaſticis, ab ipſo in conſilium vocatis, & ſingulis ſymbolum ſuum conferentibus, ab uno ex illis in hanc, qua nunc prodiit, formam eſt redactum. Autor itaque, qui ſub titulo Eccleſiaſtici

latere

latere voluit, applaudentibus amicis, quanquam de hoc argumento plurima jam exſtent monumenta, & unum alterumve nuper adhuc Romæ editum ſit, hoc tamen opere de Eccleſia bene meriturus, partes Epiſcopi principales rite dextreque abſolvendas, & virtutes omni cum ſtudio ſectandas juſto ordine & ex regulis prudentiæ, non carnalis, uti loquitur, ſed ſpiritualis, in hac Ichnographia, veluti in tabula, accurate deſcribit, præcepta dictisScripturæ,Patrum teſtimoniis & exemplis veterum Epiſcoporum, in primis Caroli Borromæi, quem veram veri Epiſcopi ideam plus ſimplici vice appellat, ſcite apteque illuſtrat, & canonum ſacrorum auctoritatem, ſi quæſtio aliqua in illis jam deciſa, vel, ſi in utramque adhuc diſputari poſſe videtur partem, eam ſequitur opinionem, quæ ad inſtituta eccleſ. quam proxime accedit. Ut vero lectori luculentam hujus Ichnographias, in duas partes diviſæ, σκιαγραφίαν exhibeamus, in *Parte prima* XXXIV paragraphis doceri obſervamus, quid ſit Epiſcopatus; qua intentione Epiſcopus munus ſuum ſubire, qua ſanctitate illud gerere; qua ratione, quove ordine omnes actiones ſuas diſponere, familiam atque domum ſuam inſtruere, diœceſin, & in hac Clerum pariter atque populum regere; quomodo viſitationem & ordinationem inſtituere, beneficia adminiſtrare, bonos paſtores formare, cultum divinum & Chriſtianæ doctrinæ exercitium promovere, & ſeminarium ſuum bene adornare; quomodo denique cum Princibus eorumque miniſtris, cum nobilibus, cum propinquis & cognatis converſari, cenſura Eccleſiaſtica uti, & bonorum temporalium curam ſuſcipere debeat. In *altera* vero *Parte* XVIII paragraphis primum virtutes ſpecialiores commendantur, quæ & perſonam & dignitatem Epiſcopi mirum in modum exornant, ipſumque vivum luminare reddunt Eccleſiæ ſuæ particularis, & ſplendidiſſimam primæ magnitudinis ſtellam Eccleſiæ univerſalis; videlicet cura ſuæ ipſius animæ, ſincerus amor in ſuam Eccleſiam, zelus ſtudiumque promovendi gloriam Dei & animarum ſalutem, religio, oratio, prudentia, miſericordia, juſtitia, magnanimitas & conſtantia, humilitas & manſuetudo, frugalitas & ſobrietas, litterarum denique ſacratiorum ſtudium. Deinde cum Sol ſuas habeat

beat maculas, & Epiſcopus, homo qui non deſinit eſſe, humanis non careat vitiis, nihilo tamen minus ſine crimine vivere jubeatur Tit. I, 7. vitia indicantur, quæ pro virili fugere debeat Epiſcopus, cum generalia, qualia ſunt præter avaritiam, ſuperbia, vanæ gloriæ cupido, acciſmus, vitæ aulicæ & politicorum morum æmulatio, quam qui ſectantur, ſub ſpecie Eccleſiaſtica genium habere recte dicuntur ſæcularem; tum ſpecialia, in regimine Eccleſiaſtico vitanda, quæ cordate & peregregie deſcribuntur. Et denique ratio præſcribitur animarum curam & regimen facilitandi, ſpiritum ſacerdotalem & Epiſcopi conſervandi, ſeque ad beatam placidamque mortem præparandi. Hæc omnia pie prudenterque conſiderantibus fatendum utique eſt, in præceptis non eſſe, quod jure deſiderari, multo minus culpari queat; optandum potius ſerio, ut omnes Epiſcopi hanc Ichnographiam intuerentur, & in vita atque officio ipſimet exprimerent. Dantur quidem in hoc opere monita nonnulla, quæ Papalem ſapiunt redolentque genium, & Epiſcopis Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſolis ſunt relinquenda; ex. gr. de ratione rerum cum capitulo & canonicis, cum monachis & monialibus, quarum curam Autor quam maxime commendat, cum monachis regularibus, quos filios Epiſcopi emancipatos dicit, aliisque exemtis agendarum; de reverentia erga Papam, & ſedem Apoſtolicam, quam *thronum divinitatis in terra viſibilem* appellat, ſed hæc pauciora ſunt; plurima vero, quæ Epiſcopos Romano-Catholicos, ab hac Ichnographia totos, ſi quid judicamus, diverſos, ἀναπολογήτους reddunt, & omnibus Eccleſiæ Epiſcopis, non ſolum pro præſenti Eccleſiæ ſtatu ſic dictis, ſed etiam, quatenus a presbyteris olim non diſtincti fuerunt, obſervanda ſunt, bonæ frugis monita heic inveniuntur, ex quibus non poſſumus, quin præſtantiora quædam excerpamus. Sic arduum
p. 21. Epiſcopi munus, quod parvum chaos cum Autore dixeris, feliciter auſpicaturus, apud animum ſuum ſtatutum habere jubetur, diœceſin ſuam ſanctificare, ſeque ab omni reſpectu terreno, dominii, otii, atque commodi purgare, & ad peccatum impugnandum, deſtruendum & exſtirpandum, quaqua fieri poſſit ratione, omnes cogitationes dirigere; atque hanc ſuam voluntatem verbis

verbis factisque declarare, ac ſummo cum ſtudio & exquiſita cum prudentia in totius eccleſiæ ac ſingulorum ejus membrorum ſtatum inquirere. Plebem vero a ſervitute peccati liberaturus, ad exemplum Moſis auctoritatem habeat, & magnanimitatem ac patientiam: viſitationem continuam inſtituat, tam corpore quam mente, & mores fidei ſuæ commiſſorum diſtincte ſcrutetur, ut eos oportune corrigere queat; verbum quoque Domini ipſemet prædicet, quod eſſe *præcipuum Epiſcoporum munus*, ab Autore recte aſſeritur & vindicatur; privataque inſtitutione ſingulos ædificet, & doctrinam Chriſtianam junioribus ſedulo inculcet: jurisdictionem, uti loquitur, eccleſiaſticam cum zelo intrepido conſervet, ea tamen prudentia, ne ſecularis turbetur. Zelo imprimis præditus ſit ſpirituali, qui proprius eſt character Epiſcopi, adeo ut Deus & populum & Epiſcopum ipſum acerbius punire nequeat, quam ſi Epiſcopus ſine zelo fuerit. Ad zelum vero rite & ſine reſpectu perſonarum exercendum tria potiſſimum requiruntur: 1) ut ſit actus charitatis, & ab ira, vindicta, invidia, ambitione, pervicacia alioque affectu perverſo probe diſcernatur: 2) ut in actum traducatur, ne vel animo tantum volvatur, vel metu difficultatis & contradictionis mox abrumpatur, ſed ut animo generoſo perficiatur: 3) ut dextre accommodetur, ratione habita climatis & regionis, hoc eſt, indolis & ſtatus hominum. Porro prudentia Epiſcopi non tantum ſit monaſtica, ut ſibi, œconomica, ut ſuis, & civilis ſive politica, ut toti eccleſiæ ſuæ bene conſulat; ſed in primis ſpiritualis, ut finem ultimum, gloriam Dei ſemper & ubivis reſpiciat. Et hanc ſupremi Numinis gloriam favori Principum, bonamque conſcientiam proprio præferre commodo, tutiſſimum eſt magnanimitatem mentisque conſtantiam, Epiſcopo in doctrina Chriſtiana fideliter tradenda & confitenda, in Eccleſia regenda, in exemplo aliis præbendo, ſumme neceſſariam, adeo ut ſine magno ſuo damno illa carere nequeat, conſequendi medium. In ſtudiis, quod ultimo loco notandum, ita verſetur Epiſcopus, ut officium ſuum ejusque finem reſpiciat, & in ſacratiores literas, præſertim in lectionem Scripturæ ſacræ incumbat. Jurisprudentiam, cui ple-

roſque Præſuleſs hodie operam ſuam navare Autor non diffitetur, ſi cum ſacris Literis conjuncta fuerit, Epiſcopo dicit eſſe ornamento; ſin autem ſola fuerit, illum non ornare, ſed deformare.

DE IIS QUÆ OPTICÆ NEWTONIANÆ IN Epiſtola ad CHRISTINUM MARTINELLUM, non ita pridem oppoſuit JO. RIZZETUS (vid Suppl. Act. T. VIII Sect. III p. 127 & Suppl. Diarii Ital. T. I Art. XII p. 373) brevis Diſquiſitio; Autore G. FRID. RICHTERO.

CUm multa ſunt in Epiſtola Viri clariſſimi Rizzeti lectu & conſideratu digna, tum illa mihi perplacuit nova obſervatio, ad denſitatem quæ ſpectat humoris cryſtallini, non uſque quaque ſimilem, ſed ab extremis partibus ad medias certa quadam lege perpetuo creſcentem, Quam ſi definire legem accuratius, tum vero genuinum ejus uſum explicare Vir doctiſſimus poterit, næ illum rem præclaram inveniſſe, & pulchre operam locaſſe ſuam, omnes fatebuntur, qui receſſus naturæ intimos rimari ſolent. De cetero cum idem dogmata Newtoni de diverſa diverſe coloratorum inflexione radiorum, & de ea quæ hinc ſequitur refracti luminis aberratione, labefactare inſtituit, quamquam id eo facit conſilio, ut teleſcopiorum perfectionem ab inſuperabili impedimento liberet, vereor tamen magnopere, ne fruſtra omnem hunc laborem ſumſiſſe videatur. Tot enim ac tam egregia ab ipſo Newtono capta circa illam rem experimenta, & a Deſagulierio, inſpectantibus plurimis ex Societate regia Anglicana, atque ex Academia Scientiarum Pariſienſi, aliiſque ſagaciſſimis & doctiſſimis exiſtimatoribus, ſæpenumero iterata ſunt, ut nihil prudentius in phyſicis indagatum, nihil circumſpectius recognitum, nihil firmius approbatum cenſeam. Non equidem ſum neſcius, multis, propter incredibilem & ſubmoleſtam, qua opus eſt, accurationem, experimenta illa haud ſatis ex ſententia ſucceſſiſſe: neque adeo mirarer, ſi de pari fortuna Cl. Rizzetus quereretur. Sed quod tam

fidenter pronuntiat, *ſe cuncta Newtoni experimenta renovaſſe, eademque partim falſa, & omnia reliqua, propter omiſſionem alicujus circumſtantiæ, æquivoca inveniſſe & minime concludentia*, id (fateor) non poſſum demirari ſatis. Nam quod ad duo illa pertinet exempla, quæ adducit Vir doctiſſimus & reprehendit, eorum ſane non difficilem ſuſcipere defenſionem licet. Projecit in chartam albam Newtonus imaginem alius chartæ, cujus dimidia pars rubra & dimidia cœrulea erat, interpoſito decenter vitro, quod lentem opticam vocare conſuevimus, atque iſto modo certior factus eſt, radiorum cœruleorum quam rubrorum paullo minus a vitro diſtare focum: admovenda enim aliquanto propius ad vitrum charta alba erat, ut chartæ coloratæ pars cœrulea, quam ut rubra, perfectiſſime depingeretur. Non ſatisfecit ſimile tentamen Cl. Rizzeto: nec mirum; videtur enim claritatem unius partis cum inſigni alterius obſcuritate conjunctam exſpectaſſe. Sed haud tantam eſſe differentiam, quæ primo ſtatim obtutu oculorum percipi ſufficienter poſſit, vel ex eo intelligitur, quod filum ſerici non modo nigerrimum, ſed & tenuiſſimum, tam ſollicite ad chartam coloratam applicavit, variiſque flexibus circumduxit Newtonus: non ſane fruſtra aut ornatus gratia, ſed ut partes, in quas iſto modo charta colorata diſtributa fuit, ſubtiliſſimis diſtinctiſſimiſque circumſcriptæ terminis, imaginem æque perfectam juſto loco exhiberent, leviſſimamque confuſionem & obſcuritatem non obſcure proderent: erant enim confuſæ imagines filorum, & vix diſcerni poterant, ut memorat Newtonus, niſi quo tempore colores ex utraque parte cujuſque fili terminis maxime diſtinctis definiebantur. Jam quod addit Cl. Rizzetus in eo Epiſtolæ ſuæ exemplo, quod Supplementis Diarii Italici inſeruit, ſe, variationis cauſſa, cum multa alia tentaſſe, tum vero chartæ unico colore tinctæ fila diverſorum colorum circumvolviſſe, ſed & horum, quovis loco, æque confuſas vel diſtinctas conſpexiſſe imagines, de eo nihil eſt cur dubitem: nam, ita fore, non difficulter prædixiſſent omnes, qui doctrinam Newtoni perceptam habent. *Sed miſſis ejuſmodi experimentis, quæ ſine ingenti apparatu peragi non poſſunt*, unum

Suppl. Act. l. c. p. 130.

Opt. L. I. P. I. Exper. 2.

Suppl. Diarii Ital. p. 382.

unum ſimpliciſſimum ſe allaturum, ait Vir doctiſſimus, *quod fallere omnino nequeat, quodque cuivis & ubique in promtu ſit.* Scilicet duo ſubtiliſſima fila, alterum rubeum alterum violaceum, ita invicem conjungit, ut ſeſe contingant: deinde illa intervallo debito inſpiciens, cum utrumque unico obtutu diſtincte ſatis videat, ſine dubitatione concludit, hypotheſin Newtoni ſubſiſtere haudquaquam poſſe. Ain vero, hoc experimentum minus ambiguum & minus fallax eſſe quam Newtonianum? Conſideremus quid interſit. Newtonus, ut imaginem efficeret ſatis amplam & luculentam, non modo charta colorata uſus eſt haud minima, ſed & lentem majoris diametri adhibuit. Utrumque mutat Rizzetus, qui in locum chartæ coloratæ duo ſubtiliſſima fila, & in locum amplæ lentis ipſum oculi humorem cryſtallinum ſubſtituit; haud multo aliter, quam ſi quis phaſes planetæ cujuspiam contemplaturus, non Lunam aut Venerem, ſed ſatellitem Saturni ſibi eligat, abjecto difficili teleſcopiorum apparatu, nudis oculis examinandum. Porro Newtonus, ut magis oculorum aciem adjuvaret, percommodum illud & apprime neceſſarium filorum artificium commentus eſt: ſed naturali ſenſuum perfectioni fidens penitus Rizzetus de nulla re conſimili laborat. Denique cum iteraret Newtoni experimenta Deſagulierius, præter cetera etiam hoc non parum ad rem facere intellexit, ſi inter lucernam coloratæ chartæ appoſitam, atque inter lentem, opacum quoddam corpus ita interponeretur, ut a lucerna ad lentem nullus radius directus pervenire poſſet: Rizzetus autem de excludendis ex oculo aliorum corporum lucentium vel illuminatorum radiis haud quaquam ſollicitus eſt. Siccine vero exſpectabit quiſpiam, ut hujus experimentum experimento anteponamus Cel. Newtoni. Fateor, ſimplicia ſæpe artificioſis præferenda eſſe, ſed ita, ſi illis vel æque commode quam his, vel etiam commodius expedire veritatem liceat. Adde, quod experimentum Cl. Rizzeti vulgare & incurioſum potius quam ſimplex videtur appellandum; quandoquidem in perexiguo cryſtallini humoris ambitu multo plus myſterii, quam in ampliſſima lente vitrea latere, vel ipſa Viri clariſſimi nova docet obſervatio, de qua

Suppl. Act. p. 131.

Digitized by Google

qua ſupra dictum eſt. Neque vero diagramma ejus me quidquam movet, ob eas ipſas rationes, quas expoſui. En quomodo veſtigiis nobiliſſimi Autoris inhærens, argumentari poſſum: Tenuis quædam virga, quæ ex metallo vel alia materia unicolore facta ſit, poſita ante oculum ita oblique concipiatur, ut altera extremitas, oculo multo propior, ab ipſa axe *Ae* ad *dextram nonnihil declinet, altera remotior ad ſiniſtram. Emittat* *pars propior radios ſuos ad oculum Bb, extremique* a B, ab, *refracti concurrant prope punctum e, in quo ceteri quoque phyſice concurrent; radii deinde ex parte remotiore fluentes, utpote minus obliqui, concurrant omnes prope punctum* C. *Imago partis remotioris erit circa* C *imago propioris circa* e: *Differentia diſtantiarum* Ce *ſatis ſuperq. ſenſibilis eſt. Nunc fundus oculi in* FeG *geminas accipiet imagines: illa extremitatis propioris virgæ, contracta in minus ſpatium circa* e, *eximia diſtinctione excellet: altera remotioris, diſtracta in ſpatium,* F G, *ſpeciem ſui referet confuſam.* Sed quid multa? videt oculus diſtincte & uno intuitu utramque virgæ, de qua dixi, extremitatem, quamvis radiorum, a puncto propinquo venientium, magis diſtare focus a lentibus ſoleat, quam eorum, qui a puncto remotiori mittuntur. Quærat Cl. Rizzetus, ſi placet, hujus rei genuinam cauſſam, & videat, an non eadem applicari ad difficultatem ab ipſo propoſitam quam commodiſſime poſſit. Et hactenus quidem de uno Newtoni loco, quem reprehendendum in Epiſtola ſua ſibi ſumſit Vir clariſſimus. Venio ad alterum; omiſſum illum quidem in Latino Epiſtolæ exemplo, quod Actis noſtris inſertum eſt, ſed in Supplementis Diarii Ital. expreſſum. Per priſma vitreum triangulare, cujus angulus refringens ſurſum

Act. l. c. p. 131. conf. fig. 1. cum fig. Rizzeti.




Fig. I.

p. 385.

ſum convertebatur, aſpiciens Newtonus chartulam oblongam, dimidia parte rubram & dimidia cœruleam, hanc quidem partem altius quam illam refractione elevatam obſervabat. Erat

Opt. l. c. exp. I. autem, ut cetera cautiſſime diſpoſita nunc taceam, *paries cubiculi ſubter feneſtram, cui exponebatur charta, panno nigro obtectus, atque ipſe inſuper pannus tenebris undique circumſeptus, ne quid luminis inde reflecteretur, quod prope chartæ extremitates ad oculum tranſiens, ſeſe lumini a charta reflexo immiſceret, iſtoque pacto experimentum interturbaret.* Contra ea Rizzetus, abjecto panno nigro, telam albam chartulæ ſubſtravit: quo facto partem rubram aliquanro altiorem quam cœruleam videre ſibi viſus eſt; quanquam re ipſa, propter ingentem heterogenei luminis copiam data opera admiſſam, non diſtinctas, non puras chartæ partes videre potuit, ſed vehementer confuſas & ſatis denſa iride indutas. At enim, *ſive album fuerit ſive nigrum, quod chartæ ſubjiciatur*, inquit, *non ideo naturam colorum, nec vim, qua refringuntur, immutari credendum eſt:* fateor. Sed iſto modo etiam lumen accendere in camera obſcura fas erit: ſive enim luminoſa fuerit, ſive nigra & opaca camera, non ideo naturam radiorum, quibus imagines depingi ſolent, immutari putandum eſt. Quid vero? Satin' conſideravit Vir clariſſimus, ad experimentum, quo de nunc agitur, priſma, non lentem adhiberi? quid? nonne per priſma diſpergi ac velut diſcindi radios, aberransque lumen generari, ultro concedit? nonne per lentem negat idem fieri ſolere? Quanam ergo re adductum illum exiſtimem, ut argumentum impugnaret, quod nihil contra ejus ſententiam facere videtur? num, ut tentamina Newtoni ad unum omnia vel falſa penitus vel ambigua & parum accurata, ut ſupra monuit, ſe inveniſſe demonſtraret? an forte ideo, quod de diſcrimine commemorato inter priſmata & lentes non

Act. l. c. p. 130. plane certus ac ſecurus ipſe eſſet? *Quod ſi quæras*, inquit, *cur lumen diſpergatur, tranſiens per priſma triangulare, & non itidem diſpergatur, tranſiens per lentem, reſpondeo, quod res tanta nequit unica Epiſtola contineri, tibi autem* (Martinelle) *ſatisfaciam in quadam refractionum diſquiſitione, quæ nunc*

in

in manibus eſt. Equidem cui ſatisfaciet Vir doctiſſimus laudata diſquiſitione, neſcio. Interim contrariam ſententiam perpaucis demonſtrare, bona cum ipſius venia, conabor. Sit *ABCA* lens quæcunque plano-convexa, (talem enim, ut ſimpliciorem, exempli cauſſa aſſumamus,) incidatque in quodvis ejus punctum *C* radius luminis heterogenei utcumque inclinatus *EC*: ducatur recta *CD*, contingens arcum *ACB* in puncto *C*, & concurrens cum producta *AB* in *D*, ita ut *ADC* angulum refringentem alicujus priſmatis deſignet. Dico, radium *EC* in tranſitu per lentem expoſitam eodem plane modo refractum diſperſumque iri, ac ſi in punctum *C* commemorati priſmatis incideret. Etenim ut radius *EC* legitime refringatur per priſma *ADC*, non aliis vitri partibus opus eſt, quam illis, per quas tranſit radius, ita ut nihil interſit, ſi omnia reliqua utriusque lateris puncta quovis velamento circumtegantur: ſed neceſſariæ illæ partes prorſus ſunt communes priſmati ac lenti: Ergo radium *EC* in tranſitu per lentem eodem modo refringi diſpergique neceſſe eſt, ac ſi in punctum *C* delineati priſmatis incideret. Q. E. D. Reſtat, ut de illo experimento videam, quod inprimis urget contra Newtonum Rizzetus. *Super chartam albam, a Sole probe illuminatam, unum poſuit capitis ſui capillum, unius pedis intervallo ab oculo remotum, eundemque tum nudis oculis, tum per lentem vitream debite interpoſitam, conſpectum ſibi quam diſtinctiſſime* pronuntiat; quem quidem, ſi vera eſſent placita Newtoni, propter lumen illud aberrans, quod oritur a chartæ partibus capillo proximis, vel admodum obſcure & confuſe vel plane non videndum opinatur. Quaſi vero ad hujusmodi objectiones non perquam accurate reſpondiſſet ipſe Newtonus, eo loco, ubi expreſſiſſime quærit, quid ita tam diſtincte & clare per

Fig. 2.




Fig. 2.

Suppl. Act. p. 128.

Digitized by Google

re per lentes videamus, cum tanta ſit refracti luminis aberratio? Opt. p. 82. *Errantes enim radii*, inquit, *non uniformiter per totum rotundum ſpatium, quod occupant, diffuſi, ſed in centrum infinite, quam in aliam ullam circuli partem, denſius collecti ſunt; a centro autem ad usque circumferentiam rareſcunt continuo, donec in ipſa tandem circumferentia infinite rari evadunt; & propter raritatem iſtam minus fortes ſunt, quam ut ſenſu percipi poſſint, niſi in ipſo centro aut propius ab eo.* Atque hoc cave a Newtono gratis dictum putes: nihil enim certius, nihil exploratius dici potuiſſet. Si verum eſt, ut eſt profecto, quod paullo ante de ſimilitudine priſmatis ac lentis demonſtravi, ſequitur, ut radius *EC* (fig. 2) projectus in lentem a puncto lucido *E*, atque inde legitime refractus, non punctum in foco exhibeat, ſed lineolam quandam *fg*, vel potius figuram oblongam, qualem deſignat *hi*: (Fig. 3) ſimiliterque radii ab eodem puncto lucido *E* ad cetera lentis puncta vibrati innumerabiles ejusmodi figuras ſeu lineolas *lk*, *nm*, in foco exhibebunt; decuſſatim poſitas, & integrum orbiculum implentes. Quarum omnium ſi longitudo eadem, & latitudo infinite parva; & lumen uniforme eſſet, tum quidem facile oſtenderetur, denſitates radiorum, in quibusvis locis orbiculi errante lumine completi, eſſe reciproce in ratione diſtantiarum a centro, ut Mathematici loquuntur. Sed quoniam ſingulæ illæ lineolæ multo fortius lumen circa medium habent, quam prope utramvis extremitatem, nec omnes magnitudine æquales ſunt, nec accurate in centro bifariam ſecantur, difficilior quidem exiſtit calculus, ſed talis ſine controverſia, ex quo etiam magis quam ex priori pateat, lumen errans in centro ſui orbiculi infinite denſius eſſe, quam in circumferentia, aut in quavis notabili diſtantia a centro. Vidit hanc reſponſionem quodammodo Rizzetus: ſed tardius quam vellem vidit, ut ex Italico Epiſtolæ ejus exemplo, vel ex adjuncta potius appendice cognoſcitur; & ſatis etiam incurioſe (ſi ita dicere fas eſt) conſideravit. Ita enim ille, quaſi cuncta prævidiſſet: *Non temere aſpexi capillum*, inquit, *poſitum ſuper chartam albam, a Sole probe illuminatam, ſed ita compoſitum*

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 3.

Diar. Ital. p. 417.

Act. p. 129.

aſpexi

aſpexi, ut lumen aberrans chartæ ſuppoſitæ melius poſſet manifeſtari, ſi minus in tota ſua extenſione, ſaltim in magna ſui parte. Quamvis igitur, inquit porro, *in extenſione hoc lumen occupabat, juxta Newtonianam ſententiam, ſpatium undecies majus imagine capilli, & intenſione erat illud ſupra imaginem capilli vicies denſius, quam eſſet prope extremitatem, attamen ipſius luminis neque indicium quidem apparuit*. Equidem non ſatis capio, qua ratione *capillum ſic diſpoſitum aſpexerit, ut lumen aberrans chartæ melius poſſet manifeſtari:* neque etiam illud in promtu eſt, quomodo *ſpatium luminis aberrantis ſuper imaginem capilli vicies denſius fuerit quam prope extremitatem*. Interim hoc meo jure contendere poſſe videor, capillum perinde ut chartam probe fuiſſe illuminatum, ita ut aberrans chartæ lumen a capilli multo fortiore lumine omnino extingui neceſſe eſſet. Quin igitur excogitavit quippiam atque in capilli locum ſubſtituit Vir nobiliſſimus, quod aut nullum lumen aut minime notabile reflecteret? & cur non etiam operam dedit, ut nulli alii radii, præterquam a chartæ partibus capillo proximis reflexi, intrare oculum & aciem ejus præſtringere poſſent? Ut fert Newtoni ſententia, imago puncti Opt. l.c. lucidi, hoc eſt, orbiculus luminis errantis, qui ſenſu percipi poſſit, vix magnitudine excedit circulum, cujus diameter ad diametrum vitri objectivi teleſcopii melioris ſeſe habet ut 1 ad 250. Proinde *in conſpicillo tubulato, cujus apertura ſit 4 unciarum, & longitudo 100. pedum, hæc imago non excedet* ″2, 4″′5, *aut* ″3; *& in conſpicillo tubulato, cujus apertura ſit 2 unciarum, & longitudo 20 aut 30 pedum, poterit eſſe* ″5 *aut* ″6: *quod quidem experientiæ optime congruit. Etenim aſtronomi quidam per conſpicilla tubulata ſupra 20 pedes & infra 100 longa, obſervarunt diametros ſtellarum fixarum eſſe circiter* ″4 *aut* ″5: *verum, ſi vitrum oculare facis lychnive fumo infuſcatum ſit, quo lumen ſtellæ obſcuretur, jam languidum illud lumen, quod erat in circuitu ſtellæ, evaneſcet, ſtellaque ipſa ad puncti mathematici magnitudinem propius accedet*. Hæc Newtonus. Quod ſi radii a charta illuſtrata reflexi æque fortes eſſent ut radii ſtellarum fixarum, nec capillus & corpora circumjecta plus lu-

minis reflecterent quam æther ſtellis circumfuſus; ſi porro humor cryſtallinus e vitro conflatus eſſet, & tota ejus anterior ſuperficies radiis pateret: tum quidem diameter luminis errantis, quod in fundo oculi a charta illuſtrata ortum, ſupra imaginem capilli protenditur, ad diametrum humoris cryſtallini ſeſe haberet ut 1 ad 250, hoc eſt, non plane præteriret ſenſum. Præterit autem, quia iſta omnia, longe aliter ſunt comparata. Sed poſito ante oculos priſmate triangulari vitreo, quantumvis parvus eſſet angulus refringens, vidit ſemper Vir clariſſimus, capillum a chartæ aberrante lumine turbari. Non adeo moroſus ſum, ut contradicam, dummodo de tali parvitate anguli refringentis loquatur Autor, quæ ad naturam priſmatis optici accommodata ſit. Ceterum hoc affirmare nihil dubito, ſi ſententia Newtoni ejusmodi experimento recte confutatur, eandem toties refelli, quoties per priſmata transſpicientes, coloratas fimbrias circa res quascumque obſervamus, quæ per lentes non apparent. Sed cauſam hujus differentiæ explicare cum Newtono proclive eſt; quam nunc quidem copioſe perſequi haud neceſſarium videtur.

EXCERPTA E NOVO EXEMPLARI EPIſtolæ ſeu Diſſertationis Anti-Newtonianæ JO. RIZZETI, quod noviſſime Cl. Autor nobiſcum communicavit.

DUo potiſſimum loca ſunt, in quibus novum hoc exemplar a priori diſcrepat, quod in Supplem. Act. T. VIII S. III p. 127 exhibuimus. Scilicet pro iis, quæ leguntur in Actis noſtris l. c. p. 128, circa finem, usque ad p. 130 a verbis: *Porro juxta Newtonianam ſententiam*; usque ad verba: *Ut de medio tandem hanc difficultatem auferrem*; in novo exemplari hæc reperiuntur: *Porro juxta Newtonianam ſententiam, dum radii ex puncto longinquo incidunt in lentem, ſibi invicem paralleli, diameter luminis aberrantis eſt æqualis vigeſimæ ſeptimæ parti latitudinis lentis: dum radii ex puncto propinquo in lentem incidunt, a ſe invicem divergentes, eſt adeo major ipſa diameter. Si hæc igitur*

igitur foret ſaltem æqualis vigeſimæ ſeptimæ parti diametri pupillæ, ipſa diameter eſſet ad diametrum imaginis capilli ſicut $\frac{25 \cdot 24}{27}$ *ad* 1, *vel quam proxime ſicut* 22 *ad* 1, & *proinde imago capilli in oculo a lumine aberrante chartæ ſuppoſitæ obruenda foret*, & *capillus e conſpectu abeundus, ſi foret etiam vigeſies major illius craſſitudo. At quoniam capillus, licet tam ſit exilis, attamen cernitur tam diſtincte, dicendum eſt, nec ullum quidem eſſe in oculo veſtigium illius aberrationis, quam tanti Cl. Autor exiſtimat. Quod ſi oculo, ob latentes cauſas, hoc privilegium tribuere par eſſet, capillus per lentem vitream convexam intervallo debito transſpiciatur*, & *eadem diſtinctione manente, argumentatio modice mutata repetatur, eademque conſequentia eliciatur. Hujusmodi diſtinctio (qua videtur objectum lente interpoſita) in propoſitione* 2 *excuſatur a Cl. Autore, dicente, lumen aberrans longius a ſuo centro magis ſemper atque magis rareſcere*, & *proinde id non eſſe ſenſibile in toto illo ſpatio, in quo extenditur, ſed tantum in circulo, cujus diameter ſit æqualis* 250*mæ parti latitudinis lentis. Porro oculo modo propoſitum capillum intuente alia experimenta Newtoniana vetant ut concedatur, lumen aberrans futurum eſſe ſenſibile in ſpatio ita exiguo, nempe habito reſpectu ad validum lumen chartæ ſuppoſitæ. At ſi hoc exiguum ſpatium concedendum eſſet, foret utique reformandus calculus*, & *facienda diameter luminis aberrantis (in ea parte in qua illud eſt ſenſibile) ad diametrum imaginis capilli, ut* $\frac{24 \cdot 25}{250}$ *ad* 1, *vel ut* 12 *at* 5: *at diameter tamen ipſius aberrantis luminis eſſet plus quam duplo major diametro imaginis capilli*, & *in hac quoque hypotheſi eadem imago foret a lumine chartæ ſuppoſitæ aberrante delenda*, & *capillus e conſpectu abeundus. Si hic igitur diſtinctiſſime cernitur, non video quomodo contra hanc diſtinctionem poſſit aberratio Newtoni reluctari.* Pro iis quæ expreſſa ſunt in Actis noſtris l. c. p. 132 lin. 3, a verbis: *Illa fili rubei contracta;* usque ad verba lin. 21: *Sentio te, Chriſtine, ſumma cupiditate duci;* legendum eſt juxta tenorem novi exemplaris hoc modo: *Illa fili rubei contracta in puncto eſſet eximia diſtinctione perſpicua, niſi turbaretur a lumine aberrante fili violacei, quod diſperditur per totum*
 ſpatium


ſpatium F G, *cujus latitudo eſt multo major latitudine imaginis fili rubri. Fundus oculi ſenſim attollatur & aptetur lineæ* S s: *in hoc utique caſu, duabus imaginibus in ſpatio* S s *confuſis, non duo fila diſtincta, ſed unum objectum ex geminis coloribus infectum apparet. Si tandem fundus oculi collocetur in loco* U u, *tunc pictura fili violacei eſſet diſtincta in puncto* c, *niſi inficeretur ab illa rubri, diffuſa per ſpatium* V u, *cujus diameter eſt multo major diametro imaginis fili violacei. Nec in hoc caſu poteſt allegari, quod lumen aberrans fili violacei magis atque magis rareſcat, longius a centro* e, *cujus raritatis cauſa non ſit ſenſibile in toto circulo* F G. *Cum enim ſit punctum violaceum* A, *& latitudo pupillæ* B b, *lumen ipſius puncti in incidentia comprehenditur intra conum* BAb, *& in refractione intra geminos conos* BCb, FCG; *& quoniam ipſum lumen eſt æquale in ſingulis punctis baſis* B b *duorum conorum* B A b, B C b; *neceſſe eſt quoque, ut ſit æquale in ſingulis punctis baſis* F G *tertii coni* F C G: *Quod pariter dicendum eſt de lumine fili rubri aberrante in ſpatio* V u. *Non poteſt igitur fieri, quin imago fili rubri in* e, *vel violacei in* c, *inficiatur, prima ſcilicet a lumine aberrante fili violacei, ſecunda a lumine aberrante fili rubri. Quod ſi etiam ipſa imagines, nempe illa fili rubri in* c, *& illa violacei in* e, *poſſent eſſe aliqua diſtinctione perſpicuæ, neceſſe eſt tamen, ut, ubi una imago diſtinguitur, ibi altera confundatur, & proinde, ſi verum eſt Newtonianum experimentum ſuperius allatum, nullo modo fieri poteſt, ut nos videamus ipſa gemina fila æqualiter diſtincta. At ea diſtinctiſſime inſpicimus. Neſcio itaque, quomodo poſſit veritas experimenti Newtoniani contra hanc diſtinctionem ſalvari. Porro ex hoc noſtro experimento videtur, omnium colorum radios eſſe æqualiter refrangibiles: at ſi ita eſſet, unde colores quos refracti præ ſe ferunt?*

EXCERPTA EX EPISTOLA JO. RIZZETI ad Socios Societatis Regiæ Londinenſis.

CUm miſiſſem in Angliam Diſſertationem meam de rebus opticis, in qua experimenta a ſummo Mathematico, *Newtono*

rim de extinctione coloris flavi apud Autorem ne verbum quidem; cum tamen, juxta ejus principia, radii omnes diverſimode colorati, inter quos etiam flavi, eo melius ab aliis ſeſe expediant,

TAB. I ad Supplem.



ad Socios Societatis Regiæ Londinenſis.

CUm miſiſſem in Angliam Diſſertationem meam de rebus opticis, in qua experimenta a ſummo Mathematico, *Newtono*

Newtono, publici juris facta, partim falſa, & partim pro ſuo ſyſtemate fulciendo minus idonea, nimis confidenter fortaſſe pronunciavi; id non eo conſilio factum putetis, ut celeberrimam hanc controverſiam profligatam cenſeam, ſed ut veritas magis ac magis elluceſcat. Nunc audio apud vos agi de experimentis coram Regia Societate iterandis: itaque, ut noſcere poſſitis, quo colliment dubitationes meæ, dum de facti ſpecie vobiſcum candide & paucis ago, diligenter attendite.

1) Multus fui in primo Newtoni experimento conficiendo. Plagulam chartæ, cujus altera pars erat rubra, altera cœrulea, probe illuminatam, trigono ad oculum admoto, inſpexi. Si pannus, qui chartæ ſubſternebatur, erat nigro colore infectus, pars chartæ cœrulea altius quam rubra videbatur extolli, ut vidit etiam doctiſſ. Newtonus; at loco panni nigri candida tela ſubſtituta, pars rubra videbatur ſublimius elata quam cœrulea.

2) Secundum Newtoni experimentum judico habere in coloribus priſmaticis aliquid veri, in realibus nihil. Ut de medio dubitationem auferrem, experimentum aliquod, addito calculo, indicavi Sociis Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſ. in maxima Sereniſſ. Ducis Aurelianenſis lente inſtituendum, cujus exitum expecto.

3) Dum ſpecies ſolis conſuetis coloribus pingebatur in longum deducta, ut in exper. 3, notavit Newtonus, exp. 7 P. II, inter ſpatia a ſingulis coloribus occupata quandam harmonicam proportionem ſervari. Hoc verum eſt in unica tantum ſpectri a priſmate diſtantia: verum, mutato intervallo, hujusmodi proportio alteratur. Præterea ſi tabula (in qua colores emphatici depinguntur) propius ad trigonum accedat, color viridis mutatur in album, & ſi longius recedat, flavus penitus evaneſcit. Viridis in album mutatio utcunque ab Autore excuſatur, dum prope priſma radii viridis cum aliis mediæ refrangibilitatis confundi & miſceri ſupponuntur: quanquam petere poſſem, cur prædictis radiis inter ſe commixtis alii colores perſeverent, ſolo viridi deleto. Interim de extinctione coloris flavi apud Autorem ne verbum quidem; cum tamen, juxta ejus principia, radii omnes diverſimode colorati, inter quos etiam flavi, eo melius ab aliis ſeſe expediant,

Digitized by Google

diant, & diſtinctiorem colorem præ ſe ferant, quo longius a priſmate imago excipitur. Quomodo igitur color flavus eo caſu evaneſcit, in quo nitidior apparere debuiſſet?

4) In experimento nono aſſerit Newtonus, quod, cum radii illi, videlicet cœrulei & violacei, in primo priſmate maximam refractionem paſſi, ex toto reflecti cœpiſſent, lumen cœruleum & violaceum chartæ exceptum (quod itidem a ſecundo priſmate maxime refractum fuerat) manifeſte plus augeri videbatur, quam rubrum & flavum, minori refractioni obnoxium. Oppoſitum ſuaſit experientia: cum enim lux cœrulea & violacea a primo priſmate refracta inciperet ex toto reflecti, lumen rubrum & flavum a ſecundo priſmate refractum plus augebatur quam cœruleum & violaceum. Quod obſervavi etiam, repetito experimento 10 a, vero vix diſcrepante.

5) Experimentum 12, cum una lente & duobus priſmatibus inſtitutum, non ſatis ad intentum facere videtur; quia Solis imago, præter illam diſperſionem, quam patitur in duplici refractione per priſmata, juxta legem Newtonianam, aliam patitur (tranſeundo per lentem) nempe vulgarem & notam ob lentis figuram. Hujusmodi diſperſiones, licet diverſi generis, ita ſe mutuo turbant, ut omnia in incerto relinquant. In experimento adhiberi oportet duplex priſma, ut a Marioto factum, & lumen unius coloris a primo priſmate refractum, per ſecundum trajiciendum eſt. In hoc caſu lumen rubrum a ſecundo priſmate trajectum perſeverabit in aliqua ab ipſo priſmate diſtantia; at intervallo aucto ſtatim color indicus emergit. Verum etiam eſt, quod, ſi tranſmittatur per ſecundum priſma lumen flavum, in aliqua a dicto priſmate diſtantia, præter indicum, colores quoque ruber & viridis emergant; at in hoc caſu flavus penitus evaneſcit. Ex hoc phænomeno Syſtema Newtonianum poteſt ex parte argui falſitatis. Si enim color flavus in rubrum, viridem, & indicum reſolvitur, & reſolutione peracta evaneſcit, ſaltem color flavus non eſt homogeneus. Ut novi colores appareant in lumine per ſecundum priſma transmiſſo, cavendum eſt, ne ſecundum priſma ſit nimis a primo remotum, neque ſit nimis anguſtum foramen, per quod lumen unius coloris a primo priſmate refractum per ſecundum transmittatur: aliter color transmiſſus ſine mutatione perſeverabit. Hoc loco imperfecta radiorum ſeparatio obtrudi ſolet, ut in Act. Erud. Lipſ. 1717: ſed experimentorum circumſtantiis talis reſponſio nullo modo ſatisfacit. Cur enim ex rubro colores viridis & flavus non ſe expediunt? cur ex flavo omnes, ipſo flavo pereunte?

6) Experimenta 13 & 14 vera apparent, quoad objecti figuram, dummodo oculus priſmate munitus in parva potius quam magna ab objecto diſtantia conſtituatur, & objectum ſit potius in lumine rubro quam flavo. Quod vero ad objecti colorem, multa ſunt curioſa phænomena, quæ nunc explicare non vacat. Hoc unum attendite: Circulus

chartæ

chartæ albæ (qualis in experim. 13 adhibitus fuit) collocetur primo in lumine rubro, deinde in viridi, imaginis *P T*; & reliquum lumen ipſius imaginis *P T* relinquatur longius ire. Tum ad oculum admoveatur priſma *a b c*, & per idem circulus tranſſpiciatur. Dum oculus priſmate munitus parum diſtat a circulo, hic apparet in primo caſu ruber, in ſecundo viridis. Dum autem oculus a circulo removetur, color ruber, in 1 caſu, mutatur prius in flavum poſterius in lucem albam, & color viridis, in 2 caſu, mutatur prius in indicum & poſterius in umbram. Hæc phænomena videntur Syſtemati Newtoniano contraria. Fig. 8 Newtoni, parti 2 adſcripta.

7) Per ea, quæ tradidi in citata Diſſertatione, conſtat, capillum extenſum ſuper charta alba a Sole illuminata, diſtinctiſſime videri, etiam lente interpoſita. In Prop. 2 unicum phænomenon obſervo in ejuſdem comprobationem adductum, p. 95 Ed. Lond. 1719. Sed ſub judice lis eſt, utrum illa aberratio, quæ novæ legi diſperſionis tribuitur, dependere potius cenſenda ſit ex vetere canone refractionum. Porro aberratio Newtoniana non modo videtur abeſſe in oculo, vel nudo vel par lentem tranſſpicientе, ſed pariter in ſola lente, cujus in foco imago Solis excipitur. In hoc demonſtrando idoneam habeo lentem aqueo-vitream utrinque convexam, cujus craſſitiem, adhibitis inter gemina vitra zonis coriaceis, ad libitum augere poſſum. Pro lentis craſſitudine variatur aberratio vulgaris, quæ dependet ex figura ſphærica, & ex negativa in poſitivam tranſit: aberratio media inter utrumque eſt ſaltem phyſice nulla. In hac lente ſæpius mihi obſervatum eſt, quod deficiente aberratione ex figura, neque Newtoniana ullo modo locum invenit, ut neceſſario poſtulat Cl. Autoris hypotheſis. Interim ut nulla dubitatio remaneat, Sociis Regiæ Scient. Acad. Pariſ. aliud experimentum, addito calculo, indicavi, hoc quoque in Sereniſſ. Ducis Aurel. lente inſtituendum.

8) Tranſeo ad experimenta Partis 2. In primo Newtonus aſſerit, quod interpoſita virgula ferrea, & interceptis quibusdam radiis in priſma incidentibus, obtineri poteſt, ut quilibet ex conſuetis coloribus emphaticis deleatur, dum ceteri non immutati apparent. At ego unicum colorem nunquam delere potui niſi flavum. Addit, quod interpoſita virga paulo latiori fieri poteſt, ut colores bini quilibet evaneſcant. Id ego obtinui in coloribus flavo & viridi, flavo ac rubro, qui ſimul evaneſcere queunt, ceteris perſeverantibus, minime vero in flavo & indico, ſeu flavo & violaceo. Subdit, quod quilibet color æque ac violaceus & ruber fieri poteſt conterminus umbræ: hoc in viridi expertus ſum, ſed non in flavo & indico. Denique ait, quod quilibet color poteſt ſolus, aliis interceptis, relinqui: ego autem nullum potui ſolum colorem, reliquis evaneſcentibus, videre ſuperſtitem.

9) Experimentum 2 aliquando verum inveni, nunquam autem 3.

Exiſtente

Exiſtente enim ſuperficie chartæ plana & lævigata, hæc in lumine albo collocata ſub quacunque inclinatione candida ſemper apparuit.

10) In experim. 6 aliquid deſideratur. Poſita charta flava in lumine cœruleo, vel cœrulea in flavo, color reſultans in utroque caſu ad viridem vergit. Sic transmiſſo lumine cœruleo per vitrum flavum, vel flavo per cœruleum, lumen in utroque caſu vireſcit

11) Experimentum 8 Cl. Autorem feſellit. In parallelipipedo exiguæ craſſitudinis nullus color viſum afficit. Verum, parato longiori parallelipipedo, hoc eſt capſula aqua plena, quæ a duobus vitris planis & parallelis claudatur, ſi lumen Solis valde inclinatum in ſuperiorem ſuperficiem incidebat, per inferiorem exibat conſuetis coloribus infectum.

Reliquis experimentis Newton. Part. I & II Lib. I ſua veritas conſtat, dummodo de ſolo facto agatur. Nam circa Newtonianam ſententiam plura dicenda eſſent, quæ lubens in aliud tempus rejicio. Ne tamen hanc materiam intactam relinquam, loco ſpeciminis unicam conſiderationem adjungo.

In experim. 11 part. 2 lib. 1 obſervavit Newtonus, imaginem *P T* ſurſum elatam & in longum productam, coloribusque adventitiis infectam. Deinde priſmate *a b c* ad oculum appoſito, dum a pariete paulatim diſcederet, imago deſcendebat & in breviorem formam contrahebatur, coloribus ſenſim evaneſcentibus, donec ſpectrum ad locum *S* delatum, in figuram plane rotundam atque albam cogebatur. Hinc collegit, imaginem in loco *S* altam apparuiſſe, quia radii diverſorum generum incidentes in priſma *a b c* convergunt, & pro varia eorum refrangibilitate ita flectuntur inæqualiter, ut in tranſitu ad oculum divergant, & in unum idemque punctum retinæ incidant, ibique invicem commixti candorem reſtituant. Ut de veritate Newtonianæ explicationis judicium ferrem, coloribus realibus vividiſſimis pingi curavi ſuper charta imaginem omnino ſimilem atque propinquam apparenti *P T.* Subinde, priſmate ad oculum admoto, utramque imaginem inſpiciebam, in ea a pariete diſtantia, in qua ſpecies *P T* alba videbatur atque rotunda. Si hæc talis apparet, quia radii diverſimode colorati a priſmate inæqualiter refringuntur, niſi idem effectus, ſaltem ſimilis conſpici debuiſſet in altera imagine reali, h. e. ea demutari debuiſſet, & colores ad albedinem vergere. At quoniam hæc neque ſubalba videbatur, neque ad rotunditatem accedere, ſed coloribus parum turbatis in longitudinem potius majorem excreverat, illud ſequitur, contractionem ſpectri apparentis, & mutationem colorum, radiis inæqualiter refractis & heterogeneis tribuendam non eſſe.

Fig. 8 Newt.

)•(

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII Sect. VI.

ANDREÆ RIDIGERI, PHILOS. ET MEdici, Philoſophia Pragmatica, Methodo apodictica & quoad ejus licuit, Mathematica conſcripta.

Lipſiæ, apud Joh. Chriſtoph. Cœrner, 1723, 8. Alph. $2\frac{1}{2}$ Tab. I.

QUarta hæc eſt ſyſtematis hujus philoſophici editio, de qua nihil niſi quod vel emendatum vel innovatum fuerit, commemorabimus, & ne a Cl. Autoris mente aberremus, quantum fieri poterit, ipſis ejus verbis utemur, imprimis cum ſingularem ſignificatum vocibus nonnullis tribuat, quas qui recepto hactenus vocabulorum uſu interpretaretur, longe a mente ejus recederet. Differre librum hunc ab antea editis, quod illi dogmaticam, hic vero pragmaticam philoſophiam ſiſtat, & fronti præfixus titulus inſinuat, & in ipſo libro diſertius p. 7 monſtratur. Commendat vero hanc editionem Cl. Autor tum a ſtyli nitore, tum ab ipſarum rerum, moralium imprimis, inſigni augmento & meliori ordine, tum a methodo nova, ab ipſo denique fine, cum jam non, ut ante, ad affectatæ reformationis atque puritus innovandi ſuſpicionem diluendam, multas adverſariorum theſes, quibus carere poſſunt, qui vitæ humanæ uſui philoſophiam deſtinant, immiſcere atque prolixius explodere habuerit opus. Itaque & controverſias omiſit, & phyſicam doctrinam, qua pauci optant imbui, brevibus explicuit, *moralia autem luculentius multo atque ſplendidius ornavit.* Methodus libri, ex Noſtri mente, quoad theoremata & proble-

mata Mathematicæ magis quam ante ſimilis eſt, quoad reliqua vero, maxime definitiones, ex quibus nominales quoque non prorſus ἀναποδείκτας judicat, imo ipſa axiomata demonſtrat, magis diſſimilis. Theoremata & problemata adhibuit, *ut attentius concluſiones primariæ conſiderentur, & in theorematibus veluti compendium quoddam conſectariorum latere obſervaretur, problematumque dignitas tituli ſplendore penitus menti inſinuaretur.* Si quibus novum videatur demonſtrari definitiones, ſuas definitiones reales, ſed Mathematicas nominales duntaxat eſſe, reſpondet; eas vero *ſine demonſtratione æque fidem non mereri ac theoremata & problemata.* Imo diviſiones quoque, quas ex Matheſi prorſus exulare cenſet, demonſtrat; ſcholia vero a ſcholiis methodi Mathematicæ in eo diſcrepant, quod *libertatem ſibi arrogavit eo referendi quaſdam definitiones, diviſiones, theoremata, quæ ad demonſtrationum intellectum erant proficua. Cum enim de methodi titulis Mathematici non ſoleant μικρολογεῖσθαι, nec ipſe nervum attentionis ſuæ huc intendere conſultum duxit.* In ipſis demonſtrationibus ſæpe ad internam ſenſionem provocat, & quod per poſtulata *axiomata practica mediorum* intelligat, inferius p. 117 profitetur, ubi & omnem Mathematicam methodum ea ex ratione damnat, quod ex *precariis & falſis Mathematicus recte ratiocinari poſſit.* Ordinem rerum quandoque immutatum eſſe, hanc editionem cum prioribus conferenti abunde conſtabit; namque de Obligatione & Imputatione actionum nunc in Theol. naturali agitur, quod argumentum in Jure Naturæ antea pertractabatur, atque doctrinam de principiis diſciplinarum in Metaphyſicam rejiciendam eſſe diſerte p. 122 tradit. Ut in Jure nat. Ethica & Politica poſteriora revocando & poſteriori loco priora ponendo multa Autor mutaverit, nimis prolixum foret commemorare. Imo theſes quaſdam ante a ſe prolatas graviter nunc damnat, v. g. p. 210, *ubi falſum & bonis moribus perniencioſum eſſe dicit aſſerere, libidinis reſtinctionem eſſe finem conjugii ſecundarium*, quod ipſe aſſeruerat p. 255 Edit. 1711. Voces quoque nonnullas cum aliis commutat, v. g. quod officium in civitate viventium dixerat, nunc Jus naturæ politicum nominat.

Hacte-

Hactenus de iis quibus philoſophiæ emendationem novam
molitus eſt Cl. Autor. Jam pauca ex ipſis rebus, quas mutare, e-
mendare ac augere ipſi viſum eſt, delibabimus.

Philoſophiam omnem in tres ante jam diviſit partes, Sapien-
tiam, Juſtitiam, Prudentiam; nunc vero paucis Sapientiam de-
finit *indefinitam cognitionem mediorum*, Juſtitiam *accuratam
cognitionem finium Divinorum*, Prudentiam *cognitionem defi-
nitam mediorum ad fines tum Dei tum noſtros relatorum.* Logi- 154
cam vero ad ſapientiam jam non refert, ſed eidem præmitti vult.
Hac in diſciplina cum ante ratiocinationem, quam practicam
vocat, paucis tradidiſſet, hoc argumentum penitus nunc exhau-
rire conſtituit. Explicat igitur, (p. 62) quid ſit Definitio Cauſa-
lis, nempe ubi differentia vel a Cauſa vel a Fine deſumitur, &
quod eo modo inveſtigetur, ut, inventa definitione reali Logi-
ca, omnia accidentia objecti conſiderentur, tanquam phænome-
na aut media, & ſecundum genuinas probabilitatis regulas cau-
ſa in iſto genere prima aut finis ultimus eruatur, prout objectum
vel phyſicum eſt, vel morale, atque loco differentiæ conſtituatur.
Triplicem vero ejusmodi definitiones efformandi viam p. 222
monſtrat, & quomodo media ex triplici fonte, cognitione vul-
gari, erudita & raritate repeti poſſint, oſtendit. Illis ſuperſtru-
cta ſunt, quæ de ratiocinatione diſciplinali, quam vocat, quæ
vel cauſalis eſt, vel practica, dum cauſarum, vel efficientium, vel
finalium demonſtrantur effectus, differuntur. Hac argumen-
tandi forma rerum eſſentias indagari cenſet, adeoque deſcribit,
quod ex quomodocunque aſſumtis *cauſæ, ſeu efficientis, ſeu finalis,
viribus effectus ejus poſſibiles, impoſſibiles ac neceſſarios conclüda-
mus, ut eſſentias rerum tum naturalium tum moralium eruamus.*
Si quis ex unica ſenſione excogitatam a ſe hypotheſin confirmet,
hanc probabilitatem κατ' ἄνθρωπον vocaverat; at ſi eadem hy- p. 197
potheſis ex ſingulis ſenſionibus oſtendatur, illam probabilita-
tem κατ' ἄνθρωπον compoſitam nunc cognominat. Probabilita- p. 203
tem practicam explicatius traditurus, illam tribus ratiocinandi
ſpeciebus, probabilitate in genere, ratiocinio cauſali & practi-
co componi judicat. Regulis denique de diſputandi methodo il- p. 210
lud novi acceſſit, quod Sophiſtæ in memoriales, ingenioſos & ju-

 dicio-

dicioſos diſtinguuntur, & quomodo ſingulorum artes poſſint retundi, docetur. Phyſicam cum paucis exponere, nec niſi quæ demonſtrativa videntur, afferre ſuſceperit, nihil fere novi hic occurrit, aut quod ab iis, quæ in Autoris Phyſica Divina tradita ſunt, differat, niſi quod diſerte formam, figuram, materiam,
p. 159. ex Phyſices elementorum numero proſcribat, & frigorificas particulas, quibus modernus quidam Phyſicus locum in naturali Philoſophia dederat, inde eliminet.

Altera ſyſtematis hujus pars Juſtitiam complectitur, cujus partem Metaphyſica conſtituit. Hæc diſciplinarum omnium primordium & fons eſt, eamque intentione hac conditam fuiſſe
63. ab Ariſtotele, in ſubjectis notis monſtrare ſatagit. Exiſtentiam Dei non ſolum modo hactenus ſibi familiari, ſed novo quoque argumento ex motu demonſtrare molitur: *Nam quicquid movetur, vel movetur ab aliis, vel facultatem movendi a ſe ipſo habet: quod ſi eam a ſe ipſo habet, naturam atque eſſentiam ſuam ſibi dedit: nam omnis natura & eſſentia facultas movendi eſt: quod ſi eſſentiam ſibi ſuam dedit, a ſe ipſo eſt, ſi a ſe ipſo, unum & infinitum eſt, eoque ipſe Deus. E. mundus, qui movetur, non movetur a ſe ipſo, itaque ab alio, eo nempe qui facultatem movendi a*
119. *ſe ipſo habet.* Juris naturæ principium cum ante amorem ſocialem ſtatuiſſet, nunc *amicitiam tanquam intentionem Dei, qua vult omnes homines ſibi invicem abundantibus ſuis viribus ita ſuccurrere debere, ut quilibet alterius promoveat αὐτάρκειαν*, in locum ejus ſurrogat. Licitarum vero actionum principium delectationem innoxiam ſeu utilitatem propriam ponit. Juris nat.
136. officia cum ante in officia Neceſſitatis & Commoditatis diſtinxiſſet, diviſionem inter officia Societatis & Amicitiæ iis nunc præmittit; illa vocat quæ univerſæ hominum ſocietati, hæc quæ ſingulis præſtantur, & Neceſſitatis & Commoditatis officia ſpecies
160. officiorum Societatis eſſe jubet. Dominii definitionem ita immutavit, ut illud jam explicet per jus vertendi rem aliquam ita in uſum noſtrum, ut a nemine prohiberi unquam poſſit, prohibere autem quemvis alium, ne eodem modo vertat in ſuam, poſſimus, communione bonorum propter malitiam & multitudinem hominum ceſſante, ne perpetuis litibus & pugnis homines diſtinerent-

Digitized by Google

rentur. Novam vero nunc Juris naturæ ſectionem, Politici nempe, quo principum & ſubditorum mutua officia complectitur, conſtituit, atque integram hanc doctrinam novis capitibus de officio legum & pœnarum auget, damnans imprimis illud præjudicium legum perplexarum feraciſſimum, Principem ſibi aliisque perſuadere, debere ſe omnibus exactiſſimam adminiſtrare juſtitiam. Principem vero, dum juſtitiam promovere tenetur, ad juſtitiam legibus & pœnis, pietatem, honeſtatem & dexteritatem præmiis juvandam, obligari cenſet. Sequitur inde, ne hæreſin vel hypocriſin, etſi indiciis prodantur, civiliter puniat, niſi in actus eruperint externos. De officio circa publica munera novo capite Principem jubet bonos viros ac ſapientes muneribus iſtis præficere, imprimis vero Academicorum & Aulicorum munerum rationem habere. Ubi de officio Principis circa religionem agit, hanc in theoreticam & practicam h. e. pietatem, juſtitiam & honeſtatem diſtinguit. In illam Principi ut Principi jus nullum eſſe, hanc vero ut promoveat, ipſum omnino obligari. Hypothetica Principis officia illa vocat, quæ ex quadam regionis circumſtantia accidunt, quo igitur omnia, quæ Principi circa vectigalia, commercia, manu facta obſervanda ſunt, refert.

Prudentiam tertia parte tradit, ubi poſt generalia ad rectum uſum ſpei metusque deſcendit, & quid de applicatione mediorum ad fines ſollicite tenendum ſit, indicat. Tendunt media omnia ad bonum quoddam, licet nullum perfectum hominis bonum in hac vita detur, bonaque ita malis diſtincta ſint, ut nulla in hoc ævo dari poſſit vera vel felicitas vel infelicitas. At cum inſtinctus ille ad quærendam æternam felicitatem connatus ſit homini, ejusmodi vero inſtinctus in verum ſemper ferantur objectum, æternam felicitatem animæ noſtræ inſtare, eamque immortalem eſſe inde arguit. Locum ejus felicitatis in hac vita *αὐταρκεία*, quam Latine ſecuritatem vertit, ſupplet. Monſtrat inde, quomodo naturales hominis facultates in habitus convertendæ ſint & *ὡς ἐν παρόδῳ* quæſtionem, cur Deus animam corpori peccatis obnoxio immiſerit, ex eo ſolvit, quod anima extra corpus conſtituta non poſſit ſibi comparare habitus, acquiſitos tamen in corpore retinere. Ita igitur animam noſtri corporis exerci-

ercitio immutari poſſe, ut Deo placeat, nec Deo, antequam in corpore fuerit, placere poſſe, adeo ut per corpus anima beatitudinis capax fiat. Eodem ex fonte explicari poſſe, cur anima, poſtquam a corpore ſeparata eſt, neque in melius neque deterius mutari queat. In doctrina de judicandis intellectus & voluntatis tum in genere tum in ſpecie affectuum viribus & attributis, multa paſſim immutare, tranſponere quædam, aut alia addere Autori
p. 144. placuit, quæ tamen a prioribus non adeo diſſentiunt. De prudentia educationis & inſtitutionis liberorum novo capite prolixius commentatur, eosque juſtitiæ, pietati imprimis ac prudentiæ a teneris aſſuefacere, præterea vero judicium illorum maxime exaſciare jubet. Diſertius oſtendit, quid & quantum juvenes ad XVIII ætatis annum, quo Academicis ſtudiis ipſos aptos judicat, in ſcholis addiſcere debeant, & Poetarum veterum Græcorum & Latinorum lectionem, niſi ingenio forte vis aliqua inde quæratur, prorſus damnat. Philoſophicas ſcientias ita parari jubet, ut anno *XVIII tribus menſibus tractetur ſolum Logica, tribus porro menſibus juvenis Logicam ſubinde applicet ad doctrinam juris naturæ, ſequentibus tribus menſibus eadem applicatione diſcat Phyſicam, ultimis demum Ethicam. Sequentis anni XIX primo quadrante Politicam horis matutinis, & ex Matheſi arithmeticam pomeridianis tractet: ſecundo quadrante matutinis Metaphyſicam, pomeridianis Geometriam diſcat; tertii quadrantis horis antemeridianis ſtudeat Algebræ, pomeridianis repetat Jus naturæ, Ethicam & Politicam; ultimo quadrante operam det, ante meridem quidem, Mechanicæ, Hydraulicæ, & Hydroſtaticæ, poſt peridiem has applicet ad Phyſicam & Politicam.* Biennio hoc exacto, quomodo his ſuperiorum facultatum ſtudium ſuperſtruere debeat, prolixius exponit. Illa quoque hac demum editione acceſſerunt, quæ de prudentia recte veritate & fortuna utendi proponit, qua-
186. rum illam ita vult tractari, ne vel ipſi vel nobis noceamus. Poſtquam deinde generatim de Politica egit, ut regnandi prudentia rite imbibatur, quinque librorum bibliothecam politicam paratam
191. eſſe jubet, nempe *Librum fundamentalem, in quo accurate conſignatæ ſint omnes urbes, pagi, ſylvæ, agri, flumina, fodinæ metallicæ, omnesque ſubditi cum bonis ſuis, 2) Librum manu factorum, in*

quo

Digitized by Google

quo cum cura annotati ſint omnes opifices, una cum ſuis uxoribus, liberis & ſociis &c. 3) Librum commerciorum, qui contineat omnes mercatores, pretium emtionis & venditionis &c. 4) Librum œconomicum &c. Civium quoque omnium indolem tum phyſicam tum moralem ſollicite indagari jubet. Bonum Principem definit, qui & poſſit & velit ſocietatis civilis αὐταρκείαν promovere, illumque, ut ſibi & ſuis monarchiam autoritate, amore ſubditorum & timore, conſervare queat, nec non quomodo vel Ariſtocratiam vel Democratiam, ſi e re noſtra videatur, tueri conveniat, docet. Illis qui munus imprimis aulicum ambiunt, ſuadet, ut uni ſe devoveant unice, non pluribus, ſtudia & indolem ſuam aulæ genio adaptent, & a notitia vel infimi hominis ad ſummorum hominum favorem per ſcalam quaſi progrediantur, parta vero fugiendo inimicitias, maxime invidiam, tueantur. Eos qui clavum Reipublicæ tenent, civitati optime proſpicere cenſet, ſi leges clariſſimæ, breviſſimæ & pauciſſimæ ferantur. Fieri hoc commode poſſe putat, ſi legum civilium ſyſtema naturæ legum ſyſtemati exacto ſuperſtruatur, & loco rerum inanium, quibus vulgo juventus in ſcholis aſſuevit, leges ipſis addiſcendæ propinentur. Principem vero ſine redituum ſuorum diſpendio remunerare virtutem ſubditorum poſſe, ſi munera & honores nonniſi dignis conferantur. Morales perſonas illis eſſe induendas, qui aliis præſtant; ſingulis ab inferiori gradu ad majores honores paulatim aſcendendum eſſe. Et cum miniſtrorum collegia, etſi ab initio optime inſtituta fuerint, neceſſario paulatim degenerent, poſt triginta annos illa emendari ac reformari, publica vero munera argento minime divendi, cupit. In chrematiſtica re nihil magis cavendum putat, quam ne otioſos theſauros Princeps corradat, cum pecunia rite inter cives circulante exiguo ære quam plurimi ſuſtentari poſſint. Ex modis diverſis colligenda tributa, optimum portorium (ita latine vertit vocem *Accife*) eſſe autumat, & quid publica menſa commodi afferre poſſit civitati, exponit. Res mercatoria ut promovenda ſit, prolixius diſputat, & inter alia nimium adverſus uſurarios rigorem legum damnat, cum omnes fœneratores noſtris in terris elocaturi ſint argentum ſuum, ſi centeſimam per menſem inde lucrari

Digitized by Google

crari poſſent. Quid porro circa rem monetariam ſibi videatur, in medium proponit, & ultimo denique loco de eccleſiaſtica Principis prudentia, de bellis gerendis & fœderibus ineundis, legatis mittendis &c. nonnulla commentatur, quæ vero ab iis quæ jam ante evulgavit, parum diſcrepant.

GLI STATUTI DELL' AGRICOLTURA.

h. e.

STATUTA COLLEGII AGRICULTURÆ Urbis Romæ, cum variis obſervationibus, Bullis, Deciſionibus, & Decretis Rotæ Romanæ, edita a dicti Collegii Conſulibus, JOHANNE degli ANNIBALI della MOLARA, Comite FERDINANDO BOLOGNETTI, March. PHILIPPO PATRITIO, & March. CÆSARE RASPONI.

Romæ, typis *(nella Stamperia detta)* R. C. A. 1718, 4.
Alph. 3 pl. 10.

ANnonæ cura Romanorum Regum tempore Tribunis, Curionibus ac Decurionibus commiſſa erat; creſcente illorum, ex quo popularis ſtatus regio ſucceſſerat, poteſtate, cumque publicorum negotiorum directione onerati ſingulis proſpicere non poſſent, duo quotannis a plebe creabantur, Miniſtri primum, Socii tribunorum ac Judices, poſt Ædiles vocati, quibus conſenſu populi duo etiam ædiles ex patritiorum numero jungebantur, in differentiam a plebejis Ædiles Curules appellati. Horum officium in partibus ſecundariis litium nonnullarum dijudicationem, ædium locorumque ſacrorum ac publicorum adornationem agnoſcebat; primario ſollicitudinem in annonaria reipublicæ cauſa adhibere ipſis imperabatur, ita quidem, ut frumenti, olei, carnium, herbarum modios, menſuras, qualitatem & pretium determinarent, copiamque ſufficientem procurarent. Democratico Romanorum ſtatui proximum interitum Julii Cæſaris dictatura minitante, hujus autoritate annonarium munus in Cereales trans-

Digitized by Google

tranſferebatur; cumque rerum ſumma ad Auguſtum perveniſſet, is, mutans regiminis formam, primum annonæ Præfectum conſtituebat, quod munus miniſtris ſuis ſubſequentes Imperatores pariter concesſerunt. Ex quo Roma poſt Imperatorum ætatem Pontificibus parere cœpit, ab iis primis temporibus annonæ Camerarius præponebatur. Hic in publicis negotiis Papæ conſulens, ea quæ præfecti olim, expediebat. Ejus autem arbitrio, creſcente multitudine cauſarum Cameralium, eligebantur, quibus ſublevarentur, duodecim Clerici Camerales, exque iis unus deinde ad Præfecti annonarii munus vocabatur, ſuprema tamen frumentariæ rei juriſdictione Cardinali Camerario reſervata. Hoc inſtitutum & hodie perſequuntur Pontifices, per Breve in unum ex dictis Clericis antiquam præfecti dignitatem & officium conferentes. Ut autem agrorum cultura eo magis promoveretur, auſpiciis potiſſimum Pii V Collegium agriculturæ inſtitutum fuit, ſtatutis particularibus & privilegiis ornatum. Eorum recenſio, cum animadverſionibus congruo loco inſertis, in præſenti libro a Conſulibus modernis, in rubro nominatis, ſuſcepta, quatuor partibus abſolvitur, de quibus paucis nunc dicemus. Prima parte ſtatuta hujus Collegii Italico idiomate exſcribuntur, docto eoque hiſtorico commentario illuſtrata. Quatuor ex membris Collegii ſingulis ſex menſibus eliguntur Conſules, totidem ad Defenſorum officium vocatis, quibus Camerarius accedit, eorumque votis principio menſis Januarii tredecim Conſiliarii conſtituuntur, inter quos Legum Doctor eſſe debet, in cauſis contentioſis Conſulibus opera ſua aſſiſtens. Notarius hujus Collegii, annali ſaltem munere gaudens, ſcripturas ordinat, cuſtodit & tranſumit. Conſules officium ſuſcipientes Camerarium ludorum Agonis & Teſtaciæ, quondam a Numa Pompilio inſtitutorum, creant, & una cum Conſiliariis, Camerario, Aſſeſſoribus & Defenſoribus ſacramentum de munere rite ſubeundo, præiegente Notario, præſtant. Eorum cura in hoc verſatur, ut pro Feſto Aſſumtionis B. Mariæ pecuniarum Collectionem ſuſcipiant, qua Aſſeſſorum ſalaria, aliaque artis neceſſaria ſolvantur, ubi poſſeſſionem terrarum & animalia tenens quatuor Julios, reliqui duos contribuunt. De arte autem

 agri-

agriculturæ ſunt collegiumque iſtius in cauſis ruralibus competens agnoſcere tenentur, nec foro renunciare poſſunt, qui aliquam poſſeſſionem, vel caſale ſeu pedicam, aut balſolum terræ, aut ſilvam, nemus, pantanum, vel pratum, aut quæcunque animalia quadrupeda pro dictæ artis exercitio habent, nec non bubulci, vaccarii, bubularii, carrarii, jumentarii, gargarii, pecudarii, caprarii, porcarii, caſenghi, aſinarii, mulaterii, buttarii aliique paſtores & cuſtodes ſeu guardiani. Jurisdictioni memoratæ artis deſtinantur omnes cauſæ, quæ ad agriculturam & prædia ruſtica pertinent. Modus procedendi ſummarium proceſſum ſapit, & neglecta trina citatione reum in expenſas jacturamque ſummæ petitæ condemnari jubet. Reliqua partis primæ capita, quod juſtum eſt circa ſervos rurales, agricolas, pecora, damnum ab iis datum, noxæ deditionem &c. excutiunt. Altera parte conditio prædiorum agreſtium, camporum, pratorumque deſcribitur, virtutes & vitia pecorum agriculturæ deſtinatorum examinantur, ſalarium in agris colendis occupatorum determinatur; officiumque boni patris familias circa avertendum & præcavendum detrimentum, quod in frugibus ab inſectis metuitur, delineatur. Cui accedit ſingularis obſervatio *Franciſci Scuſonii* de locuſtis, quas Itali *Cavelletti* appellant, ex iis potiſſimum compoſita, quæ *Jo. della Molara*, in titulo libri memoratus, ingruentibus A. 1717 in agro Romano locuſtis, indefeſſo ſtudio obſervaverat. Adjicitur Catalogus Conſulum, qui ab A. 1617 ad 1718 Arti agriculturæ præfuerunt. Tertia pars pragmatica eſt, & bullas, deciſiones ac ſuffragia continet, quibus, vel a Pontifice vel a Vicariis Cardinalibus conceptis, variæ quæſtiones de re agraria motæ dijudicatæ fuerunt. Ultima tandem parte Statuta memorata in linguam Latinam verſa cum annotationibus Latinis, Juridicis præſertim, quas ex legibus Juſtinianeis atque veterum JCtorum opinionibus *Fulvius Fulvi Benigni* compoſuit, exhibentur.

p. 194 ſſ.

SOLUTIO PROBLEMATIS DE CURVIS inveniendis, quæ quadam ratione in ſitu inverſo diſpoſitæ ſe interſecare poſſunt in angulo dato. Excerpta e Tranſact. Philoſ. A. 1722 n. 372.

Jam

JAm primum ad manus pervenerunt *Acta Eruditorum* ad hunc menſem *Auguſti*, ubi invenio a me peti, ut ea aperiam, quæ notis fictis celata in *Supplementorum ad Acta Eruditorum*, Tom. 8 Sect. 1 edita ſunt. Explicentur autem ea tabula ſequenti.

	z	y	x	v	u	t	s	r	qu	p	o	n	m	l	j	i	h	g	f	e	d	c	b	æ	a
b	a	4	o	æ	i z	u	1	s	j	c	8 t	y	9	2	6	e p	3	m	f	7 l	v	w	ς	r	h d
g	e	o	u	w	4 d	3	i	c	6	2	s z	7	ς	y	æ	m t	1	r	j	9 p	a	h	v	8	f l
n	i	j	æ	ς	o l	1	r	s	e	v	6 d	f	a	h	4	y z	w	u	7	9 t	3	8	c	m	2 p
q	o	8	3	o	v p	6	æ	1	c	w	h l	i	ς	m	2	j d	f	e	9	a z	4	y	7	s	r t
x	u	y	4	1	c t	f	w	j	2	o	8 p	s	7	r	3	ς l	m	i	h	e d	9	æ	a	6	v z

In hac tabula ſex ſunt notarum ordines: ſupremus literas continet, quibus verba celata ſcribi debent, reliqui literas numerosque continent, quæ verarum literarum loco uſurpantur. Literas autem b, g, n, q, x, quæ e læva horum ordinum inferiorum collocantur, propter earum uſum indices appellare licet. Scripturæ pars celata ab horum indicum duobus incipit, quorum poſterior oſtendit notas illum ſequentes in eo ordine, cui præfigitur, quæri oportere, ut veræ literæ cognoſcantur, quæ ſupra has notas in ordine literarum primo ſemper habentur: Ex hoc autem ordine notæ fictæ deſumendæ ſunt, donec alteri alicui indicum occurritur, quod cum fit, hoc novo indice utendum eſt ut priori. Et hac regula tota ſcriptura explicabitur, niſi quod quandocunque plures indices ſunt contigui, omnes præter ultimum negligi debent: item verborum aperte ſcriptorum interpoſitio

hunc indicum uſum non turbat. Hoc modo ſcriptura occulta, ſi pauci errores typographici emendentur, verba ſequentia complecti invenietur.

Curvarum, quæ problemati conveniunt, quæcunque ſumatur ordinata, illius fluxio ſecunda ab ejusdem fluxione prima diviſa (ut ſermone arithmeticorum utar) eandem dat quotientem, ſed contrario ſigno, ac fluxio ſecunda a fluxione prima diviſa ordinatæ ex altera principii abſciſſæ parte jacentis, & ad eandem ab eo principio diſtantiam[*]. *Hujusmodi autem curvæ inveniri poſſunt tribus regulis.*

Prima regula curvam, qualem problema requirit, ope ſpatii hyperbolici a curva quacunque deducit, quæ habeat ad æquales diſtantias a principio ſuæ abſciſſæ ordinatas æquales, & ab eadem parte abſciſſæ poſitas. Eſt enim ordinata curvæ quæſitæ, ut area alius curvæ ordinatam habentis æqualem ſegmento aſymptoti hyperbolæ terminato a ſpatio hyperbolico æquali areæ curvæ primo aſſumptæ.

Regula autem ſecunda pendet a prima, & curvam problemati ſatisfacientem ſine ope ſpatii hyperbolici ex curvis derivat, quæ habeant ad æqualia intervalla a principio ſuæ abſciſſæ ordinatas æquales, ſed a contrariis partibus abſciſſæ poſitas.

Et hæc ſecunda regula theorema ſequens præbet, nimirum, ſi aliqua curva ſumatur, qua problema ſolvi poſſit per regulam primam, & ſi hujus ordinatæ inſiſtunt abſciſſæ ad perpendiculum, invenietur curva problemati ſatisfaciens, ſi ad eandem abſciſſam conſtruatur alia linea curva, ea lege, ut illius ordinata ex altera parte abſciſſæ ubique æqualis ſit aggregato aſſumptæ lineæ curvæ & ejusdem ordinatæ; exceſſui autem hujus curvæ præ ordinata ſua æqualis ſit unaquæque curvæ conſtruendæ ordinata, quæ ex altera parte abſciſſæ jacet; omnes enim curvæ hac ratione conſtructæ problemati conveniunt.

Hoc autem theorema demonſtratur propoſitione ſequenti, quod in omni triangulo rectangulo quadratum ab alterutro latere angulo recto adjacenti æquale eſt rectangulo ſub ſumma alterius lateris angulo recto adjacentis laterisque angulo ei ſubtendentis, & ſub differentia eorundem laterum. De-

[*] Scilicet, ſi abſciſſa a ſuo principio in oppoſitas partes æqualibus momentis fluit.

Denique tertia regula derivatur a ſecunda, ope propoſitionis nonæ libri de quadratura curvarum Neutoni.

SCHOLIUM.

Exemplum generale, quod exhibui, curva logarithmica, & cyclois plurimis modis inveſtigari poſſunt his regulis.

Unus caſus curvæ logarithmicæ commode invenitur per regulam primam, aſſumpta linea recta loco curvæ in illa regula memoratæ.

Alter hujus lineæ caſus deducitur ex regula ſecunda ope ſpeciei quinquageſimæ nonæ linearum tertii ordinis, quæ omnium curvarum in illa regula utilium eſt fere ſimpliciſſima præter parabolam cubicam & hyperbolam conicam.

Cyclois optime invenitur theoremate, quod a regula ſecunda deduci diximus.

Exemplum iſtud generale facile invenitur regula tertia, aliis vero regulis non ſine ambagibus.

Regulis ſecunda & tertia commodiſſime inveniuntur curvæ geometricæ rationales; quæ deducuntur etiam a theoremate in regulam ſecundam pendente; quandocunque enim curva aſſumpta tam longitudinem quam ordinatam rationalem habet, cujusmodi ſimpliciſſima eſt parabola ſemicubica, curvæ quoque inveniendæ ordinata rationalis erit.

Denique his regulis, vel etiam conditione in principio poſita facile eſt invenire, an curva aliqua propoſita problemati ſatisfaciet, & quibus poſitionibus id fiet: unde intelligi poteſt, an eadem curva diverſis modis problemati conveniat.

Horum brevem explicationem jam apponam, deſcribendo, ex amici charta, problematis ſequentis ſolutionem.

PROBLEMA.

Datis duabus lineis rectis AB, CD (in *Fig. 1*) parallelis, ad abſciſſam AB curva EF deſcribenda eſt, quæ talis ſit, ut in ſitu inverſo ad abſciſſam CD deſcripta ſeipſam ſemper interſecet in angulo quolibet dato. TAB. I. Fig. 1.

Ad abſciſſam CD deſcribantur curvæ GH, KL ſimiles & æquales curvæ EF, quarum altera huic curvæ EF occurrat in puncto quolibet I, altera vero per punctum M tranſeat, ut partes

 EM,

EM, KM curvarum EF, KL ſimiles ſint & æquales; & per punctum M, quod partes curvæ EF dirimit, quæ ſe mutuo interſecare debent, ducantur lineæ NMO, nMo, quæ cum rectis AB, CD angulos ſub NOB & ſub CNO, item angulos ſub noA, & ſub onD conſtituant ei æquales, in quo curva ſeipſam ſecare ponitur. Ducatur IPTS lineis AB, CD parallela; item huic proxima & parallela jxpts; deinde ducatur Iv lineæ NO parallela, & denique Iw, Sy parallelæ lineæ no, ut angulus ſub Iwj æqualis ſit angulo ſub Ivx. Jam anguli ſub Ixw & ſub Ijv ſimul ſumpti æquales erunt angulo ſub xIM, ideoque & angulo ſub Iwv æquales; unde angulus ſub xIw æqualis erit ei ſub Ijv; & eodem modo angulus ſub jIv ei ſub Ixw æqualis invenietur; adeo ut triangula Ijv, xIw ſunt ſimilia, & jv : Iv :: Iw : wx. Porro pro abſciſſis æqualibus Mp, MT ſcribatur z, pro ordinata PI, y, & $-v$ pro ordinata TS, pertinente ad curvæ KL arcum KM, qui arcui EM curvæ EF reſpondet. Creſcentibus autem abſciſſis MP, MT, & ſimul increſcentibus ordinatis PI, TS, earum fluxiones primæ eadem habebunt ſigna cum ſuis ordinatis, ſed utræque fluxiones ſecundæ idem habebunt ſignum; nam fluxio ſecunda unius ordinatæ idem habebit ſignum cum ſua ordinata, ſed alterius ordinatæ fluxio ſecunda ſignum habebit a ſigno ſuæ ordinatæ diverſum; propterea quod curvarum KM, MF alterius concavitas verſus convexitatem alterius convertitur, ut manifeſtum eſt. His autem cognitis invenietur jv : Iv (= Pp) :: $\dot{y} : \dot{z}$, Iw (= Tt) : wx (= sy) :: $\dot{z} : -\dot{v}$, & $\dot{y} : \dot{z} :: \dot{z} : -\dot{v}$, item $-\dot{y}\dot{v} = \dot{z}^2$, & denique poſita $\dot{z}$ invariabili $-\dot{y}\ddot{v} - \ddot{y}\dot{v} = 0$, vel $\dot{y}\ddot{v} + \ddot{y}\dot{v} = 0$, ideoque $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}} = -\frac{\ddot{v}}{\dot{v}}$, quando $\dot{y}$ & $\ddot{y}$ ad curvam EF, ſed $\dot{v}$ & $\ddot{v}$ ad curvam KM pertinent. Idem vero locum quoque habet, quando omnes hæ fluxiones ad curvam EF referuntur, ſi abſciſſa in oppoſitas partes a ſuo principio fluere ſtatuitur; nam ſumpta MQ = MP, & Mq = Mp, ductiſque QR, qr ad AB, CD parallelis, puncta R, r in curva EF punctis S, s in curva KM reſpondent. Ponendo igitur abſciſſam in contrarias partes a ſuo prin-

principio æqualibus momentis fluere, *Curvarum, quæ problemati conveniunt, quæcunque ſumatur ordinata, illius fluxio ſecunda a fluxione prima diviſa eandem dat quotientem*, &c. ut ſupra. Hæc autem curvarum quæſitarum conditio eſt, unde deducuntur regulæ ſequentes ad problematis ſolutionem.

Regula Prima.

Cum requiritur, ut M Q exiſtente $=$ M P, ſit $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}} = -\frac{\ddot{v}}{\dot{v}}$, quando abſciſſa in oppoſitas partes a puncto M æquabiliter fluit, ita ut ejus fluxioni in partibus abſciſſæ, quæ a contrariis lateribus puncti M jacent, ſigna diverſa tribuenda ſint, ponere licet $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}}$ proportionalem $\dot{z}$ ductæ in quantitatem quamcunque, quæ eadem maneat, & ſub eodem ſigno, pro eadem magnitudine z, ſive illa affirmativa ſive negativa ſit. Deſcribatur igitur (in *Fig. 2*) ad abſciſſam N O curva quælibet K L, cujus ordinatæ angulum quemcunque datum cum abſciſſa conſtituant, & quæ habeat eas ordinatas æquales, & ab eodem latere abſciſſæ N O poſitas, quæ æqualiter diſtant a puncto M, ut ordinatæ P W, Q X; deinde fiat $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}}$ ordinatæ P W $\times \dot{z}$ proportionalis, & $\frac{\ddot{v}}{\dot{v}}$ ordinatæ Q X $\times \dot{z}$. TAB. I. Fig. 2.

Jam (in *Fig. 3*) exponatur hyperbola Y Z ad aſymptotos Γ Δ, Γ Θ, angulum ſub Θ Γ Δ angulo dato ſub N P W æqualem comprehendentes, deſcripta, & in alterutra aſymptoto, ut Γ Δ, ſumatur ad libitum punctum Λ, & ducatur Λ Ξ alteri aſymptoto Γ Θ parallela, & parallelogrammum Γ Ξ compleatur: deinde in curva K L ad abſciſſam N O, & ad punctum M ordinatim applicetur M Π; ſumatur ſpatium hyperbolicum Λ Ξ Υ Σ, recta Σ Υ aſymptoto Γ Θ parallela abſciſſum, æquale ſpatio W P M Π, & fiat P Φ $=$ Γ Σ, eaque ratione deſcribatur curva ω Ψ Φ Ω; dico P I curvæ quæſitæ ordinatam eſſe ut ſpatium M P Φ Ψ. Hoc autem manifeſtum eſt; fluxio enim ſpatii M Π W P æqualis eſt fluxioni ſpatii Λ Ξ Υ Σ, ideoque P W $\times \dot{z}$ $=$ fluxio-

= fluxioni lineæ ΓΣ ductæ in ΣΥ vel in $\frac{\Gamma\Lambda \times \Lambda\Xi}{\Gamma\Sigma}$; erit igitur PW $x \dot{z}$ ut fluxio lineæ ΓΣ ſive lineæ PΦ per ipſam PΦ diviſa; ſed PW $\times \dot{z}$ eſt ut $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}}$; unde erit PΦ $x \dot{z}$ ut $\dot{y}$, & neceſſario y ſive PI ut ſpatium MPΦΨ. *Prima* igitur *regula curvam, qualem problema requirit, ope ſpatii hyperbolici*, &c, ut ſupra.

TAB. I. Fig. 2. In exemplum hujus regulæ loco curvæ KL (in *Fig. 2*) ſumatur linea recta lineæ NO parallela, & erit linea ωΨΦΩ ea, quæ logarithmica dicitur, cui NO aſymptotos eſt; ideoque & linea EF etiam logarithmica, per punctum M tranſiens, & aſymptoton habens lineæ NO parallelam; propterea quod area MPΦΨ hic erit ut PΦ − MΨ (*a*). Si vero ordinatæ εηζ, βαγ ducantur æqualiter diſtantes a puncto M, ordinatæque MΨ proximæ, erunt εη, αβ æquales quando primum naſcuntur, quoniam ſpatia εζΨM, MΨγα tunc æqualia ſunt; ex oſtenſis autem eſt $\varepsilon\eta \times \alpha\beta = M\varepsilon q$ vel $M\alpha q$, unde $\varepsilon\eta = M\varepsilon$; & εη ad $\frac{M\Psi\,\zeta\eta}{M\Psi}$ ut radius ad ſinum anguli ſub NMΨ. Quoniam igitur PI ſemper eſt ut ſpatium ΨMPΦ, erit PI ubique ad $\frac{\Psi MP\Phi}{M\Psi}$ ut radius ad ſinum anguli ſub NMΨ; & denique limes ordinatarum negativarum ad ſpatium totum comprehenſum a parte Ψω lineæ logarithmicæ ωΨΩ ab ordinata MΨ, & ab aſymptoto MO ad ordinatam MΨ applicatum ut radius ad ſinum anguli ſub NMΨ: eſt autem rectangulum ſub MΨ & ſub lineæ logarithmicæ ωΨΩ ſubtangente ad ſpatium prædictum etiam ut radius ad ſinum anguli ſub NMΨ: adeo ut limes ordinatarum negativarum lineæ curvæ EF æqualis erit huic ſubtangenti; unde ſi ΨM retro producatur ad δ, ut Mδ huic ſubtangenti ſit æqualis, & ducatur θδλ lineæ NO parallela, erit illa curvæ EF aſymptotos; erit autem curvæ hujus EF ſubtangens

(*a*) Vid. Barrov. Lection. Geometr. p. 123.

tangens lineæ $M\delta$ æqualis; propterea quod $M\varepsilon =$ eſt $\varepsilon\eta$. *Unus* igitur *caſus curvæ logarithmicæ commode invenitur per regulam primam*, &c. ut ſupra.

Hæc autem regula primum oſtendit modum, quo problema ſolvitur.

Regula Secunda.

Deſcribatur curva quæcunque $\varkappa M\mu$ per punctum M tranſiens in *Fig.* 2 vel $\varkappa$ n c, m p μ in *Fig.* 4 ubi curva invenienda duobus cruribus e M F, E M f conſtat; ut curvarum $\varkappa M\mu$, & $\varkappa$ n c, m p μ ordinatæ ut $P\nu$, $Q\varrho$, quæ æqualiter a puncto M principio abſciſſæ diſtant, ſint æquales, ſed a contrariis partibus abſciſſæ poſitæ, ita ut mutato abſciſſæ ſigno ordinatæ ſignum etiam mutetur. TAB. I. Fig. 4.

Exponatur porro (in *Fig.* 5) hyperbola æquilatera a b cujus axis transverſus a g, conjugatus h q, centrum d, aſymptoti d r, d s; ſumatur $dt = P\nu$, & ducatur t v w ad h q perpendicularis, junctâ d w, ſumatur quoque $dx = Mn$, & ducatur x y item rectæ lineæ h q perpendicularis, junctâ d y. Jam ſit curva K L (in *Fig.* 2) vel K k L l (in *Fig.* 4) talis ut ſpatium Π M P W æquale ſit ſpatio a d w, ſi curva $\varkappa\mu$ per punctum M tranſit, aliter æquale ſpatio d a w $-$ d a y; hac enim ratione curvæ K L, & K k L l non deſinent conditionem habere, quæ in regula priori requiritur, nempe ut ordinatæ ad æquales diſtantias a puncto M ſint æquales, & ab eadem abſciſſæ parte poſitæ. Nam area hyperbolica a d w affirmativa eſt, quando d t vel $P\nu$ eſt affirmativa, & eadem area negativa eſt, quando d t vel $P\nu$ negativa eſt, quia area tota hyperbolica ab eadem parte lineæ h q jacet; ideoque area curvarum K L, K k L l ad ordinatam $M\Pi$ terminata ſignum ſuum mutabit, quando abſciſſa M P, magnitudine ſervata, ſignum mutat; & curvæ ordinata nec magnitudinem nec ſignum mutabit, mutatione ſigni abſciſſæ. Sit porro a d $q =$ parallelogrammo $\Gamma\Xi$ in hyperbola priori: quo efficietur ut t w + t v ſit ad a d ut $\Gamma\Sigma$ ad $\Gamma\Lambda$ (*a*); ſi igitur $\Gamma\Lambda$ fiat $=$ a d, erit t w + t v $= \Gamma\Sigma = P\Phi$. Porro ducantur ordinatæ $\varepsilon\eta\zeta$, $\alpha\beta\gamma$ ordinatæ $M\Psi$ proximæ; deinde in *Fig.* 2, ubi curva $\omega\Psi\Omega$ ſim- Fig. 5.

Kk plex

(*a*) Vid. Philoſ. Tranſact. No. 338. prop. 4.

Digitized by Google

plex eſt, cum $\epsilon\eta$ ſit ad $\alpha\beta$ ut ſpatium $M\Psi\zeta\epsilon$ ad ſpatium $M\psi\gamma\alpha$, erit $\epsilon\eta = \alpha\beta$; unde & earum utraque $= M\epsilon = M\alpha$. Ideoque $\epsilon\eta$ ad $\frac{M\Psi\zeta\epsilon}{M\Psi}$ ut radius ad ſinum anguli ſub $NM\Psi$, & ubique PI ad $\frac{M\Psi\Phi P}{M\Psi}$ in eadem ratione. In *figura quarta* ubi curva $\omega\psi\Psi\Omega$ ex duobus cruribus compoſita eſt, $\epsilon\eta$ eſt ad $\alpha\beta$ ut ſpatium $\Psi M\epsilon\zeta$ ad ſpatium $\psi M\alpha\gamma$ ſive ut $M\Psi$ ad $M\psi$, propterea quod $M\epsilon =$ eſt $M\alpha$. Cum igitur neceſſe ſit, ut $\epsilon\eta \times \alpha\beta =$ ſit $M\epsilon q$, ſcilicet ut crura MF, ME in angulo propoſito ſe mutuo interſecent, erit ratio $\epsilon\eta$ ad $M\epsilon$ ſubduplicata rationis $\epsilon\eta$ ad $\alpha\beta$ vel ſubduplicata rationis $M\Psi$ ad $M\psi$: ideoque $\epsilon\eta$ ad ſpatium $M\Psi\zeta\epsilon$ applicatum ad mediam proportionalem inter $M\Psi$, $M\psi$ ut radius ad ſinum anguli ſub $NM\Psi$; & generatim PI ad ſpatium $M\Psi\Phi P$ applicatum ad mediam proportionalem inter $M\Psi$ & $M\psi$ in eadem ratione. Eſt autem $M\Psi = yx + dx$, & $M\psi = yx - dx$, & ad media eſt proportionalis inter $yx + dx$ & $yx - dx$. Unde utrobique dictis $\overline{ad, a}$; dt vel $P\nu$, R; erit $P\Phi = \sqrt{aa + RR} + R$; $R = \frac{a}{2} \times \overline{\frac{P\Phi}{a} - \frac{a}{\Phi P}}$; & PI ad $\frac{MP\Phi\Psi}{a}$ ut radius ad ſinum anguli ſub $NM\Psi$. *Regula* igitur *ſecunda pendet a prima & curvam problemati ſatisfacientem ſine ope ſpatii hyperbolici*, &c. ut ſupra. Nam hic ſine ſpatio hyperbolico curva invenitur, cujus quadraturâ problema ſolvitur.

Duæ autem ſunt in hac regula formulæ. Formula prior nimirum $P\Phi = \sqrt{aa + RR} + R$, curvarum geometrice rationalium, quæ maxime hic requiruntur, inventioni accommodatur; facile enim eſt ita ſumere quantitatem indeterminatam R, ut curva $\omega\Psi\Phi\Omega$ quadraturam admittat.

Ne caſus magis compoſiti memorentur, ponatur R vel $P\nu = cz^{\frac{m}{n}}$, ut m & n numeri ſint impares vel inter ſe primi, vel eorum alter unitas: hac enim ratione curva, cujus ordinata eſt $P\nu$, conditionem habebit in hac regula neceſſariam, & erit $P\Phi =$

$= \sqrt{aa+RR} + R = \sqrt{aa+ccz^{\frac{2m}{n}}} + cz^{\frac{m}{n}} = z^{\frac{m}{n}}\sqrt{cc+aaz^{\frac{-2m}{n}}}$ $+ cz^{\frac{m}{n}}$. Si igitur $\frac{m}{n} + 1$ ſit vel numero $\frac{-2m}{n}$ æqualis, vel ejuſdem multiplex, id eſt ſi ſumatur $m = -1$, & n numero cuilibet impari æqualis; pars ordinatæ $z^{\frac{m}{n}}\sqrt{cc+aaz^{\frac{-2m}{n}}}$ $+ cz^{\frac{m}{n}}$ ſub vinculo incluſa, ideoque & ordinata tota quadraturam admittet. (a)

Verbi cauſa, ponatur $\frac{m}{n} = -\frac{1}{3}$, $c = 1$, & $P\Phi = z^{-\frac{1}{3}}$ $\sqrt{1+aaz^{\frac{2}{3}}} + z^{-\frac{1}{3}}$. Unde erit area $M\psi\Phi P = \frac{\overline{1+aaz^{\frac{2}{3}}}|^{\frac{3}{2}}}{aa}$ $+ \frac{3}{2}z^{\frac{2}{3}}$, & $PI = \overline{\frac{1}{aa}+z^{\frac{2}{3}}}|^{\frac{3}{2}} + \frac{3z^{\frac{2}{3}}}{2a}$, curvaque quæſita hac æquatione comprehendatur $a \times PIq - 3z^{\frac{2}{3}} \times PI = \frac{1}{a^5} + \frac{3z^{\frac{2}{3}}}{a^3} +$ $\frac{3z^{\frac{4}{3}}}{4a} + az^2$. In hac æquatione cum $z^{\frac{2}{3}}$ ſignum non mutabit, mutatione ſigni abſciſſæ z; pro eadem ipſius magnitudine tam negativa quam affirmativa PI eandem habebit magnitudinem, & ſub eodem ſigno; unicuique autem magnitudini abſciſſæ z reſpondet & affiirmativa & negativa ordinata: adeo ut curva quæſita habebit formam hic appoſitam (in *Fig. 6.*); e tribus conſtans cruribus a b c, d e, d f punctis b, d æqualiter a puncto M diſtantibus; quippe eſt $Md = Mb = \frac{1}{a^3}$: quando enim eſt $z = 0$, erit $PIq = \frac{1}{a^6}$; & $PI = \pm\frac{1}{a^3}$. Hæc autem regulæ hujus formula prior ſecundum exhibet curvas quæſitas inveniendi modum. TAB. I. Fig. 6.

(a) Vid. in Tract. de quadr. curv. Newton. tab. curv. ſimplicior. quæ quadrari poſſunt.

In formula poſteriori, cum R ſit $= \frac{1}{2} a \times \overline{\frac{P\Phi}{a} - \frac{a}{P\Phi}}$, R vel P ν ejusdem magnitudinis manebit, ſed ſignum mutabit, quando abſciſſa magnitudinem ſuam ſigno mutato retinet, ſi P Φ talis ſumatur, ut mutando abſciſſæ ſignum $\frac{P\Phi}{a}$ convertatur in $\frac{a}{P\Phi}$ & contra ut $\frac{a}{P\Phi}$ convertatur in $\frac{P\Phi}{a}$. Et hæc formula poſterior tertium continet problema ſolvendi modum.

Verbi cauſa, ſit $P\Phi = a \times \frac{c-z}{c+z}$, quando z eſt affirmativa, & erit R vel P ν eodem tempore $= \frac{1}{2} a \times \overline{\frac{c-z}{c+z} - \frac{c+z}{c-z}}$, quando autem z negativa eſt, fiet $P\Phi = a \times \frac{c+z}{c-z}$, & R vel Q $\varrho = \frac{1}{2} a \times \overline{\frac{c+z}{c-z} - \frac{c-z}{c+z}}$. Hinc autem R æqualis erit $\frac{\mp 2acz}{cc-zz}$, & $Rzz \mp 2acz = ccR$; ideoque curva $\varkappa M \mu$ linea tertii ordinis, imo ſpecies earum quinquageſima nona; propterea quod æquationis $ccRR + aacc = 0$ radices ſunt impoſſibiles (*a*). Linea autem curva hinc invenienda, ſi fiat (in *Fig. 7*) NM vel MO $= c$, logarithmica eſt, cui recta A*B* eſt aſymptotos. Cum enim PΦ ſit $= a \times \frac{c-z}{c+z}$, erit eadem $= \frac{ac}{c+z} - \frac{az}{c+z}$. Si igitur (in *Fig. 8*) in recta linea quacunque $\alpha\varepsilon$ ſumatur $\alpha\varkappa = OM = c$, & ei ad perpendiculum erigantur $\alpha\beta$, $\varkappa\mu$ quarum $\varkappa\mu$ ſit $= a$, & ſi aſymptotis $\alpha\varepsilon$, $\alpha\beta$ per punctum μ deſcribatur hyperbola $\zeta\eta$, & ſumpta $\varkappa\nu = MP = z$, ducatur $\nu\varrho$ aſymptoto $\alpha\beta$ parallela; parti $\frac{ac}{c+z}$ ordinatæ P Φ reſpondet area, quæ erit ad aream $\varkappa\mu\varrho\nu$ ut ſinus anguli ſub N P I ad radium, & alteri parti $\frac{az}{c+z}$

TAB. I. Fig. 7. Fig. 8.

(*a*) Vid. Newton. Enumerat. linear. tert. ordin. ad Fig. 63.

$\frac{az}{e+z}$ ejusdem ordinatæ reſpondet area, quæ erit ad $a \times \kappa\nu - \kappa\mu \varrho\nu$ in eadem ratione (*a*). Unde PI, quæ eſt ad $\frac{MP\,\Phi\Psi}{a}$, ut radius ad ſinum anguli ſub NMψ, erit $= \frac{2\kappa\mu\varrho\nu}{a} - \kappa\nu$. Si igitur ſumatur O$\varsigma$ = OM, & ducatur ςM ordinatæ PI retro productæ occurrens in χ, ut ſit Pχ = PM = $\kappa\nu$, erit χI = $\frac{2\kappa\mu\varrho\nu}{a}$: ideoque linea MI logarithmica, cui AB aſymptotos eſt, & ςM ordinatim applicata, efficiens cum aſymptoto AB angulum ſub AςM verſus contingentem æqualem dimidio anguli ſub AON. *Alter igitur hujus lineæ caſus deducitur*, &c. ut ſupra.

Magis generatim, ſi r ordinatam curvæ alicujus denotat, quæ inſtar curvarum κMμ, & κnc, mpμ ad abſciſſam NO deſcripta ordinatas habeat æquales, quæ æqualiter diſtant a puncto M, ſed a contrariis partibus abſciſſæ poſitas, poni poteſt ordinata P$\Phi = a \times$

$$\overline{\frac{\overline{b \mp cr + drr \mp er^3 + \&c.} \times \overline{f \mp gr + \&c.}\,\big|^{\lambda} \times \overline{b \mp kr + lrr \mp \&c.}\,\big|^{\mu}}{\overline{b \pm cr + drr \pm er^3 + \&c.} \times \overline{f \pm gr + \&c.}\,\big|^{\lambda} \times \overline{b \pm kr + lrr \pm \&c.}\,\big|^{\mu}}}\Bigg|^{\nu}$$

Ex priori hujus regulæ ſecundæ formula deducitur quoque theorema, cujus ſupra fit mentio, ad inveniendas curvas tam rationales quam irrationales utile, quod quartus erit modus problema ſolvendi.

Theorema.

Quoniam eſt P$\Phi = \sqrt{aa + RR} + R$, & R = P$\nu$, manifeſtum eſt, ſi $\frac{R}{a}$ vel $\frac{P\nu}{a}$ ſit ut fluxio ordinatæ, quæ abſciſſæ ſuæ ad perpendiculum inſiſtat, alicujus curvæ, erit $\frac{\sqrt{aa+RR}}{a}$,

 ut

(*a*) Vid. Newton. de quadr. curv. tab. curv. ſimpl. quæ cum circ. & hyperb. compar. poſſ[illegible], form. prim.

ut ejuſdem curvæ fluxio; curvæ autem hujus ordinata æqualis erit areæ curvæ $\varkappa\mu$ ad *a* applicatæ, ſi angulus ſub MPν rectus ſit, & cum area curvarum (in *Fig. 2, 4*) $\varkappa$Mμ, &$\varkappa$ n c, m pμ eodem ſigno afficiatur, tam quando abſciſſa eſt affirmativa, quam quando eſt eadem negativa, quoniam areæ ad diverſas abſciſſæ partes in illis diverſis caſibus jacent; & præterea cum eisdem abſciſſæ magnitudinibus areæ æquales reſpondeant, curvæ, quales problema requirit, inveniri poſſunt curvarum ope, quarum ordinatæ ad easdem abſciſſæ magnitudines æquales ſint, & ab eadem abſciſſæ parte poſitæ, ſi modo ordinatæ inſiſtunt abſciſſæ ad perpendiculum.

TAB. I. Fig. 9. Fig. 10. Deſcripta ſit ejusmodi curva n o, quæ tangat abſciſſam in puncto M (ut in *Fig. 9*) ſi evaneſcat, quando abſciſſa eſt = o, fluens quantitas fluxioni longitudinis curvæ n o reſpondens; aliter, quæ habeat ordinatam primam M m (ut in *Fig. 10*) æqualem magnitudini fluentis iſtius quantitatis, quando abſciſſa eſt = o. Erigantur ordinatæ P p, Q q; deinde erit P I curvæ quæſitæ ordinata, quæ ab altera parte puncti M jacet, vel = M p + P p, vel = M m p + P p; ordinata autem Q R, quæ ab altera parte puncti M cadit, vel = M q − Q q, vel = M m q − Q q.

Obſervandum autem eſt hoc theorema aliquando partem duntaxat curvæ quæſitæ deſcribere.

Ex ratione autem, qua hoc theorema inveſtigatur, manifeſtum eſt duo crura curvæ hic deſcriptæ ejusdem lineæ eſſe partes: nimirum utriusque naturam eadem æquatione definiri. Hanc autem curvam in ſitu inverſo diſpoſitam ſe interſecare in angulo æquali angulo ſub N O B inde manifeſtum eſt, quod rectangulum ſub fluxione P I & ſub fluxione Q R, ordinatarum ſcilicet æqualiter a puncto M diſtantium, æquale eſt quadrato fluxionis abſciſſæ: ſi enim curvæ n o ordinatæ w r, x t applicentur ordinatis Q q, P p proximæ, & P x, Q w ſint æquales, & ducantur r s, t v abſciſſæ N O parallelæ, erunt triangula p t v, q r s rectangula ſimilia & æqualia: *in omni autem triangulo rectangulo quadratum ab alterutro latere angulo recto adjacenti æquale eſt rectangulo ſub ſumma alterius lateris angulo recto adjacentis laterisque angulo ei ſubtendentis, & ſub differentia eorundem laterum.* Igitur

t v²

$\overline{tv}^2 = \overline{Px}^2 = \overline{pt+pv} \times \overline{pt-pv} = \overline{pt+pv} \times \overline{qr-qs}$: eſt autem ultima ratio P x ad p t + p v ea, quam fluxio abſciſſæ habet ad fluxionem ordinatæ P I; & ratio P x vel Q w ad q r − q s ea, quam fluxio abſciſſæ habet ad ordinatæ Q R fluxionem. Unde conſtat propoſitum. *Regula* igitur *ſecunda theorema*, &c. ut ſupra.

Jam ſi n o ſit circuli circumferentia, linea E F cyclois erit, quando angulus ſub N O B vel ſub N P I rectus eſt. Porro ſi curvæ n o longitudo cum recta conferri poteſt, quarum curvarum ſimpliciſſima eſt parabola ſemicubica, curva inventa rationalis erit. Speciatim parabola ſemicubica, ſi rite diſponatur, ejus curvæ partem dimidiam exhibebit, quam in exemplum formulæ prioris regulæ ſecundæ delineavimus; ſcilicet (in *Fig. 6*) crus d e, partemque inferiorem b c cruris a b c. Reliquæ autem illius partes deſcribi poſſunt, ſi retro producatur ordinata I P donec pars producta æqualis ſit M m p − P p, & producatur R Q ab altero abſciſſæ latere, donec pars producta æqualis ſit M m q + Q q.

Nunc tranſeundum eſt ad regulam tertiam, quæ etiam curvas geometrice rationales largitur.

Regula Tertia.

Regula hæc tertia duos quoque complectitur problema ſolvendi modos a prioris regulæ formulis propoſitione nona tractatus de quadratura curvarum *Newtoni* derivatos.

Propoſitione iſta ad formulam regulæ præcedentis priorem adhibita invenitur area curvæ, cujus abſciſſa eſt z, & ordinata $\sqrt{aa+RR}+R$, æqualis areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt R & ordinata $\frac{\dot{z}}{\dot{R}}\sqrt{aa+RR}+\frac{\dot{z}}{\dot{R}}R$. Hinc autem quinto modo ſolvitur problema.

Verbi cauſa, ut exemplum generale, quod antea (*a*) exhibui, inveſtigetur, poſitis M P $= z$, & P $y = $ R, ut prius, fiat $\frac{\dot{z}}{\dot{R}} = R^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{c+dR^2}$, & erit $z = R^{\frac{m}{n}} \times \overline{\frac{n}{m}c + \frac{n}{m+2n}dR^2}$;

ſint

(a) In Act. Erud. Menſ. April. 1721.

ſint autem m & n numeri impares vel inter ſe primi vel eorum alter unitas; ut ſigna abſciſſæ z & ordinatæ R ſimul mutentur, ſicut in regula priori requiritur; jam erit ordinata $\frac{\dot{z}}{\dot{R}}\sqrt{aa+RR}$

$$+\frac{\dot{z}}{\dot{R}}R = R^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{c+dR^2} \times \sqrt{aa+RR} + R^{\frac{m}{n}} \times \overline{c+dR^2};$$

area igitur curvæ, cujus abſciſſa eſt z & ordinata $\sqrt{aa+RR}+R$, æqualis erit areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt R & ordinata $R^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{c+dR^2} \times \sqrt{aa+RR} + R^{\frac{m}{n}} \times \overline{c+dR^2}$, ſi modo hæc poſterior ordinata cum abſciſſa ſua angulum contineat æqualem angulo ſub N M Ψ; unde hujus poſterioris curvæ quadraturâ linea exhibetur problemati ſatisfaciens. Erit autem hæc linea curva geometrice irrationalis, niſi m & n certos quosdam numeros deſignant, vel certa quædam ſit relatio inter coefficientes c, d; hæ autem conditiones ratione ſequenti inveniuntur. Erit (a) area curvæ, cujus abſciſſa R & ordinata $R^{\frac{m}{n}} \times \overline{c+dR^2} + R|^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{c+dR^2} \times \sqrt{aa+RR}$, ad $R^{\frac{m+n}{n}} \times \overline{\frac{n}{m+n}c + \frac{n}{m+3n}dR^2} + R^{\frac{m}{n}}|\times \overline{aa+RR}|^{\frac{3}{2}} \times \frac{n}{maa}c + \frac{d - \left|\frac{m+3n}{maa}\right. \times c}{\frac{m+2n}{n}aa}R^2 + \&c.$ ut ſinus anguli ſub N M Ψ ad radium. Hæc autem ſeries terminabitur, & quadraturam finitam dabit, ſi n ſit unitas & m numerus negativus ternario major, vel ſi ultimus terminorum hic ſcriptorum ſit nihilo æqualis, id eſt, ſi ſit $d = \frac{m+3n}{maa}c$, vel ſi ſit $d=0$, $n=1$,

& m

(a) Per prop. quint. quadr. curv. Newton.

& $m = -3$. Et hic quidem ultimns caſus curvam exhibet, quæ theoremate præcedenti a parabola ſemicubica invenitur.

Magis generatim ponere licet $\frac{\dot{z}}{\dot{R}} = R^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{c + dR^2 + eR^4 + \&c. \ldots + fR^p}$, ubi p numerum quemcunque parem denotat; unde fiat $z = R^{\frac{m}{n}} \times \overline{\frac{n}{m}c + \frac{n}{m+2n}dR^2 + \frac{n}{m+4n}eR^4 \ldots + \frac{n}{m+pn}fR^p}$, & curvæ $\omega\Omega$ ordinata $= R^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{c+dR^2+eR^4 \ldots + fR^p} \times \sqrt{aa+RR}+R$. Hinc (a) ſi n ſit unitas & m numerus negativus numero $p+1$ major, curva dabitur geometrice rationalis, vel ſi certa quædam relatio ſit inter coefficientes $c, d, e,$ &c. $\ldots f$, quæ relatio facile invenitur ut antea.

Porro ad alteram regulæ ſecundæ formulam adhibendo propoſitionem nonam memoratam libri de quadratura curvarum, ſextus oritur problema ſolvendi modus.

Litera r denotante ut ſupra, fieri poteſt ordinata $P\Phi = a \times \frac{b+cr+drr+\&c.}{b-cr+drr-\&c.}$ area curvæ, cujus abſciſſa eſt z & ordinata $P\Phi$, æqualis erit areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt r & ordinata $a \times \frac{\dot{z}}{\dot{r}} \times \frac{b+cr+drr+\&c.}{b-cr+drr-\&c.}$. Ponatur igitur $\frac{\dot{z}}{\dot{r}} = r^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{\overline{b+cr+drr+\&c.} \times \overline{b-cr+drr-\&c.}}\big|^{p} = r^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{bb+2bd-cc \times rr+ddr^4+\&c.}\big|^{p}$, & curva, cujus ordinata eſt r conditionem hic neceſſariam habebit. Erit enim $z = r^{\frac{m}{n}} \times \overline{bb+\overline{2bd-cc} \times rr}$
$+ddr$

(a) Per prop. proxim. citat.

$\overline{+ddr^4+\&c.}|^{p+1} \times \overline{A+Brr+Cr^4+\&c.}$ cujus ſeriei coefficientes A,B,C &c. dantur per propoſitionem quintam Tractatus de Quadratura Curvarum. Manifeſtum autem eſt nec terminos hujus ſeriei nec quantitatem $\overline{bb+2\overline{bd-cc}\times rr+ddr^4+\&c.}|^{p+1}$ ſigna ſua mutare mutatione ſigni quantitatis r; quantitatis autem $r^{\frac{m}{n}}$, ſi m, n numeri ſint impares, ſignum mutabit, quando ipſa r ſignum mutat; ideoque ordinata r & abſciſſa z ſigna ſimul mutabunt. Ordinata autem $a \times \frac{\dot{z}}{\dot{r}} \times \frac{b+cr+drr+\&c.}{b-cr+drr-\&c.}$ = erit $ar^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{bb+2\overline{bd-cc}\times rr+ddr^4+\&c.}|^{p-1} \times \overline{b+cr+drr+\&c.}|^2$. Et hinc facile inveniri poſſunt curvæ rationales.

Pro exemplo ſimplici ponatur $p=1=m=n$, d, &c $=0$; unde erit $\frac{\dot{z}}{\dot{r}} = bb-ccrr$, & $z=bbr-\frac{1}{3}ccr^3$. Ordinata autem curvæ metiendæ $=abb+2abcr+accrr$; ejusdem igitur area eſt ad $abbr+abcrr+\frac{1}{3}accr^3$ ut ſinus anguli ſub N M Ψ ad radium; ideoque erit $PI=bbr+bcrr+\frac{4}{3}ccr^3$. Hinc autem invenitur parabolam ſemicubicam problemati ſatisfacere, quam ita deſcribere oportet. Data (in *Fig. 11*) linea recta A B, & in ea puncto C, una cum linea recta C D angulum ſub B C D cum linea C B conſtituente æqualem angulo, in quo curva ſe interſecare requiritur. Ducatur ad libitum H G I ad C D parallela, ſumaturque in ea G H = 2 C G; deinde dividatur angulus ſub A C D in duas partes æquales linea recta C E, & denique ad diametrum H I & verticem H deſcribatur parabola ſemicubica K H L, quæ tranſeat per punctum C, ita ut C E ordinatim applicetur ad diametrum H I. Hæc parabola ad eandem lineam ſimiliter applicata, ſed ſitu inverſo, ſe interſecabit in angulo æquali angulo ſub B C D. **TAB. I. Fig. 11.**

Digitized by Google

Si placet curvas hac regula inventas theoremate præcedente conſtruere, ex iis, quæ hic tradita ſunt, curva huic negotio apta inveniri poteſt; erit enim curvæ illius ordinata æqualis areæ curvæ $\times \mu$ ad a applicatæ, quando angulus ſub $\mathrm{MP}\nu$ rectus eſt. Verbi cauſa, hujus areæ fluxio, nimirum $\mathrm{P}\nu \times \dot{z}$ in exemplo ſecundo prioris partis hujus regulæ erit $= \dot{\mathrm{R}}\,\mathrm{R} \times \mathrm{R}^{\frac{m-n}{n}}\, \overline{\times c + d\mathrm{R}^2 + e\mathrm{R}^4 \ldots + f\mathrm{R}^p}| = \dot{\mathrm{R}}\,\mathrm{R}^{\frac{m}{n}} \times \overline{c + d\mathrm{R}^2 + e\mathrm{R}^4 \ldots + f\mathrm{R}^p}|$; ideoque curvæ hic requiſitæ ordinata erit $= \frac{1}{a}\mathrm{R}^{\frac{m+n}{n}} \times \overline{\frac{n}{m+n}c + \frac{n}{m+3n}d\mathrm{R}^2 + \frac{n}{m+5n}e\mathrm{R}^4 \ldots + \frac{n}{\overline{m+p+1}\times n}f\mathrm{R}^p}$.

In exemplo poſterioris partis hujus regulæ erit $\mathrm{R}\ (= \frac{1}{2}a \times \overline{\frac{\mathrm{P}\Phi}{a} - \frac{a}{\mathrm{P}\Phi}}) = \frac{2bcr + 2cdr^3 + \&c}{bb + \overline{2bd - cc} \times rr + ddr^4 + \&c}$; ideoque $\mathrm{R} \times \dot{z} = \dot{r}r^{\frac{m}{n}} \times \overline{2bc + 2cdr^2 + \&c} \times \overline{bb + \overline{2bd-cc} \times rr + ddr^4 + \&c}|^{p-1}$; hæc igitur eſt fluxio ordinatæ curvæ quæſitæ.

Si ſit $m = 1 = n = p$, d, $\&c = 0$, erit $\mathrm{R} \times \dot{z} = 2bc\dot{r}r$, & ordinata curvæ quæſitæ $= bcrr$; quoniam igitur $z =$ erit $bbr - \frac{1}{3}ccr^3$, erit curva quæſita in hoc caſu parabola divergens cum nodo, quæ definitur hac æquatione $3ezz = y^3 - 2cyy + ccy$ (*a*). Et hac curva deſcribetur parabola ſemicubica ſupra inventa.

Verbi cauſa, ad rectam lineam (in *Fig.* 12) AB ducatur perpendicularis CD, & ad illam ut axim deſcribatur ejusmodi parabola divergens FECEG. Deinde ducatur ad libitum HI angulum quemcunque datum cum recta AB conſtituens, & ducatur HKLM ad CD parallela; deinde ſumatur HN = HK + arc. CK, HO = HL + arc. CKL, & ab altera parte puncti H, HP TAB. I. Fig. 12.

Ll 2

(*a*) Vid. Enumerat. linear. tert. ord. Fig. 78.

HP = CEM − HM; & curva hac ratione deſcripta parabola ſemicubica erit.

Hinc apparet quomodo curvæ, quarum inveſtigationi regula hæc tertia aptatur, theoremate præcedenti conſtrui poſſunt, poſtquam earum formæ cognoſcuntur, ſed hæ curvarum formæ, a quibus rationales deriventur, regula hac tertia optime inveniuntur.

Hæ ſunt tres regulæ, quarum ſupra ſit mentio. Ultima ſententia, quæ ſub notis fictis celata fuit, exemplo ſequenti illuſtrari poteſt. Sit y vel $= a + bx + \sqrt{c + 2dx + ex^2}$ vel $= \frac{a+bx+cxx}{d+ex}$, quæ duæ æquationes omnes complectuntur ſectiones conicas. Inde vero inveniemus $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}}$ vel $= \frac{ec}{d+ex}$

$$\frac{-dd}{+b\sqrt{c+2dx+exx} \times c+2dx+exx}\dot{z}$$, vel $=$

$$\frac{2cdd+2aee-2bde}{\overline{d+ex} \times \overline{bd-ae+2cdx+cexx}}\dot{z}$$; quæ æquationes oſtendunt in nulla ſectione conica, quomodocunque diſponatur, quantitatem $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}}$ conditionem habere, quam hoc problema requirit; ideoque nullam ſectionem conicam problemati ſatisfacere. Quod comprobari etiam poteſt examinando rectangulum ſub fluxionibus primis ordinatarum æqualiter ad diverſas partes a principio abſciſſæ diſtantium.

Hinc autem cognoſcitur nullam lineam curvam geometrice rationalem problema ſolvere, quæ parabola ſemicubica ſit ſimplicior.

Si vero talis inter quantitates a, b, c, d, e relatio ſtatui potuiſſet ut $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}}$ conditionem in hoc problemate neceſſariam obtineret,

nempe

Digitized by Google

nempe ut quantitas, quæ in $\dot{z}$ ducitur, eadem eſſe potuiſſet, & ſub eodem ſigno, pro eadem magnitudine tam negativa quam affirmativa abſciſſæ z, quo eveniret ut $\frac{\ddot{y}}{\dot{y}}$ foret $= -\frac{\ddot{v}}{\dot{v}}$, ſi abſciſſa in oppoſitas partes a ſuo principio, æqualibusque momentis fluere ponitur: tum profecto ſectio conica hinc determinanda vel problema ſolveret, vel ſectionis problemati ſatisfacientis ordinata ad ordinatam hujus rationem haberet datam.

Jam vero his regulis alias aliquot, quas ab amico accepi, ad problema ſolvendum adjungam.

Regula Quarta.

Iisdem poſitis ac in regula prima, ſit (in *Fig. 13*) N O ad A B, C D perpendicularis; ſint P I, Q R ordinatæ æqualiter a puncto M diſtantes, & ſit curva G H per punctum I ducta ſimilis & æqualis curvæ f E F. Ordinatis P I, Q R parallelæ & proximæ ducantur ε j l, δ r, & lineæ rectæ I k, R s lineæ N O parallelæ. Angulus ſub s R r = eſt angulo ſub k I l; unde anguli ſub j I k, s R r ſimul ſumpti æquales ſunt angulo dato ſub j I l; & quantum angulus ſub j I k dimidium anguli ſub j I l ſuperat, tantum angulus ſub s R r ab eodem dimidio deficit. Si igitur (in *Fig. 14*) radio quolibet m n circuli arcus n o deſcribatur, & ſumatur angulus ſub n m p = dimidio anguli dati ſub j I l, angulus ſub n m q = angulo ſub j I k, & angulus ſub n m t = ei ſub s R r, ſectores q m p, p m t erunt æquales. Poſita autem I k = R s = 1, erit j k ut tangens anguli ſub j I k vel anguli ſub n m q, & r s erit ut tangens anguli ſub s R r vel anguli ſub n m t; ideoque & fluxio ordinatæ P I erit ut tangens anguli ſub n m q, nimirum ut n v; & fluxio ordinatæ Q R ut tangens anguli ſub n m t, nimirum ut n w; curvæ igitur Ψ Φ Ω, cujus areæ ordinata P I proportionalis eſt, ordinata P Φ poteſt eſſe æqualis tangenti n v, & ordinata Q χ ab altera parte puncti M = n w. Quoniam autem ſectores p m q, p m t ſunt æquales, conſtitui poteſt ſector p m q æqualis areæ M Π W P curvæ cujuscunque K L conditionem habentis in regula prima indicatam; & ſector p m t æqualis areæ M Π X Q ejusdem curvæ. Denique ſi ducatur linea recta ε η ζ lineæ M Ψ parallela & proxima;

TAB. I. Fig. 13.

Fig. 14.

ma; cum angulus ſub $\varepsilon M \eta$ = ſit dimidio anguli ſub j I l, vel angulo ſub n m z, erunt triangula $\varepsilon M \eta$, n m z ſimilia, & prima ratio $\varepsilon\eta$ ad εM eadem cum ratione z n ad n m; ideoque $\varepsilon\eta = \frac{M\Psi\zeta\varepsilon}{nm}$, propterea quod εM = eſt $\frac{M\Psi\zeta\varepsilon}{M\Psi}$, & $M\Psi$ = n z. Hic autem habetur ſeptimus modus, quo problema ſolvi poteſt.

Si loco curvæ K L linea recta ſumatur, quicunque ſit angulus ſub n m z eadem deſcribetur curva; adeo ut hac ratione invenitur una eademque curva, quæ diverſis ſitibus in angulo quocunque dato problema ſolvit. Hæc autem curva a circuli & hyperbolæ quadratura dependet; ſi enim ducantur $m\tau$, $n\sigma$ ad m n perpendiculares, quarum $n\sigma$ = ſit m n, & aſymptotis m n, $m\tau$ hyperbola $\omega\sigma\psi$ deſcribatur, & deinde $q\phi\upsilon$, $p\theta\varsigma$ ducantur lineis $m\tau$, $n\sigma$ parallelæ; quando M P = eſt arcui circuli p q, erit ordinata $PI = \frac{\theta\phi\upsilon\varsigma}{mn}$, ſi m n = ſit 2 M Π (a).

Regula Quinta.

TAB. I. Fig. 15. Deſcribatur (in *Fig.* 13) curva $\varkappa M\mu$ ut in regula ſecunda, & (in *Fig.* 15) radio = m n deſcribatur ſemicirculus $\alpha\beta\gamma$, cujus centrum δ, ſit autem $\delta\beta$ diametro $\alpha\gamma$ perpendicularis. Sumatur $\delta\varepsilon = P\nu$, ducatur $\varepsilon\zeta$ ad $\delta\beta$ parallela, jungaturque $\delta\zeta$. Deinde ſit curva K L ejus naturæ, ut area M Π W P ſemper æqualis ſit ſectori $\beta\delta\zeta$. In circuli arcu (*Fig.* 14) n o ductis $p\eta$ ſinu arcus p q, & $p\theta$ ſinu arcus n p, producatur m p ad z, ducaturque $z\xi$ ad $p\eta$ parallela. Porro dictis m n = m p, a; $m\theta$, b; n z, c; $p\eta$, R; n v, y; erit ut $mp : p\eta :: mz : z\xi$, ſed ut $m\theta : mn\ (mp) :: mn : mz$; ex æquo igitur ut $m\theta\ (b) : p\eta\ (R) :: mn : z\xi :: mv\ (\sqrt{aa+yy}) : zv\ (y-c)$ unde $by - bc = R\sqrt{aa+yy}$, & denique $y = nv = P\Phi = \frac{bbc + aR\sqrt{aa-RR}}{bb-RR}$.

Hinc autem modo octavo ſolvitur problema.

Regula Sexta.

Per propoſitionem nonam Tractatus de Quadratura Curvarum

(a) Vid. Barrov. lect. geometr. pag. 110.

Digitized by Google

rum area curvæ, cujus abſciſſa eſt z & ordinata $\frac{bbc+aR\sqrt{aa-RR}}{bb-RR}$,

æqualis eſt areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt R & ordinata $\frac{\dot{z}}{\dot{R}}$ x

$\frac{bbc+aR\sqrt{aa-RR}}{bb-RR}$. Unde habetur modus nonus problema ſolvendi.

Literæ m & n eadem denotent, ac in regula tertia, & fiat

$\frac{\dot{z}}{\dot{R}}=R^{\frac{m-n}{n}}\times\overline{bb-RR}|^{p}$, & ordinata $\frac{\dot{z}}{\dot{R}}\times\frac{bbc+aR\sqrt{aa-RR}}{bb-RR}$

fiet $=bbcR^{\frac{m-n}{n}}\times\overline{bb-RR}|^{p-1}+aR^{\frac{m}{n}}\times\overline{bb-RR}|^{p-1}$ x

$\sqrt{aa-RR}$. Unde ſi n unitatem denotet, & p numerum quemcunque integrum & affirmativum, curva geometrice rationalis invenietur, ſi modo m ſit numerus affirmativus; vel etiam ſi n ſit unitas, m numerus affirmativus, & $2p$ numerus impar negativus, numero m major.

Regula Septima.

Ducatur (in *Fig.* 15) $\beta\lambda$ ſemicirculum $\alpha\beta\gamma$ contingens in β, & producatur $\varepsilon\zeta$ ad μ, ducta $\delta\nu\mu$. Sit autem curva (in *Fig.* 13) KL ejus naturæ, ut area M Π W P = ſit ſectori $\delta\beta\nu$. Dictis igitur mn, a; nz, c; & tangente arcus pq, R; erit nv = PΦ = $\frac{aac+aaR}{aa-cR}$. Et hic eſt decimus problema ſolvendi modus.

Quando angulus interſectionis rectus eſt, & $c=a$, hæc regula ſub formula poſteriori regulæ ſecundæ comprehenditur.

Item ſi loco $\varkappa$ M μ linea recta ſumatur, quicunque ſit interſectionis angulus, caſus ille curvæ logarithmicæ invenietur, quem in regula ſecunda tradidimus.

Regula Octava.

Ut antea, eſt area curvæ, cujus abſciſſa z & ordinata

aac

$\frac{aac+aaR}{aa-cR}$, æqualis areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt R & ordinata $\frac{\dot{z}}{\dot{R}} \times \frac{aac+aaR}{aa-cR}$. Hic autem eſt undecimus modus problema exequendi.

Literis m, n iisdem denotantibus, ut antea, ſit $\frac{\dot{z}}{\dot{R}} = R^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{a^4 - ccRR}|^{p}$; & ordinata $\frac{\dot{z}}{\dot{R}} \times \frac{aac+aaR}{aa-cR}$ fiet $= R^{\frac{m-n}{n}} \times \overline{a^4c + \overline{a^4+a^2cc} \times R + aacRR \times \overline{a^4 - ccRR}}|^{p-1}$: quæ formula curvas geometrice rationales facile præbet.

Si ſit $m = 1 = n = p$; eadem parabola ſemicubica atque ex regula tertia invenietur.

Regula nona.

TAB. I. Fig. 16. Si (in *Fig. 16*) NO ad lineas AB, CD perpendicularis ſit, & ducatur curva KL, cujus ordinatæ PW, QX, quæ æqualiter a puncto M diſtant, æquales ſint, & ab eadem abſciſſæ parte poſitæ; radio ordinatæ PW æquali deſcribatur circuli ſegmentum abc, quæ angulum comprehendat angulo æqualem, in quo curva ſe ipſam ſecare requiritur, cujus ſegmenti centrum æqualiter diſtet a lineis AB, CD. Ducatur autem & alia curva $\varkappa M \mu$ cujus ordinatæ Pν, Qϱ æqualiter a puncto M diſtantes ſint æquales & a contrariis partibus abſciſſæ NO poſitæ. Deinde ſumpta Mf = Pν ductaque fh lineæ NO ad perpendiculum, junctaque ch, manifeſtum eſt, ſi curva quæſita EF ejus ſit naturæ, ut contingens in puncto I ſemper ſit parallela lineæ ch, propoſito ſatisfaciet. Nam cum ſit WP = QX, idem circuli ſegmentum ordinatis PW, QX convenit; adeo ut ſi ſumatur Mg = Qϱ, ducatur gk ad NO perpendicularis, & jungatur ck, linea recta contingens curvam quæſitam EF in puncto R parallela erit lineæ ck. Quoniam igitur Qϱ = eſt Pν, ideoque Mg = Mf in ſitu hujus cur-

væ

væ E F inverſo, & quando punctum R in punctum I cadit, contingens in puncto R lineæ puncta a, h conjungenti parallela erit, & cum contingente in puncto I angulum conſtituet æqualem ei ſub a h c, nimirum angulo in ſegmento a b c comprehenſo. Invenitur igitur hujuſmodi curva, ſi fiat ut $y : z :: fh : fc$. Quamobrem ſi pro P W ponatur m; pro a M = M c ponatur n; pro intervallo inter punctum M & centrum ſegmenti ponatur p; & pro $Pv = Mf$, q; habebimus $y : z :: \sqrt{mm-qq} \pm p : n+q$, & $y = \frac{\sqrt{mm-qq} \pm p}{n+q} z$. Dantur autem rationes inter m, n, p ob datum ſegmenti a b c angulum, & invenietur y vel P I metiendo curvam, cujus abſciſſa eſt z & ordinata $\frac{\sqrt{mm-qq} \pm p}{n+q}$. Hic autem exhibetur duodecimus modus problema tractandi.

Si angulus ſub a h c ſit rectus, erit $p = 0$, $n = m$, & ordinata curvæ metiendæ $\sqrt{\frac{m-q}{m+q}}$. Quam profecto ordinatam problemati ſatisfacere, intelligi quoque poteſt ex poſteriori regulæ ſecundæ formula.

Si loco linearum curvarum K L, $\varkappa$ M μ rectæ ſumantur, quando angulus ſub a h c rectus eſt, erit curva E F cyclois; quæ facile determinatur forma undecima tabulæ curvarum ſimpliciorum, quæ cum circulo & hyperbola comparari poſſunt in Tractatu de Quadratura Curvarum *Newtoni*.

Regula Decima.

Porro area curvæ, cujus abſciſſa eſt z & ordinata $\frac{\sqrt{mm-qq} \pm p}{n+q}$, æqualis eſt tum areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt m & ordinata $\frac{z}{m} \times \frac{\sqrt{mm-qq} \pm p}{n+q}$; tum areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt q & ordinata $\frac{z}{q} \times \frac{\sqrt{mm-qq} \pm p}{n+q}$. Unde habentur duo alii modi, quibus problema ſolvi poteſt; quorum poſteriori,

 ratione

ratione ſequenti, curvæ geometricæ rationales inveniri poſſunt.

Sint δ, ε numeri impares, η numerus par, & ponatur $\frac{\dot{z}}{q} = q^{\frac{\delta-\varepsilon}{\varepsilon}} \times \overline{n^{\eta}-q^{\eta}}$, item $m = 1 + \frac{1}{4}qq$. Unde erit $z =$ areæ curvæ, cujus abſciſſa eſt q & ordinata $q^{\frac{\delta-\varepsilon}{\varepsilon}} \times \overline{n^{\eta}-q^{\eta}}$, & ordinata $\frac{\dot{z}}{q} \times \frac{\sqrt{mm-qq \pm p}}{n+q}$ fiet $= n^{\eta-1} - n^{\eta-2}q + n^{\eta-3}qq + \&c. \ldots - q^{\eta-1} \times \overline{1 - \frac{1}{4}qq \pm p}$.

His quatuordecim diverſis modis generalibus Amicus meus problematis ſolutionem abſolvit. Demonſtrationes autem illius ex compoſitione uſus in hoc problemate curvarum Geometris notarum ſic ſe habent.

De Caſu primo Linearum logarithmicarum.

TAB. I. Fig. 17. Sit (in *Fig. 17*) A B linea logarithmica aſymptoton habens C D; eique ordinatim applicetur E F, quæ ſit ſubtangenti logarithmicæ æqualis. Ad lineam rectam E F & ad quodcunque in ea punctum I conſtituatur alia linea logarithmica G H I priori ſimilis & æqualis, ſed ſitu inverſo diſpoſita. Deinde ſi contingentes H L, H M ducantur, dico angulum ſub L H M angulo ſub C E F eſſe æqualem.

Ordinatim applicetur H N, fiat E O = E N, ordinatim applicetur O P, & ducatur contingens P Q. Puncta P & H æqualiter diſtant a recta E I, unde punctum P in curva A B puncto H in curva G I reſpondet, & angulus ſub O P Q = eſt angulo ſub N H M, propterea quod curvæ A B, G I ſimiles ſunt & æquales. Quoniam vero curva A B eſt logarithmica & E N, E O æquales, erit N H $\times$ O P = E F q. Eſt autem E F = N L = O Q, unde ut N H : E F (N L) :: E F (O Q) : O P. Cum igitur anguli ſub H N L, Q O P ſint æquales, triangula H N L, Q O P ſunt ſimilia, & angulus ſub Q P O, qui æqualis eſt angulo ſub N H M,

æqualis

æqualis quoque erit angulo ſub N L H. Unde anguli ſub N H M & ſub N L H æquales erunt, & angulus ſub L H M angulo ſub C N H ſive angulo ſub C E F æqualis. Q. E. D.

De Caſu altero Linearum Logarithmicarum.

Sint (in *Fig.* 18) A B, C D duæ lineæ rectæ parallelæ, intra quas quælibet alia linea recta E F ducatur. Ad aſymptoton A B deſcribatur linea logarithmica G H, cujus ſubtangens ſit æqualis lineæ E F, & ordinatim applicatæ comprehendant cum aſymptoto angulos verſus contingentes æquales parti dimidiæ anguli ſub A E F. Quibus poſitis, ſi ad aſymptoton C D alia deſcribatur linea logarithmica I L M priori ſimilis & æqualis, & ſi ducantur contingentes L N, L O, dico angulum ſub O L N angulo ſub B E F eſſe æqualem. TAB. I. Fig. 18.

Ducatur N P, ut angulus ſub A N P angulo ſub A E F ſit æqualis, & erit N P = E F. Sumatur N Q lineæ E F ſive ſubtangenti lineæ logarithmicæ æqualis, jungaturque Q L. Quoniam igitur Q L punctum Q conjungit cum puncto contactus L, Q L ordinatim ad aſymptoton A B applicabitur, ideoque angulus ſub L Q N verſus contingentem L N æqualis erit parti dimidiæ anguli ſub A E F vel anguli ſub A N P; eſt autem N P = E F = N Q, quoniam igitur N P, N Q ſunt æquales, & angulus ſub L Q N æqualis dimidio anguli ſub A N P, recta Q L producta tranſibit per P efficiens triangulum P N Q iſoſceles. Eadem ratione ſi ducatur O S, ut angulus ſub C O S æqualis ſit angulo ſub A E F erit O S = E F; ſi vero ſumatur O R = E F, ducaturque R L, ordinatim ea applicabitur ad aſymptoton C D, & producta tranſibit per S, propterea quod linea I M ſimilis eſt & æqualis lineæ G H. Erit autem angulus ſub P R L (= angulo ſub L S Q) = angulo ſub L Q S = angulo ſub N P Q. Unde erit angulus ſub L S Q = angulo ſub N P Q, & triangula S L Q, P N Q ſimilia ſunt, angulusque ſub S L Q = angulo ſub P N Q = angulo ſub B E F. Eſt autem & L S = L Q, O S = N Q, item angulus ſub O S L (= angulo ſub O R S) = angulo ſub N Q L. Triangula igitur O S L, N Q L æqualia ſunt, habentia baſes O L, N L æquales, & angulos ſub N L Q, O L S, etiam æquales: aufe-

Digitized by Google

ratur communis angulus ſub NLS, & relinquetur angulus ſub OLN = angulo ſub SLQ = angulo ſub BEF. Q. E. D.

De Cycloide.

TAB. 4. Fig. 19. Sint (in *Fig. 19*) AB, CD duæ rectæ lineæ parallelæ, quas EF ad perpendiculum ſecet. In diametrum EF deſcribatur ſemicirculus EGF, & eo ſemicirculo deſcribatur ſemicyclois FH. Jam ſi alia ſemicyclois ILQ priori ſimilis & æqualis ſed ſitu inverſo intra parallelas deſcribatur, & ſi contingentes LM, LN ducantur, dico angulum ſub MLN rectum eſſe.

Sit IOP ſemicirculus, quo deſcribitur ſemicyclois IQ, ejus diameter IP; ducatur LGO, lineis AB, CD parallela, & jungantur FG, GE, IO. Erit deinde contingens LM parallela rectæ FG, & contingens LN parallela rectæ IO, quæ parallela eſt rectæ EG. Angulus igitur ſub MLN = eſt angulo ſub FGE recto, ideoque angulus ſub MLN rectus eſt. Q. E. D.

De Parabola Semicubica.

Fig. 20. Si (in *Fig. 20*) rectam lineam AB alia recta linea CD interſecat in puncto D cum linea AB angulum quemcunque conſtituens; & ſi ſumatur DE = $\frac{1}{2}$ DC; deinde ducatur EF, ut DF ſit = DE; & denique diametro CF & vertice C deſcribatur parabola ſemicubica GCH, quæ tranſeat per punctum E, habeatque ordinatim applicatas ad diametrum CF lineæ FE parallelas: his poſitis, ſi parabola hæc ad lineam AB in ſitu inverſo deſcripta ſit, ut eandem in ſitu jam dicto deſcriptam interſecet, & contingentes ad punctum interſectionis ducantur, illæ contingentes ſe interſecabunt in angulo æquali angulo ſub CDB.

Sumatur in parabola GCH punctum quodvis I, ducatur ILC, & ſumptâ EM = EL ducatur MNC. Deinde ordinatim applicentur OIP, NQR, ducaturque CEV, item EX diametro CO parallela. His poſitis erit HX : XE : : EF : FC, & XE : XP : : DF : EF. Unde ex æquo ut VX : XP : : DF : FC, dividendoque ut VX : VP : : DF : DC. Quoniam igitur eſt DF = DE = $\frac{1}{2}$ DC, eſt etiam VX = $\frac{1}{2}$ VP. Porro ut IOq : EFq : : COc : CFc : : VOc : EFc. Quatuor igitur ratione continuata proportionalium eſt VO ſecunda, quarum IO eſt prima & EF ultima. Eſt autem & IO : OV : : LF : EF. Ideoque

que ſunt I O, O V, F L, F E quatuor ratione continuata proportionales; unde ut V O : LF : : LF : EF : : VO−LF : LE, componendoque ut LF+EF : EF : : VO−EF(=VX) : LE. Demonſtratum autem fuit V X æqualem eſſe dimidio lineæ V P. Ut igitur 2 LF+2 EF : EF : : VP : LE : : 2 LFE+2 EF*q* : EF*q*. Jam vero ut I O : LF (: : IV : LE) : : LF*q*(2LFE+LE*q*−EF*q*) : EF*q*, propterea quod lineæ I O, V O, L F, E F ſunt quatuor ratione continuata proportionales; quoniam igitur ut VP : LE : : 2 LFE+2 EF*q* : EF*q*, erit ut PI : LE : : 3 EF*q*− LE*q* : EF*q*. Eodem modo demonſtratur ut NR : EM : : 3 EF*q*−DM*q* : EF*q*. Cum igitur E M = ſit E L, erit N R=P I, ſunt autem parallelæ, ideoque puncta N, I æqualiter diſtant a linea A B. Si igitur parabola ſemicubica G C H in ſitu inverſo ad lineam A B deſcribatur, punctum N incidere poteſt in punctum I. Parabolæ huic detur ille ſitus inverſus *bcg*, & ducantur contingentes I Γ S, E W, Δ N T, *t* I δ; item lineæ W L Y, W Z M. Erit ex natura parabolæ hujus O S = $\frac{2}{3}$ O C, F W = $\frac{2}{3}$ F C, & Q T = $\frac{2}{3}$ Q C. Eſt autem & F D = $\frac{2}{3}$ F C; unde F D, D E, & D W ſunt æquales, & angulus ſub F E W rectus: &, cum E L ſit = E M, erunt & anguli ſub E W L, E W M æquales. Quoniam autem L M F lineis I O, N Q parallela eſt, & lineæ O C, F C Q C ſimiliter dividuntur in punctis S, W, T, erit W L Y contingenti + I Γ S parallela, & W Z M contingenti Δ N T. Eſt igitur angulus ſub W Y D = angulo ſub I Γ *t*, & angulus ſub W Z D = angulo ſub N Δ D = angulo ſub I *t* Γ. Porro cum anguli ſub E W L, E W M ſint æquales, & anguli ſub D E W, D W E etiam æquales propter linearum D W, D E æqualitatem, erit angulus ſub Y W D = angulo ſub W Z D. Ideoque angulus ſub C D B, qui æqualis eſt ſummæ angulorum ſub W Y D & ſub Y W D, æqualis erit ſummæ angulorum ſub I Γ *t*, & ſub I *t* Γ, nimirum angulo ſub Γ I δ æqualis. Q. E. D. *Lond. Aug.* 27, 1722.

COMMENTAIRE SUR L' ANALYSE DES INfiniment petits, par Mr. CROUZAS, hoc eſt,

Digitized by Google

COMMENTARIUS IN ANALYSIN INFInite parvorum, Autore CROSA, Profeſſore Lauſanenſi.

Pariſiis, apud Montalantium, 1721 4.
Alph. 2 plag. $1\frac{1}{2}$ Tabb. æn. 4.

ANalyſin infinite parvorum Marchionis *Hoſpitalii* commendavimus in Actis A. 1697 p. 137, 139. In eam ex intervallo commentatur Cl. *Croſa*, variis ſcriptis hactenus editis celebris, propterea quod multum difficultatis in ea intelligenda repererit, cum ipſo judice nimis conciſe ac obſcure ſcripta ſit, ita ut facilius fuerit problematis propoſiti ſolutionem proprio Marte inveſtigare, quam ab Autore datam intelligere. Diſtinctius itaque proponere libuit, quæ negotium faceſſunt calculi differentialis tyronibus, ne tantum ipſis tædii devorandum, nec tantum temporis perdendum ſit. Tyronum utilitati cum unice conſulere intenderit, nequaquam vero artem ulterius provehere in animo habuerit; id quoque eum ſollicitum tenuit, num ſcopum ſibi propoſitum fuerit aſſecutus. Cum itaque Commentarium ad umbilicum perduxiſſet, eum perlegendum tradidit nonnemini, qui præter elementa Geometriæ & Algebræ communis nihil ex Matheſi didicerat: docuit eventus, quod absque aliis ſubſidiis hæc ad Analyſin *Hoſpitalianam* Supplementa facile intelligeret. Præmiſit duos diſcurſus præliminares, quorum primo terminum infinite parvi ab obſcuritate & homonymia liberat, altero autem novum potentiarum perfectarum & imperfectarum calculum exponit, quem nullibi adhuc ad captum tyronum traditum fuiſſe arbitratur, quantum quidem ipſi conſtet librorum (quod fatetur) copia deſtituto. Per calculum potentiarum imperfectarum intelligit calculum ſurdorum ſeu quantitatum irrationalium, quæ ex invento Viri ſummi *Newtoni* ad formam dignitatum rationalium reducuntur & ad earum inſtar tractantur, miro ſane compendio ac inſigni analyſeos cum emolumento. Quoniam totus Commentarius abſolvitur Supplementis, quæ ab Autore omiſſa neceſſaria judicat Noſter ad nexum ratiociniorum & producta calculi intelligenda, nulla vero problemata nova, nec nova arti-

artificia, quibus artis limites protendantur, ſuperaddit; ut ſpecialiora de hoc opere, quod tyronum conatibus favere lubentiſſime confitemur, in medium proferamus, e re lectoris eſſe minime judicamus.

OBSERVATIO DE VALVULIS IN URETERIBUS repertis a GEORGIO DANIELE COSCHWITZ, Med. Doct. & Prof. Publ. in Academia Friedericiana, ac in Comitatu Mansfeldenſi, & apud Palatinos Halenſes Phyſico.

FUerunt quidem inter Medicos, qui Ureterum canales inæquales & diſtinctionibus conſpicuos, valvuliſque circa orificia in veſicam hiantia inſtructos eſſe pronunciarunt, ſed nec defuerunt, qui id ipſum conſtanter negarunt. Clariſſimus vero *Coſchwitz* ex octo cadaveribus, quæ per biennium ſecandi ipſi copia facta fuit, duo tantum invenit ſubjecta, in quibus deſideratæ ſunt valvulæ Ureterum, in reliquis ſex, ſive calculorum torminibus, ſive aliis morbis per vitam expoſitis, ſive in theatro publico cultro Anatomico ſubjectis, conſtanter eaſdem vidit. Inclinant hæ valvulæ verſus inferiora oblique, & magis pendulæ apparent; modo circulum integrum, modo ſemicirculum repræſentantes, & vel ſub membranæ vel ſub firmiori textura non ſolum circa inſertionem in veſicam, ſed & in reliquo eorum cavo & tractu cum diſtinctionibus ſeu arctitudinibus conſpicuæ. Uſum valvulas has habere non minus in Medicina theoretica quam Practica, exiſtimat Autor Clariſſimus. Siquidem eas moderamini inſervire putat, ne impetuoſus, ſed ſucceſſivus fiat urinæ ad veſicam deſcenſus, ejuſque regreſſus ad renes impediatur; inde quoque evenire judicat, quod calculus per vices non recto tramite per ureterum ductus deſcendat, ſed hinc inde moram agat. Imo cum unus calculoſus præ altero majores ſentiat dolores, & is ſæpe, qui graviores perpeſſus eſt cruciatus, parvum excernat lapillum, majorem vero, qui mitiores; hujus phænomeni ætiologiam ad præſentiam vel defectum valvularum harum referendam eſſe ducit, ita ut valvulæ obicem ponant calculo tranſituro, & ſub violenta ſui expanſione graviſſimos dolores inducant,

abſentes

abſentes vero patulam concedant viam, ut citius ille, promptius, atque uno quaſi niſu ad veſicam iter ſuum abſolvere valeat. Novum igitur hoc inventum clariſſimus *Coſchwitz* publicæ utilitati invidere amplius nolens, ut in Diſſertatione Inaugurali, a Philippo Maximiliano Dilthey menſe Martio anni hujus 1723 Halæ ſub ejus præſidio habita, deſcriberetur, atque iconibus illuſtraretur, facile conceſſit, quarum aliquot in Lectoris benevoli gratiam hic exhibemus.

Explicatio figur. 21. & 22. Tab. I.

Fig. 21.

TAB. I. Fig. 21. Fig. 22.

A A. Ureter dexter ſecundum longitudinem apertus.

B. C. D. E. Valvulæ quatuor.

Fig. 22.

A A. Ureter a rene ſeparatus, præternaturaliter dilatatus.

b. c. d. Coarctationes, ſub quibus ſingulis valvula hæret.

INSTITUTIONES MEDICÆ, IN USUS annuæ exercitationis domeſticos digeſtæ ab HERMANNO BOERHAAVE.

Lugduni Batavorum, apud Johannem van der Linden, 1708, 12. Plag. 11.

APHORISMI DE COGNOSCENDIS ET curandis morbis, in uſum doctrinæ domeſticæ digeſti ab HERMANNO BOERHAAVE.

Lugduni Batavorum, apud Johannem van der Linden, 1709, 12. Plag. 16.

HERMANNI BOERHAAVE LIBELLUS de Materia Medica & Remediorum Formulis, quæ inſerviunt Aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis.

Lugduni Batavorum, apud Iſaacum Severinum, 1719, 8. Alphab. 1 plag. 15 dimidiat.

Ex quo clariſſimus *Boerhaave* Medicinam publice Lugduni Batavorum docere fuit juſſus, viginti vero jam abhinc anni ſunt præterlapſi, ſpartam hanc ex merito ornaturus omnem movit

vit lapidem, ut Artis ſalutaris principia ſtudioſæ juventuti breviter, ſuccincte, & perſpicue explicaret. In aphoriſmos igitur coegit, quæcunque proponenda erant, & ad deſcriptionis tædium evitandum, erroresque inde illapſuros præcavendum, publici juris eos fecit, numeris diſtinctos, & alios ex aliis illuſtrandos. Hinc prodierunt *Inſtitutiones Medicæ* & *Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis morbis*. Quam ſalutaria vero præcepta in ultimo hoc libro tradantur, vel ex eo patet, quod eundem tertia vice ſuperiore anno imprimi curaverit Bibliopola. Regulas ſcilicet in eo exhibet Autor clariſſimus, quæ cauſas morborum expedire, atque eventus ſecundare poſſunt. Experimenta, huic quidem neceſſaria operæ, a Græcorum induſtria, diligentia Arabum, & paucorum inter Recentiores ſolertia mutuo petiit. Ex Anatome vero & Mechanica, Noſtris cultiore, ratiocinio filum & fundamentum comparavit. Autores non allegavit, cum nimis multi vel nulli citandi fuiſſent. Et ſpecioſos medicamentorum titulos & formulas quod minus addiderit, quanquam ſe excuſet, quia Arti nihil exitiale magis novit, nec ullum remedium ſalutare cognoſcit, quia ſolo tempeſtivo uſu tale fiat, ſententiam tamen ſucceſſu temporis mutare coactus, libellum *de Materia Medica* edidit. Poſtquam enim formulas medicamentorum intra privatos parietes communicatas Londini ſub titulo: *Praxis Medica Boerhaaviana*, anno 1716, ſed non ſine erroribus bene multis & noxiis divulgatas vidit, ut Auditoribus melius conſuleret, MSta ſua correxit, amplificavit, & prelo ſubjecit; addita tamen admonitione, ut ne quis iisdem uteretur, ni morborum hiſtoriam fideliter edoctus atque materiæ medicæ effectus noxios æque ac ſalutares probe ſcrutatus fuerit. Compendiorum horum ſpecimen exhibere ſupervacaneum erit, nullum interim exiſtit dubium, quin Artis Medicæ tyrones haud exiguum ex aſſidua eorum lectione ſint reportaturi fructum.

VOYAGES DE FRANCOIS COREAL AUX INdes Occidentales &c.

i. e.

Nn ITINE-

ITINERA FRANCISCI COREALIS IN INdiam Occidentalem, ex Hiſpanico, & WALTERI RALEIGH relatio de Gviana, itemque NARBOROUGHI iter ad Mare pacificum ſuſceptum, ex Anglico idiomate in Gallicum converſum, una cum aliis.

Tomi III.

Amſtelodami, ap. Joh. Frid. Bernard, 1722, 12 maj. Alph. 1 pl. 18, cum fig. æn. 5 & mappis maj. 3.

PRimi itinerarii Autor, *Franciſcus Corealis*, Carthagena Hiſpaniæ oriundus, maximam partem Americæ, præcipue eam, quæ Hiſpanis itemque Portugallis paret, itineribus tam mari quam terra inde ab anno 1666 usque ad annum 1697 ſuſceptis cum adiiſſet, modoque inter cives ſuos, modo inter piratas Anglos, qui *Flibuſtiers* dicuntur, verſatus fuiſſet, deſcriptionem ejus exactam & libero ſtylo conceptam dedit. Sed non ſecundum ſeriem Chronologicam itinerum ſuorum recenſionem hanc adornavit, verum, id quod etiam commodius & publico gratius, ſecundum ordinem Geographicum & ſitum regionum inceſſit, harumque imprimis diſtantiam exhibuit, nec naturalia tantum, ſed & quæ ad mores incolarum ſpectant aliaque curioſa attulit, e quibus hinc inde nonnulla decerpemus. Mores civium ſuorum in America degentium ibique natorum corruptiſſimos fatetur, utpote mollitiei & otio plane immerſorum, faſtu vero & jactantia, (qua ſe vel infimus quisque pro nobili gerit, & operas manuarias ſe indignas judicat, plane turgentium. Religioni hactenus deditos ait, ut, quæ ad externum cultum pompasque ceremoniarum ſpectant, ſummo ſtudio atque unice curent, hisque & theatralibus ſacrarum rerum repræſentationibus adeo delectentur, ut, cum vel ſolenniſſimam illam feſtivitatem corporis Chriſti celebrant, in proceſſione non ſolum larvati perſonatique geſticulatores ſacramentum comitentur, ſed & feles porcellique ridiculum in morem veſtiti. Cultum proinde eorum in ſuperſtitionem plane degenerare fatetur, in qua toleranda ipſi clerici usque eo procedant,

cedant, ut plane ac manifeſte idololatricum cultum, quem Indi Sanctorum imaginibus deferunt, frivolo prætextu excuſent. Credendorum vero & omnium ſcientiarum tanta ignorantia eos laborare, ut, cum paulo abſtruſiorum vel non vulgatorum mentio injicitur, eadem a ſe removere ſoleant dicterio, quod in proverbium abiit; *Abſit de his cogitare, hæreſes enim ſunt Lutheranæ*. Lepidum affert exemplum Monachi cujusdam Franciſcani in urbe Portus belli, qui cum ad eum quidam ex Hiſpanis in America natis *Metamorphoſes Ovidii* attuliſſet, eum librum pro Bibliis Anglorum venditaverit, cumque auditoribus ſuis picturas, quibus liber ornabatur, monſtraſſet, identidem exclamaverit, *Ecce, quam turpiter peſſimi iſti Canes Diabolum adorent, qui eosdem in beſtias mutat*, librumque tandem in ignem conjecerit. In Venerem ſumme præcipites dicuntur, fœdoque adeo morbo fere omnes affecti, nec Clericis exceptis, quorum conventus alicubi totos idem invaſiſſe fertur; nec huic malo curando ſufficere largum proventum Gvajacæ in his terris creſcentis. Non tacet tamen etiam quasdam virtutes Hiſpanorum horum, liberalitatem nempe & beneficentiam, deque cauſis decreſcentis eorum potentiæ & felicitatis in his regionibus ſolide & graviter diſſerit. Clericorum porro mores æque corruptos ac Laicorum data occaſione ſæpius taxat, & fœdas admodum excuſationes, quibus peccata carnis palliare ſueverint, refert. Acerbitatem quoque, qua utuntur erga miſeros Indos in exactionibus aliisque, & impudentiam in fingendis miraculis vivis coloribus depingit. Clericos ait ignorantiſſimos, nihilominus tantopere coli, ut veſtem ſacerdotis deoſculari in maximo habeatur honore apud Indos, nec quisquam Mexici in urbe primaria commode degere poſſit, qui non plurimum venerationis eisdem exhibeat; præterea templa eos habere vaſis ſtatuisque ex auro argentoque ſolido factis ſplendidiſſima. Jeſuitas tamen ait prudentius in moribus & humanius erga Indos ſe gerere, adeoque omnium amorem ſibi conciliare, eruditionisque & zeli laude præ cæteris elucere, tolerandos forte, niſi commerciis ſe immiſcerent, ac bona immobilia immodico pruritu ad ſe raperent, quæ Regi aliquando

 damno

damno futura eſſent, niſi æmulatione & invidia reliquorum ordinum limites ipſis ponerentur. Indorum conditio miſerrima, qui mancipiorum viliſſimorum loco habentur ab Hiſpanis, adeo ut verberibus graviſſimis affectum viderit Autor, qui morbo & neceſſitate urgente ad ventrem levandum ab opera vel pauxillum diſceſſiſſet. Imo ab Hiſpanis pro perfectis hominibus fere non habentur, judicantibus eosdem organa ad percipiendum Chriſtianiſmum non ſatis habere diſpoſita. Unde illi quidem ſibi perſuadent, omnes transmarinos homines tantum ad diripiendum ſuum aurum, uxores, terras adveniſſe, eosque vulgo χρυσοφάγυς appellitare ſolent. In rebus religionis & fidei profundiſſima eorum ignorantia, nec ſacerdotes ſuos alia ex ratione venerantur, quam quod credant, eos diaboli fugandi, quem maxime metuere dicuntur, & miraculorum faciendorum poteſtatem habere. Creatorem aliquem univerſi hujus, quem *Pachacamac* vocant, olim venerati ſunt, cumque Yncæ ſive Reges ipſorum Solis cultum introducerent, ſe hoc bona cum venia illius Pachacamaci facere gloriati ſunt; quorum ſtratagema imitantes Jeſuitæ, id operam dant, ut populo perſuadeant, hunc eundem Pachacamacum eſſe Hiſpanorum Deum, ſaltem addentes, eum priori lege abolita jam novam, ſecundum quam coli velit, quæque a Jeſuitis annuncietur, tuliſſe. Ipſi univerſalis diluvii aliquam notitiam obſcuram habere traduntur, loco columbarum a Noacho, teſte ſacro Scriptore, emiſſarum ſubſtituentes damas; ejusque traditionis etiam apud Braſilianos veſtigia aliqua occurrere, alibi monet Autor. Neque minus reſurrectionis mortuorum finisque mundi per incendium conflagraturi aliquam ipſis eſſe ideam, teſtatur. Ex quo forte factum, quod pridem cum mortuis magnatibus & uxores fuerint ſepultæ, & ex ſervis quotquot ſe ſponte obtulerant, quorum tantus quandoque numerus fuit, ut plurimi ad idem officium non admitterentur. Veſtales virgines Soli dicatas habuere, quæ capitale ſupplicium meritæ cenſebatur, ſi caſtitatem violaſſent, quod effugere non poterant, niſi juramento adſeveraſſent, Solis influentiæ graviditatem ſuam deberi. Indi, qui inter Orenoquam

fl. &

ſi. & Cumanam habitant, ſolari lumine deficiente jejunia celebrant, crines vellunt, facies cædunt ad ſanguinis effuſionem usque; Cometas clamore horriſono & incondito fugare tentant. Sacrificulis ſuis virginitatem ſponſarum ſuarum delibandam committunt. Apud eosdem loco omnis munimenti poſſeſſionum ſuarum retia, circum easdem expanſa, quæ violare, aut transgredi inauditum crimen. Braſiliani quidem inter Portugallos viventes feritatem ex parte deponunt, audiuntur tamen ſæpe etiam ex iis qui ad Chriſtianiſmum converſi ſunt, de numero hoſtium a ſe cæſorum & devoratorum glorianteſ: hos enim ſolos ab his gentibus ἀνθρωποφάγοις devorari ferunt. Paradiſum quoque ſomniant, quem ultra montes in finibus ſuis locant, in quo cum majoribus ſuis vitam lætam ſe acturos credunt, ſcilicet, qui ut ipſi bene vitam egerint, id eſt, quamplurimos hoſtes occiderint, & in ventrem abdiderint. Ceterum quantum ad iter Autoris, ille *Carthagena* profectus *Mexici* primo, dein *Jamaicæ* & in litoralibus Hiſpanorum aliis urbibus, poſt in *Braſilia*, ac demum *Limæ* moratum ſe refert, & cauſam fugæ ex hac urbe in *Quitum*, unde terreſtri itinere porro etiam in *Popayanam* tranſiit, non diſſimulat, odium nempe & inſidias clerici cujusdam, quem rivalem in amore habuit. Tandem Anglia quoque & Batavia luſtratis, in patriam *Carthagenam* rediit.

Quæ huic itinerario Tomo ſecundo acceſſit relatio *Gualtheri Raleigh* Angli de itinere in *Guianam* 1595 ſuſcepto, eam facile prætermittimus, tum quod jam pridem videtur impreſſa, tum quod nec ipſe Ralegius, nec quisquam alius, præter unum Johannem Martinez, Guianam opulentiſſimam provinciam attigit. Nec nos morabitur, quæ eidem Tomo acceſſit, Relatio de Inſulis novis Philippinis, *Palaos* dictis, quas 1710 Duberon & Cortil Jeſuitæ ingreſſi ſunt.

Tomo III exhibetur relatio itineris, quod *Narboroughus* Anglus juſſu *Jacobi* Eboracenſium Ducis poſteaque Angliæ Regis 1669 in pacificum mare per *fretum Magellanicum*, quod quidem accuratius inveſtigare primarius hujus navigationis ſcopus fuerat, inſtituit. Hic cum duabus navibus prætervectus

Digitized by Google

Maderam & *inſulas Capitis viridis*, litoraque *Braſiliæ* legens, ad *Caput blancum* & ad *Portum deſideratum* pervenit, demumque ex oppoſito ejus in Inſula, quæ a *Pinguoinis*, amphibii quodam genere, dicitur, diutius moratus eſt, & nomine Regis *Caroli II* totius ejus regionis & continentis poſſeſſionem cepit. Ibi magnum numerum vitulorum marinorum, quorum caro guſtu non cedit agninæ, deprehendi obſervat. Ipſa litora deſerta quam quæ maxime, ſicut & in ulterioribus littoribus ad *Baldiviam* fere usque, ubi hominum veſtigia fere nulla, terra fere omnis nec metallorum proventibus felix, nec ligni ferax, & nitroſa potius deprehenſa, præterquam circa portum *S Juliani* & quædam loca in freto. Struthionum tamen illic copia, etſi minorum quam in Barbaria Africæ, & in cibum quoque cedentium. Navigationem per fretum omni periculo vacuam deprehendit. *Portum a fame* dictum omni quidem frumento & fructibus habitatoribusque deſtitutum, ſed aqua bona piſcibusque & ligno abundantem offendit. Progreſſus vero ad *Baldiviam* usque & loca cultiora, atque ab Hiſpanis litora obſidentibus aliquandiu detentus, cum nulla cum indigenis barbaris miſceri commercia poſſe intellexiſſet, rediit in Angliam. Sequitur *Abelis Taſmanni* expoſitio de terris auſtralibus, quas, navigatione 1642 14 Aug. inde a *Batavia Javæ* inſtituta, adiit. Hic primum inſulam *S. Mauricii* prope Africam accedens, dein vaſtiſſimum Oceanum inter 4 & 5 latit. auſtrinæ navigans usque ad *terram Diemen* pervenit, ejusque litora ſalutavit. Inde *novam Zeelandiam* adiit, quæ, quantum ex conſpectu judicari poterat, bona ſatis, ſed incolæ ejus latrociniis dediti mores & cultum corporis Japonenſium quodammodo æmulabantur. Inde acceſſit inſulas *Amſterdam* & *Roterdam* dictas, inque poſteriori ſpeciem quandam hortorum admodum ad juſtam regulam ordinatorum deprehendit. Porro *inſulam principis Wilhelmi* vocatam, inſ. *Anthonii Java*, inſ. *Wilhelmi Schouten*, ulteriusque borealia litora *Guineæ novæ* prætervectus, in cujus poſtremæ vicinia terræ motum in ipſo mari, ſcilicet navem cœlo & aere tranquillo concuſſam, ſenſit, indeque in Bataviam, poſt iter

10 men-

Digitized by Google

10 menſium rediit. His ſubjungitur Patris *Nyet* relatio de miſſione Jeſuitarum ad *Moxos* Lima 1705 20 Maji perſcripta, quæ quidem jam extat in ſylloge illa, quæ ſub titulo *Lettres edifiantes des P. Miſſionaires* in Gallia edita: ex qua ſaltem notamus, hanc miſſionem primum circa annum 1675 ad illas gentes, quæ fines orientales *Peruviæ* accolunt in latit. auſtr. 12 fuiſſe inſtitutam. Miſſionarii nunc ſunt fere 30, converſorum 25 vel 30 millia. Miſſio, quam vocant, ſeu tractus, quem inhabitant neo-converſi, civitates & vicos, in plateas rectilineares diſtinctos, complectitur: cuilibet patri familias portio terræ colenda aſſignata, cujus proventus in commune ſocietatis univerſæ horreum ab ipſo deportantur, e quo quantum quisque pro neceſſitate familiæ ſuæ opus habet, repetit a Jeſuitis, qui adeo ſacram pariter ac civilem poteſtatem adminiſtrant, populis obedientiſſime imperata facientibus. In medio harum miſſionum eſt ſedes primarii ex hiſce Patribus, bibliotheca & pharmacia inſtructa. Sequitur tandem hiſtoria vitæ & mortis *P. Cypriani Baraze* ex S. J. cum relatione de ſtatu ejusdem miſſionis per *Nicolaum Urbanum de Mata*, Epiſcopum *civitatis la Pax* in *Peruvia*, typis commiſſa *Limæ*. Hic circa naturam regionis notatur, quod quatuor anni menſibus terra aquis inundata incolas a mutuo commercio prohibeat, reliquo tempore calore cum frigore alternante. Unde ſæpe peſtis & fames, item magna ſerpentum & inſectorum copia, ſterilitasque ſoli, nec frumento nec vineis apti, bobusque tantum & armentis abundantis. Incolæ ob has difficultates admodum in diverſa ſparſi, piſcibus fere tantum & radicibus aluntur, potu, quem amant, utuntur inebriante; mores olim feri: matre enim mortua infans editus etiam neci dabatur, pariterque ex gemellis editis unus, duos quippe ab una matre nutriri poſſe dubitabant: polygamia utebantur, etſi parcius ob inopiam. Solem, ſtellas, lunam, tygrides, fluvia, idolorumque parvas imagunculas adorabant, ſed ſine cultu exteriori aut ſolenni. Centum vero abhinc annis in urbe Peruviæ *S. Crucis de la Sierra* Miſſionariorum ſedes fixa fuit, unde in viciniam excurrerent: primusque *Cypria-*

nus

nus Baraze eo ivit, qui a ſuperioribus multis precibus obtinuit, ut ſibi hæc provincia ac miſſio decerneretur. Hic itaque aliquot annis non ſine ſucceſſu commoratus, poſtea *Chiriguanes*, quorum linguam non exiguo labore addidicit, adiit, at propter morum eorum feritatem parum proſperos ſucceſſus metuens, ad ſuos *Moxos* rediit, indeque poſt quinquennium ad alios Indos converſus, morum dulcedine & ſibi & Chriſtianiſmo plurimos conciliavit, imo & formam regiminis politicam apud eos inſtituit, capita familiarum ceteris præficiens, variarumque artium cognitione eos inſtruens. Ne vero inopia alimentorum nova hæc reſp. diſſolveretur, ipſe armentorum boumque gregem, quibus regio deſtituebatur, ex urbe *S. Crucis* adduxit, ex quo tempore armentorum copia hæc regio abundat. Quibus factis, ad *Coſecomonienſes* ſe contulit, eosque obſequentes offendens *Miſſionem S. Xaverii* fundavit. Poſt *Cirionenſes* aliosque adiit, & quosdam permovit, ut ſedes ſuas ad *Moxos* transferrent. Cum via longior videretur per quam cum Conventu ſociorum ſuorum *Limæ* communicare poſſet, breviorem per invios montes & nullis calcatam hominibus viam quærens, demum quarto anno eam invenit, unde jam compendioſiore 15 dierum itinere *Lima* ad *Moxos* pervenitur. Poſtea *Tapacures* acceſſit, tandemque *Bauros*, maxime, ut mores promittebant, politos & ad humanitatem accedentes, ſed apud quos tamen martyrium expertus crudeliterque ſagittarum ictibus confoſſus obiit 1702 die 16 Septembris.

CARMINA ILLUSTRIUM POETARUM Italorum.

Tomus IX.

Florentiæ, ap. Jo. Cajet. Tartinium & S. Franchium, 1722, 8. Alph. 1 pl. 14.

CUm de prioribus octo Tomis hujus Collectionis dictum nonnihil ſit in Supplem. T. VIII Sect. IV p. 192, nolumus plane indictum relinquere nonum iſtum, nuper admodum editum, qui cum Poetas a literis S. & T. incipientes LIV complectatur, haud multo plures Tomos deinceps prodituros, facile liquet.

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII Sect. VII.

DEFENSE DE LA RELIGION CATOLIQUE,

h. e.

***DEFENSIO RELIGIONIS CATHOLICÆ** contra omnes, quotquot habet, hoſtes; ſecundum vera principia, tribus Dialogis comprehenſa. Autore MICHAELE LE VASSEUR, Diœceſeos Bleſenſis Sacerdote.*

Lutet. Pariſ. apud Phil. Nicol. Lottin, 1721, 8.
Plag. 21.

UBi ſecunda hujus libri editio, quæ primam, ferme ante viginti annos in lucem emiſſam, nobis autem non oblatam, ſequitur, ad manus noſtras pervenit, digna ea nobis viſa eſt, cujus ſumma in his Eruditorum Actis legatur. In præfamine S. Rev. Autor ſibi in animo eſſe aperit ea, quæ in multis magniſque contra Catholicæ religionis inimicos ſcriptis libriſque extent, breviter tribus Dialogis complecti, & Catholicorum, hoc eſt, eorum qui Papam pro viſibili ſuo capite habent, nomine expoſito, docet, velle eosdem, ut quilibet religioni ſe ſubmittat ſua ratione uſus, quæ ipſum eo perducat, ut traditionem Catholicorum non fallere, S. Codicem eſſe verbum Dei, cujus veram illi ſequantur ſententiam, & Eccleſiam ea omnia pro autoritate, quam a JESU CHRISTO acceperit, confirmare credat; idcirco & rationem, & tradi-

 tionem

tionem,& S. Codicem vera eſſe principia, quibus Eccleſia Catholica, ut ſuos inimicos ad ſe trahat, pro jure, quo polleat, utatur. Conſtat autem hic libellus *duabus partibus*, quarum *prior* tres Dialogos, *poſterior* autem eorum, quæ in iis prolata & diſputata ſunt, confirmationem continet. In *primo* Dialogo, qui contra Atheos, Deiſtas aliosque infideles eſt compoſitus, primum
p. 2. *Atheos* impugnat, & ex cœli, terræ, corporis animæque humanæ conſideratione oſtendit, eſſe Deum, & tametſi ſint Athei cum practici tum negativi, qui ex iis, quæ vident, nihil veri ob ſtupiditaten colligere, nec ex ordine, quo ipſa rerum natura totusque mundus conſtant, eſſe ſupremum Numen, quod univerſo orbi præſit, judicare valent, nullos tamen ſpeculativos exiſtere. De populis ratione & ingenio pollentibus, qui tamen religione careant, ſtatuendum eſſe, eos quidem ſummi Numinis exiſtentiam concedere, ſed vel ei libertatem denegare, & ideo omnem illius venerationem vanam pronuntiare, vel ejus majeſtatem eſſe tam ſublimem, ut nihil ei congruat, nihil quo coli poſſit, extet. Gentes illud ſibi finitum & corporeum imaginantes, non ejus exiſtentiam ſed eſſentiam impugnaſſe; Paulo gentes Eph. II, 12 non eſſe Atheos ſpeculativos, ſed practicos; nonnullos antiquorum Philoſophorum ideo iis eſſe annumeratos, quoniam falſorum Deorum cultum rejecerint; Foetum, Ruggerium, & Vaninium, Deum paulo ante mortem negantes, aliud dixiſſe, aliud cogitaſſe, atque non ſanam rationem ſed vehementes animi motus ſecutos eſſe. Ex inſectis etiam elucere Dei ſapientiam, & ex ordine naturæ non tantum ejus exiſtentiam, ſed etiam perfectiones cognoſci, at ejus immaterialitatem cum immenſitate, immutabilitatem cum libertate, & ſanctitatem cum malis in terra exiſtentibus vix nos poſſe conciliare.
23. Tum eidem cum *Deiſtis*, qui vel Deum curam rerum inferiorum gerere negant, vel eum omnibus religionibus nullo habito delectu delectari ſomniant, vel ſolam naturalem relig. amplectuntur, revelatam contra repudiant, res eſt, & hanc omnino extare, eamque non eſſe aliam, quam antiquam Judaicam & hodiernam Chriſtianam e miraculis confirmat, quæ revera, æque ac Muhametem, a quo Coranus profectus ſit & Confucius,

fucius, qui apud Chinenſes floruerint, extitiſſe, & patrata eſſe, negari nequeat, imo ob Eccleſiæ teſtimonium certa ſint atque firmiſſima. Ac ne quid erroris eorum commemorationi ſubeſſe quis ſuſpicetur, pro certo ponit, & operationes ſenſuum humanorum, ſi recte ſe habeant, minime fallere, & lumen naturæ, quod hominibus inſit, facere, ut ea, quæ damnum afferant, vitent, & quæ bona ſunt, quærant, & amplectantur; idcirco conficit, fieri non poſſe, ut iis, quæ Scriptores Eccleſiaſtici de Chriſti miraculis tradiderint, aliquid falſi inſit, quia illi annotarint, ſe audiviſſe, omnes Paſtores Catholicos hæc miracula prædicare, & ſe vidiſſe, illa in omnibus Scriptoribus inde a Chriſti ætate viventibus narrari, de quibus nemo dixerit, illos ea, quæ nec ab iis viſa, nec audita, protuliſſe, & omnia finxiſſe, atque alios in fraudem deducendi animum habuiſſe, inprimis cum conſtet, eosdem relicta priori religione ſeveriſſimam eſſe amplexos, & ob eam varia & intolerabilia mala ſubiiſſe. Deinde miracula Chriſti enumerat, eaque nonniſi ab ipſo profecta eſſe, atque cum fidem mereri, tum Chriſtianam religionem egregie ſtabilire, demonſtrat. Dum inter dogmata miraculis confirmata & hæc referenda cenſet, quod ipſe Deus religionem, qua coleretur, præſcripſerit, & quod S. Codex ſit verbum Dei, cuidam ſibi objicienti, nonnullos veterum Doctorum, libros, qui Apocryphi dicantur, item Epiſtolam Pauli ad Hebræos, ſecundam Petri, ſecundam & tertiam Johannis, Jacobi & Judæ ut & Apocalypſin pro parte ejusdem non habuiſſe, reſpondet, eorum ætate rationem illos in canonem referendi non omnibus innotuiſſe, iisq; decretum Eccleſiæ ad fidem iis habendam defuiſſe. Qua de cauſa tandem Epiſcopi Catholici, eos verbum Dei eſſe, prout traditio ad ipſos transmiſſa docuerit, decretum fecerint, quod ab omnibus Catholicis ſit approbatum. Deinceps ad *infideles* pergit & primum cum *gentilibus* congreditur, quibus Jeſum & Apoſtolos artis magicæ fuiſſe peritos, & ſua prodigia ope dæmonum confeciſſe ſomniantibus, quatuor opponenda cenſet. p. 40. *Primum*, Magos ſua doctrina & factis homines ad idololatriam variaque vitia & crimina perduxiſſe, cum contra Chriſtus ejusque Apoſtoli iis verbum Dei, cultum, honeſtatem & virtutum ſtudium

 per-

Digitized by Google

perſuadere conati ſint, quapropter etiam paganiſmus ſuum a-miſerit vigorem, hominesque ſanctæ vitæ ſtudentes in mundo eſſe cœperint. *Alterum:* ex collatione prodigiorum magicorum & miraculorum Chriſti conſtare, hæc illa multum ſuperare. Etenim,ſive quis eorum naturam conſideret, patere, e.g.Veſpaſiani ſanationem cœci & paralytici a Dæmonibus eſſe profectam, vel certe ab ejusdem Medicis illam potuiſſe fieri, cum prorſus alia ratio in cœcis a Jeſu ſanatis ſit obſervata; Apollonii curationem hydropici ex naturalibus cauſis eſſe profectam, filiam vero, quæ ab eo reſuſcitata dicatur, non revera fuiſſe mortuam; ſive quis illorum *effectus* expendat, eſſe manifeſtum, Apollonium paucos, Jeſum vero innumeros habuiſſe diſcipulos, qui alios ejus doctrina imbuerint; ſive quis ad *certitudinem* eorum animum applicet, & tum deprehendi, Apollonii vitam centeſimo & vigeſimo ab ejus morte anno a Philoſtrato eſſe compoſitam, multisque fabulis refertam; cum ea, quæ de Chriſto literis relata ſint, in dubium vocari nequeant. *Tertium*: JESUM & Apoſtolos Magos ſibi oblatos hoſtiliter eſſe aggreſſos, & ita impugnaſſe, ut eos ſuccumbere oportuerit. *Quartum*: JEſum & Apoſtolos ipſos Dæmones invaſiſſe, &, ut continuo cederent, coegiſſe. Ac dum videt, ſibi quempiam objicere poſſe, quod ſpiritu & potentia ſingulari, qua Chriſtus & Apoſtoli fuerint præditi, factum ſit, ut Magis præſtarent, ex eo quærit, utrum Spiritus ille fuerit bonus an malus? contenditque,non poſſe eſſe malum, quia non vitæ pravitatem ſed ſanctitatem docuerit, & cum ſit bonus, eum eſſe pro digito Dei habendum. A gen-
p. 59. tilibus ad *Judæos*, qui V. T. nitantur, ſe convertit, hosque ita refellit, ut dicat, eos libros V. T. & inprimis vaticinia non intelligere, characteres Meſſiæ JESU noſtro exacte convenire, legem cultumque Moſaicum debuiſſe ceſſare, & re vera ceſſaſſe, JESUM vaticinia illa ad ſe ſpectare miraculis demonſtraſſe,eoq; Judæos, ut eum verum Vatem a Deo miſſum agnoſcerent,obſtrictos eſſe. Poſtremo contra *Muhametanos*,perhibentes, eſſe ſummi Numinis voluntatem, ut Chriſtiana religio ad certum tempus duret, probat, Deum velle utique, ut ea usque ad finem ſeculi ſit unica,in qua ſibi cultus exhibeatur, hominesq; ſalventur, paracle-

tum

tum vero Apoſtolis promiſſum non eſſe Muhammetem, ſed Spiritum S. Si quis tandem quærat, qui fiat, ut hæc argumenta infideles eo non perducant, ut Chriſtianæ religioni accedant, reſpondet, eorum vim quidem ſe in illorum intellectu exerere, non autem eorum voluntatem cogere. Eſſe eos quidem convictos, Chriſtianam religionem eſſe veram, nolle tamen ſe officiis ab illa præſcriptis, ut par ſit, adſtringere. In *ſecundo* Dialogo *Calvinianos, Lutheranos, Socinianos*, & alios, qui ſe Chriſtianos dicant, non autem ſint Catholici, petit, oſtenſurus illos non poſſe eſſe certos, ſe veram religionem Chriſtianam ſequi. Qua de cauſa infideli, ignoranti, quos inter eos, qui illam profiteantur, ſequi debeat, ſuadet, ut ſe Catholicis & non Calvinianis jungat, quia hi, æque ac ceteri illi, neque certitudinem infallibilem neque moralem, quod vera Chriſtianæ religionis dogmata amplectantur, habeant. Quod ut demonſtret, tradit, Catholicos ex traditione generali & perpetua firmiter eſſe perſuaſos, libros S. Codicis revera eſſe divinos; cum Calviniani illam rejicientes, contendant, ſe, ut idem credant, adduci, vel *Spiritus S. teſtimonio*, cum tamen revera illam perſuaſionem a Spir. S. eſſe, oſtendere nequeant; vel *lectione librorum Canon.* cum tamen nondum inter ipſos conveniat, qui libri ad Canonem pertineant, & nullus ab eis liber ſit receptus, cujus divinitas a Deiſtis, ſtatuentibus, eos ab hominibus naturale lumen ſequentibus eſſe compoſitos, non impugnetur, nec poſſint eſſe certi, ſe ea omnia intelligere, quæ in illis libris proponantur, atque ſi etiam illos intelligerent, ex eo quidem conſenſum religionis cum illorum autoribus, non vero eos divinitus inſpiratos eſſe, conſtare; vel *perfectione doctrinæ* ibidem expoſitæ, quæ tamen tantummodo indicet, Autores eorum purum humanæ rationis lumen ſecutos eſſe; vel *vaticiniis*, cum probandum ſit, revera illa extitiſſe, & multo ante, quam res in iisdem propoſitæ acciderint, edita eſſe, id quod ſine aliorum teſtimonio fieri nequeat, & ſi etiam ita res ſe habeat, ex eo tamen illud ſolum conſtare, vaticinia quidem illa, non vero etiam alia in S. Codice contenta, eſſe verbum Dei; vel *myſteriis*, ibi traditis, cum ea Deiſtæ negent, & Sociniani Trinitatem & Incarnationem aliter ac Calviniani explicent; vel *cognitione articu-*

p. 63.

ticulorum fidei ad ſalutem neceſſariorum, quorum cauſa legendi; cum Proteſtantes in iis, qui ad ſalutem ſint neceſſarii, conſtituendis a ſe diſſentiant, & id, quod S.Codex in rebus ad ſalutem cognitu neceſſariis clarus exiſtat atque perſpicuus, ſit principii petitio; vel *eo, quod alios non curent*, ſed ipſa lectione S. Scripturæ, quæ ad ſalutem æternam ſpectent hauriant, id quod Spiritus S. gratia fiat; cum cauſam,cur ſuam opinionem a gratia Spiritus S. profectam eſſe, credant, ignorent. Cum quidam ex eo ſuæ religionis certitudinem firment, quod bonam habeant intentionem, pietati honeſtatique ſtudeant, atque animi tranquillitate fruantur, reſpondet, alios idem de ſua religione ſentire, quorum tamen animi tranquillitatem erroribus innixam, merumque lethargum habendam eſſe cenſet. Cum porro ſe S. Codicis interpretationes a primis Reformatoribus, qui peculiarem ad ſacrum miniſterium acceperint vocationem, propoſitas ſequi perhibeant, negat illos, ut emendationem in Eccleſia ſuſciperent, habuiſſe vocationem, utpote qui receptas doctrinas rejecerint, ab hominibus plebejis fuerint electi & ordinati, atque tametſi Catholicos variorum errorum poſtulaverint, ipſi tamen in Eccleſiam permultos intulerint. Cum etiam ſint, qui affirment, omnes, quotquot quondam extiterint, Eccleſiæ Paſtores, errores cum principiis religionis Chriſtianæ pugnantes docuiſſe, id prorſus negat, contenditque, Juriæum traditionem approbaſſe, & Calvinianos, docentes, eos articulos fidei eſſe fundamentales, quos omnes Chriſtiani profiteantur, ac Chriſtianos eſſe illos, qui articulos fidei fundamentales recipiant, circulum committere. Præterea cum iidem in interpretando S. Codice miniſtrum aut paſtores, qui non ſint infallibiles, ſequi vetent, & quemlibet ex ſe de vera ejus ſententia judicare poſſe ſtatuant, id maximopere culpandum cenſet, cum primum Codex S. ſit credendorum materia & non principium, aliamque prorſus oporteat eſſe regulam, ex qua conſtet, Codicem S. eſſe verbum Dei, ejusque ſenſum, quem quis tenet, eſſe verum, deinde Ariani, Macedoniani aliique Hæretici in eadem fuerint opinione, tandemque illud rationem errores a veritate diſcernendi tollat. Cum etiam Synagoga Judaica quondam erraſſe fera-

feratur, quod JESUM Meſſiam eſſe negaverit, pii & cordati Judæi ea ætate viventis fuiſſe ſentit, neque autoritatem Eccleſiæ, neque Chriſtum, ſed hujus miracula reſpicere. Cumque Arianis fuerint ſua Concilia, eum Chriſtianorum ſibi conſuluiſſe optime, qui traditioni in Concilio Niceno defenſæ adhærere ſecum ſtatuerit, & cum Paulus unicuique rerum ſacrarum examen commendet, 1 Theſſ. V, 21, id non ſine regula, qua tamen Calviniani careant, inſtitui debere docet. Quapropter cum hi neque infallibiliter neque moraliter de veritate ſuæ religionis certi ſint, communique cum Hæreticis utantur principio, ut de meliori religione ſint ſolliciti, iisdem ſuadet. Extremo *Socinianos* p. 107.
eodem modo aggreditur, & hos certo ſcire, Evangelium primum N. T. eſſe Matthæi, & ſe habere dictorum S. Codicis veram ſententiam, negat, quia traditionem, ex qua utrumque conſtet, repudient. Eorum ſententiam, quod libri S. Codicis tam clari & aperti ſint, ut ſit nemo, qui eos non intelligat, experientiæ repugnare ſtatuit, id quod ex eo etiam pateat, quod in articulis fidei non conveniant, & Deum ſe revelaſſe, non ex ratione ſed traditione conſtet. Quod eorum cœtus quondam creverit, inde factum, quod illorum doctrina cordi humano blandiatur, libertatem credendi permittat, mandata Dei hominem naturalibus viribus perficere poſſe, publicam fidei profeſſionem non eſſe neceſſariam, peccata habitualia tantum damnare, pœnasque inferni eſſe temporales, tradat; qui tamen poſtea ita ſit diminutus, ut inter Turcas tantum toleretur. In *tertio* Dialogo, cujus ſumma eo ſpectat, ut S. Rev. Autor probet, Catholicos 119.
eſſe quam certiſſimos, ſe veram tenere religionem Chriſtianam, exiſtimat, primo neceſſe eſſe, ut extet ſubſidium, quod fidei articulos a JESU & Apoſtolis prolatos demonſtret, & cum illud non ſit ipſe Codex S. eſſe teſtimonium, quod ex traditione generali ad ſe per tot ſecula delata Eccleſia Catholica de illis præbeat, recteque ſe habeat, quia facta ſpectet, atque Papæ ſubjectos cum Chriſtianos tum Catholicos conſtituat. Tum, ut ſuam ſententiam ab adverſariorum objectionibus vindicet, notat, aliud eſſe ſub examen vocare facta, aliud vero ejus examinis habere certam regulam, qua Calviniani deſtituantur; Catholicam Eccleſiam
in

Digitized by Google

in nullum errorem unquam eſſe ductam, Scriptores Eccleſiaſticos ſibi in particularibus non in notoriis & publicis impoſuiſſe, concilia, quæ illa, quæ ab anteceſſoribus non acceperint, protulerint, erraſſe, doctrinam Cypriani de Hæreticorum baptiſmo & Chiliaſtarum traditioni communi eſſe adverſam, quosdam Hæreticos falſam traditionem arripuiſſe, antiquos Eccleſiæ Græcæ doctores etiam Papam viſibile Eccleſiæ caput habuiſſe, Ariminenſe concilium primum orthodoxis poſtea Arianis faviſſe, Conſtantinopolitanum, in quo decretum, ne Eccleſia Græca poſthac ex Papæ autoritate pendeat, a Joanne VIII irritum eſſe factum, præſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna non demum a Paſchaſio Rudberto inventam, ſed jam antea creditam, fruſtraque a Jo. Scoto, qui tamen in nullo concilio damnatus fuerit, impugnatam eſſe, doctrinam fidei Seculi primi ab ea, quæ Seculi decimi & octavi, apud Catholicos differre, non niſi ex traditione oſtendi poſſe, & Eccleſiam Romanam olim puram hodie impuram eſſe, Calvinianos, qui de verbo Dei non ſint certi, probare non poſſe, imprimis cum comparatione non argumento utantur, ac loca veterum Eccleſiæ Doctorum, qui Catholicorum doctrinæ adverſari videantur, ex traditione explicanda eſſe. Deinde dum in eo eſt, ut hoc teſtimonium infallibile eſſe monſtret, tradit, ſæpius fieri, ut & populo, & provinciæ, & oppido, & quibusdam hominibus, imo & uni fides ſit habenda, & hac ratione Eccleſiam Catholicam in iis, quæ ad fidem pertinent, non fallere; ejusmodi teſtimonio uti quidem Muhammetanos, ſed eo probari tantum, quomodo ſe habeat eorum religio, non autem eandem eſſe veram. Inter Catholicos controverſias eſſe non de articulis eſſentialibus, ſed de iis tantum, qui nondum ſunt proſcripti & damnati; atque fidem Catholicorum non eſſe humanam, ſed divinam, quia nitatur verbo Dei & teſtimonio Eccleſiæ, quod ſit medium, ex quo illius veritas certiſſime cognoſcatur. Cuidam quærenti, unde poſſit eſſe certus, hujus teſtimonii rationem ubique haberi, dicentique, ſibi ejus cauſa vel omnes in univerſo terrarum orbe cœtus Catholicos adeundos eſſe, vel Paſtori, qui tamen fallere ſuamque propriam opinionem traditionis nomine occultare poſſit,

fidem

Digitized by Google

fidem habendam eſſe; reſpondet, eum, qui oculis propriis in percipiendis iis, quæ Paſtor Eccleſiæ cum Eccleſia Catholica doceat, utatur, non poſſe falli, & hunc, ſi de univerſali doctrina velit fieri certior, oportere literas ad alias nationes mittere, quibus ab iis petat, ut ſibi perſcribant, quæ ſint ſuorum Paſtorum dogmata. Poſtremo ſi quis Catholicorum ſcire velit, unde ſibi conſtet, ſe veram alicujus loci S. Codicis tenere ſententiam, ait, non quæri de omnibus ejusdem locis, cum multi intellectu ſint difficiles, ſed de iis, quibus contineantur articuli, quos Chriſtus ad ſalutem creditu neceſſarios conſtituerit, nec dubitandum eſſe, quin ipſi eorum verum teneant ſenſum, quandoquidem eos, prout articuli fidei ſuæ poſtulent, interpretentur, & ipſi infallibiliter de eo ſint certi, quod fidei ſuæ articuli ſint ii, quos Chriſtus & Apoſtoli ad ſalutem neceſſarios conſtituerint. Antequam his finem imponit, fatetur, inter Catholicos & Proteſtantes tantam non eſſe differentiam, ut quidem ſibi multi perſuadeant, tum id omnino largitur, quod neque invocationis Sanctorum, neque venerationis ſacræ imaginum, neque ſacrorum quadrageſimorum, neque precum pro mortuis in celebratione miſſæ, neque aliorum, quæ in Eccleſia Catholica ſint in uſu, Codex S. ullam mentionem faciat, quæ tamen per traditionem univerſalem, prout ab Apoſtolis ortum habeat, Eccleſia receperit, quæ etiam dies feſtos, jejunia, abſtinentiam a comeſtione carnis, proceſſiones & alia ab Apoſtolis non inſtituta ideo obſervet, ut fideles de myſteriis modeſte ſentire & pietati ſtudere diſcant. In *poſteriori* ſuæ defenſionis religionis Catholicæ parte confirmationem eorum, quæ his tribus Dialogis tradidit, affert. Ut ea quæ in *primo* Dialogo contra Atheos diſputavit, ſint firma, & Chriſtianam religionem in omnibus terrarum locis intra paucos annos eſſe receptam, Sect. I, & Apoſtolos eorumque diſcipulos multa feciſſe miracula, S. II oſtendit. Cum in Dialogo *ſecundo* Proteſtantes impugnaverit, jam in eo eſt, ut probet, eos uſque ad præſens tempus in articulis ad ſalutem neceſſariis non conſentire, S. I, Calvinianos, neque leges Eccleſiaſticas neque civiles in conſcientiâ obligare, docere, S. II, eosdem ordinationem primorum miniſtrorum falſo jactare, S. III,

Digitized by Google

ex eorum doctrina, cum marito, tum uxori, ſi alter conjux fuerit infidelis, S. IV, vel diu abſens, novi conjugii dari licentiam, S. V, eosque religionis cauſa multa crudeliter feciſſe, S. VI. Proteſtantes contra Catholicos multorum errorum, S. VII, & quidem 1) idololatriæ, 2) ejus, quod Jeſum Chriſtum non unicum mediatorem agnoſcant, tum 3) ratione bonorum operum, 4) invocationis Sanctorum, 5) quantitatis corporis Chriſti in S. Cœna, ac ſi ibi eadem ſit, quam habuit cruci affixus, 6) præſentiæ realis, 7) adorationis Jeſu Chriſti in S. Cœna, 8) ſacrificii miſſæ, 9) ceremoniarum precumque miſſæ, 10) & 11) ſacrificii crucis, 12) ſacerdotum, 13) memoriæ mortis Chriſti in miſſa, 14) remiſſionis peccatorum, 15) ſatisfactionis per opera, 16) indulgentiarum, 17) purgatorii, 18) Papæ, 19) conciliorum, & 20) lectionis Codicis S. poſtulare; imo celebrium Proteſtantium in eo eſſe conſenſionem, quod religio Pontificia Doctoribus quinque priorum ſeculorum in multis repugnet, Sect. VIII, & quidem ſpeciatim C. 1 in ſacrificio miſſæ, c. 2 in precibus & ceremoniis, quæ in miſſa obſervantur, c. 3 in præſentia reali & transſubſtantiatione, c. 4 in Euchariſtiæ reſervatione & delatione ad ægrotos, c. 5 in jejunio Sacrorum quadrageſimalium, c. 7 in confeſſione, c. 7 in precibus pro mortuis, & c. 8 in invocatione Sanctorum ac veneratione reliquiarum. His ea, quæ de Socinianorum dogmatibus monenda eſſe cenſuit, Sect. IX ſubjicit. Poſtremo, ut iis, quæ Dialogo *tertio* pro Romano-Catholicis diſputavit, ſua conſtet veritas, primo argumenta ad probandum primatum Papæ ex octo prioribus ſeculis, S. I, tum, quod Sec. IV numerus Catholicorum Arianos ſuperaverit, S. II in medium profert; profeſſionem porro fidei Catholicæ, ut eſt S. Codici conſentanea, quæ cum ex Symbolo Apoſtolico, quod omnium Chriſtianorum, tum ex iis articulis fidei, qui Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſunt proprii, conſtat, S. III exhibet; tandemque, Catholicos ſolos eſſe Chriſtianos, qui ſemper fidem ſuorum anteceſſorum fuerint ſecuti, eundo per omnia a primo uſque ad noſtram ætatem ſeculo, Sect. IV demonſtrare conatur. *Appendicis* loco comparent primum *additiones* quædam, in quibus non tantum de certitudine in religionis

nis negotiis, de præſentia corporis Chriſti, & de myſteriis contra Calvinianos ulterius diſſeritur, ſed ſimul transſubſtantiationis natura, Papæque dignitas explicatur, qui quidem Eccleſiæ viſibilis ſit caput, Epiſcopos tamen habeat fratres, &, ſi Eccleſiæ regulas non ſervet, non tantum obedientia ſit indignus, ſed etiam ab Epiſcopis aliiſque corrigendus, atque in Concilio damnandus. Poſt additiones conſpiciuntur Cl. *Le Vaſſeur* & Cel. *Pictеti*, Reformati Theologi, litteræ de religione. Cl. *Le Vaſſeur* ſuas ad Cl. *Pictetum* primum miſſas ideo hic exhibere noluit, quoniam hic earum argumentum in reſponſo, quod ei dedit, repetiit. Cl. *Pictetus* ea, quæ ſibi a Cl. *Le Vaſſeur* propoſita ſunt, refellens, contendit, ſibi tantum ea, quæ a ſe ſuiſque de hac materia dicta ſcriptaque ſint, repetenda eſſe; ſibi ſuiſque maximam eſſe ſuæ religionis certitudinem; Codicem S. eſſe verbum Dei, ſeque ex characteribus divinitatis, qui illi inſint, convictum credere, & evidentiam revelationis eſſe cauſam, cur recipiat ea, quæ ibi habeantur, non alio modo, quam ut quis legem, quæ clara eſt, intelligit, & num ea ſit vel violata, vel ſervata, pronunciare valet; religionem Romanam tribus prioribus Seculis non extitiſſe; & ſicuti homines recte utantur ratione, etſi quidam ea abutantur, ita ſe Codice S. recte uti, etſi etiam ſint Hæretici, qui eo abuti ſoleant. Cl. *Le Vaſſeur* in ſua, quam ſubjecit, epiſtola, primum de certitudine diſſerit, tum poſtulat rationem principiumque, unde conſtet, Geneſin, Exodum &c. eſſe libros divinos, & rejectis allatis a Cl. *Picteto* characteribus, confirmationem, quod Reformati in recipiendis fidei articulis Spiritu Dei agantur, quodque de Codicis S. ſententia ſint certiſſimi, quam ob diſſenſum in conſtituendis articulis fidei afferre nequeant, ac quod in iis, quæ vident, non fallantur, cum errorem pro veritate recipere poſſint, poſtulat; poſtea concedit, poſſe aliquem de re, quam vera videt evidentia, modoque tam claro, ut nullam dubitandi cauſam habeat, eam ſe ita non habere, eſſe quam certiſſimum; at hoc modo Calvinianos ſua dogmata in Scriptura S. non videre, cum ſint alii, qui ea, quæ iis prorſus ſint contraria, ibi deprehendant; tum etiam largitur, trium priorum ſeculorum doctores erraſſe, ſimul tamen etiam rationem,

 quod

Digitized by Google

quod Papiſmus iisdem temporibus non extiterit, deſiderat; & uti ſuperbiæ arguit, quisquis rerum divinarum ignarus ſuam tamen in rebus fidei ſequi velit opinionen, easque melius quam Patres & Doctores Eccleſiæ ſe intelligere præſumſerit, ita perſtat in ſententia, Proteſtantes, ſuam religionem eſſe eam, quam Chriſtus & Apoſtoli prædicaverint, non eſſe certos.

LETTERE FAMILIARI DEL CONTE LORENZO MAGALOTTI, Gentiluomo Fiorentino e Accademico della Cruſca &c.

h. e.

COMITIS LAURENTII MAGALOTTI Nobilis Hetruſci & Academici Furfurati, Epiſtolæ ad familiares, in duas Partes diviſæ.

Venetiis, apud Sebaſtianum Coleti, 1719, 4.
Alph. 3 plag. 14.

HIſce Illuſtriſſ. Autor pruritui eorum, qui tum denique omnis ſapientiæ faſtigium ſe tenere putant, cum animam induxerint ad dubitandum de exiſtentia divina, occurrere ſtatuit. Cum enim pleriqne ex adverſariis, quæ tuentur, non tam credant, quam optent, ut ſuæ ſcilicet libidini obſecundare poſſint, eoque non tam profundi doctrina, quam tamen nec in Noſtro deſideres, quam frequenti cum hominibus conſuetudine ad eos confutandos opus ſit, nemo magis par huic labori videbatur, quam Illuſtris *Magalotti*, qui continuis peregrinationibus atque negotiis vel in aulis Principum, vel in exercitu occupatus, mores & ingenia hominum longo uſu explorare didicit. Atheos Noſter
Epiſt. I. in duas claſſes diſcernit. Alteri eos adſcribit, quos Atheos a priori vocat, quoniam argumentis fulciri opiniones ſuas credunt, qui vana gloriæ cupiditate & ſtudio novitatis omne Syſtema philoſophicum carpere atque reformare ſuſcipiunt, ac paulatim contracto de omnibus dubitandi habitu ipſi Deo inſultare audent; alteri eos, qui, ut corporis voluptatibus ſecurius immergi queant, ſuppreſſo rationis dictamine Athei ſibi videri velint. His fonti-

fontibus putat Atheiſmum generari, effreni dein vitæ genere atque vana ſuper alios ſapiendi opinione ali. Ubi duo producuntur profligatiſſimæ vitæ, qui diu Atheiſmum profeſſi, tandem morſibus conſcientiæ locum dedere ac reſipuere. Numerum II. Atheorum tantum non eſſe credit, quantum eorum qui optant Atheiſmum, ſiquidem ex eo, quod in familiari hominum commercio ſæpe accidat, ut nonnulli ad impios Atheorum ſermones ſileant, iisque applaudere videantur, hos omnes quidem vere Atheos eſſe, non ſequatur. Eſſe Atheos turbæ ſeditioſæ perſimiles, quæ coram illis, quos ad ſocietatem conjurationis invitat, numerum ſociorum prædicat & extollit, nec inchoari conſpirationem fatetur, ſed parata jam omnia jactat, ut alios ceu præmiorum participes ad ſcelerum ſocietatem pelliciat. Eo autem potiſſimum turbas animi ſui illi produnt, quod, licet nihil lucraturi inde ſint, ſi omnes per univerſum orbem homines Atheorum ſectæ accederent, ipſorumque principia & leges, quas naturæ accommodatas jactitant, adoptarent, vel invitis tamen Atheiſmum ſuum ubique inſuſurrent. Atheos porro alios dicit, qui non exiſtentiam quidem Dei, ſed ſolum, curare ipſum III. res humanas, negant, alios, qui mero timore perculſi, ne Deum agnoſcant crimina vindicantem, ejus exiſtentiam inficiantur. Pejores hos longe putat nonnullis inter paganos, qui, poſtquam Deum exiſtere negaverant, moralem tamen doctrinam tueri contendebant. Plurimis vero accidere ait, quod Geometriæ imperitis Philoſophis, qui arte hac ignorantiam ſuam prodi ſcientes, dignitati ejus detrahere eamque velut impiam traducere allaborarunt. Cauſam, quam auſibus ſuis prætendunt, quod De- IV. um ante credere non velint, d nec ipſius eſſentiam ſatis perſpexerint, incongruam, temerariam inque Deum injuriam nuncupat, vanumque eorum conſilium eſſe cenſet, qui Deum clare videre cupiant, cum ne hominem quidem niſi per attributa cognoſcamus, Deus vero nonniſi per naturam inveſtigandus ſit. Illi enim ſenſum ſuum pro norma intelligendi inepte venditant; at num is Dei nomine dignus, qui ſenſibus percipitur? Qui cum Scepticis V. non tam negabit Deum, quam de ejus exiſtentia dubitabit, is, ubi perpenderit, quam diverſæ ſint entium naturalium vires, quam concinne omnia diſtributa, facile ſaltem eo primum deveniet,

 ut

ut animam mundi, quam plures Philoſophorum vocarunt, exiſtere concedat, unde expeditus valde erit ad exiſtentiam Dei tranſitus, eoque magis rationi conveniens, quo magis homine dignum eſt, Deum ſumme bonum & perfectum, quam brutam

VI. intelligentiam venerari. Extitit ſane ſemper in orbe terrarum religio & inter cunctas gentes de exiſtentia Dei convenit. Quodſi vero, quod contendunt Athei, fraude prudentiorum divinitas introducta fuit, cum aliis in rebus arbitrariis, quas ingenium humanum peperit, mire diſſentiant homines, unde eſt, quod communi adeo conſenſu omnium introductæ per fraudem divinitati tam pertinaciter adhæſerint? Etenim Dei notionem triplici via, ſenſu cordis interno, viſu atque auditu acquiri, certo conſtat. Ipſa ſuperſtitio antiquior longe eſt Atheiſmo, eoque patet, religionem naturalem tanquam fundamentum revelatæ in omnibus inveniri, & ſi in nonnullis gentibus forte obſervata non fuit, illas tamen prorſus ea caruiſſe vix probaveris; quandoquidem qui peregrinantes per breve tempus apud gentes illas commorati ſunt, omnia accurate expiſcari vix potuerunt. Imo præpoſterum eſſet, barbaras gentes nationibus excultis ac eruditis anteponere, de quibus certiſſimum eſt, omnes, ſi non religionem, certé idololatriam, hoc eſt, corruptam naturalem religionem ſe-

VII. ctatas eſſe. Diſplicent autem maxime Atheis ritus religionum, quos modo vanitatis, modo moleſtiæ accuſant. Verum ut omittatur, extra oleas vagari Atheum talia objicientem, ſiquidem hoc argumento religioni inſultans, Dei exiſtentiam jam ſupponeret, rituum quidem ordo, ne torqueret præceptis multis homines, a Deo ingenio humano relictus fuit. Varii igitur pro populi diverſitate excogitati ſunt ritus, qui tamen omnes ultimo eodem,

VIII. nempe ad Dei honorem contendunt. Qui S. Scripturæ veritatem adorti ſunt, multa, quæ intelligi & concipi nequeant, in eadem ſibi viſi ſunt inveniſſe, noſtroque Autori illud imprimis objectum eſt, quod initio ſtatim Geneſeos dicatur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Motum enim eum, quia localis eſt, de Deo accipi non poſſe objecerant, nec de aere, quippe qui nondum erat creatus. At propterve ageret, qui ob non ſatis intellectas concluſiones nonnullas principium, quod ſibi ſtatuit Philoſophus, ſper-

ſperneret. Et profecto æque bene philoſophatus eſt Moſes, ac alius ex turba Philoſophorum quilibet, qui animum induxit ad exſculpendum novum Syſtema philoſophicum. Tria vero in hiſtoria creationis Moſaica obſervanda Noſter putat. Primum, ne res geſtæ, quas initio librorum ſuorum retulit Moſes, pro fundamento religionis, ſed ut pro ſyſtematis philoſophici dogmatibus habeantur; porro quod Epicuri meditationibus longe aptius illa inter ſe cohæreant; denique vero quod nullum tale ſyſtema, adeoque nec Moſaicum, levibus quibusdam circumſtantiis abſolvatur, quarum explicatio difficilis nonnunquam videtur. Adeo enim difficile eſt aptam rerum naturalium rationem reddere, ut magnus ille Galileus, ſe vix ſupra ſex effectuum certas rationes phyſicas expiſcatum eſſe, faſſus ſit. Infinitum illud Anaximandri admiſerunt multi, Deum Platonis alii amplexati ſunt; at ſub his aliisque meditationibus Dei quædam etſi haud genuina idea delitescit. Licet itaque cuivis datum non ſit ad omnes difficultates hiſtoriæ Moſaicæ reſpondere, præſtabit tamen, cum Moſe Architectum ſine materia, quam ad aliorum mentem materiam ſine Architecto pro principio univerſi ſtatuere. Hiſtoriæ & Geographiæ quidem Moſes non repugnat, quod enim nonnulli, quatuor fluvios, quos eodem fonte ſurgentes, Tigridem nempe, Euphratem, Phitonem, qui Ganges eſſe vulgo creditur, & Geonem, qui pro Nilo accipitur, Paradiſum irrigaſſe aſſerit, nullibi terrarum unitos inveniri objiciunt, niſi forte Nilum & Gangem, in Armenia ſcuturientes, illum in Æthiopiam, hunc in Indiam ſubterraneis meatibus deductos dixeris; ad id ita reſpondet, ut gentium nomina aliquando mutata fuiſſe probet. Patere enim ex itinerum noſtris temporibus ſuſceptorum commentariis, coloniam olim ex Armeniæ populis, qui fluvium Araſſum, revera Armeniam alluentem, & Perſarum lingua idem denotantem, quod Chaldaica Geon, accolebant, in Æthiopiam transmigraſſe. Dici itaque potuiſſe, fluvium Geon Æthiopum terras irrigare, eam nempe Armeniæ partem, cujus incolæ in Æthiopiam aliquando conceſſerant. Quod eodem fonte flumina illa jam non ſcaturiant, ex notiſſima illa mutabilitate alvei, quæ perpetuo ubique terrarum animadverſa eſt, fieri potuiſſe. Hoc vero divinum

IX.

X.

num quid in Scriptura S. arguere, quod ingenium humanum Theoriam conſtruere valuit, qua, ſi non omnibus, plurimis tamen, quæ in hiſtoria Moſis occurrunt, aliisque difficillimis Scripturæ S. locis, v. g. Job. XXXVIII, Prov. VIII, Petri Epiſt. II, explicandis ſufficiat. Inventum hoc eſt Burneti, cujus Theoriam Illuſtr. Autor vehementer laudat. Quod ſi vero Burnetus aliqua in re erraverit, veriſimile tamen putat Noſter, quoniam ingenium humanum excogitare valuit hypotheſin, quæ tot objectos feliciter ſolvit nodos, futurum aliquando, qui ea meditetur, quibus, quicquid denique difficile ac arduum in hiſtoria creationis ſacra occurrit, pari felicitate ſuperetur. Atque id quoq; S. Scripturæ divinitatem demonſtrare exiſtimat, quod hiſtoriæ profanæ quandoque contradicat, cum iis qui artes aulæ ac Principum norunt, dudum perſuaſum ſit, non poſſe condi hiſtori-
XI. am rerum humanarum, quæ falſi nihil contineat. Damnanda autem eſt omnis Philoſophia, quæ Theologiam invitam explicare molitur, licet quælibet ſectarum philoſophicarum ad eam applicari quodammodo poſſit. Primis eccleſiæ temporibus plurimi Patrum Platonem maximi faciebant, mox rurſus deſertum, cum ſuboleret ipſis, quantum is inveheret mali. Succedebat ejus in locum Ariſtoteles, paulo poſt tamen barbaris ſeculis rurſus ſepultus, donec duodecimo imprimis ſeculo a ſacris militibus ex Græcia in Europam reportaretur. Hunc cum Gilbertus Porretanus atque Abælardus ſuo damno tuerentur, Dinantius quidam, Almarici diſcipulus, perlecta ejus Metaphyſica, Deum eſſe materiam primam, aſſerere audebat. Hæreſeos igitur damnabatur, & eccleſia omnes Ariſtotelis libros tanquam ſcaturiginem & ſeminarium hæreſium cremabat, tantumque Ariſtotelis horrorem pii conceperant, ut Alexander Neckamus in Tractatu de Naturis rerum aſſerat, ſcripta ejus Philoſophi illis temporibus pro Cabbala fuiſſe habita, cujus intelligendæ vis Antichriſto ſoli reſervata ſit, ut ea ad impugnandum præſtantiſſimos eccleſiæ doctores uteretur. Neque tamen prorſus opprimi Ariſtoteles poterat, quod ad vitandam incongruam revelatæ veritatis cum philoſophia miſcelam videretur conſultius eſſe, Deum Ariſtotelis otioſum & mundana non curantem, qui Chriſtianæ fidei directe

directe oppoſitus erat, quam Deum Platonis, qui ſimul cum fidei doctrina conciliari poſſe credebatur, Philoſophis indulgere. Hanc cauſam Noſter credit, cur S. Thomas labaſcentem Ariſtotelis autoritatem reſtauraret, aut ipſe novum fere Ariſtotelem, qui fidei myſteriis aptior eſſet, efformaret. Inſulſe porro Athei vitia Theologorum objiciunt iis, qui aliqua religionis reveren- XII.
tia tenentur, quaſi illi non poſſint peccare, qui de divina ultione certi morſus conſcientiæ continuo ſentiant. Quæ minime moratur Ill. Autor, & ad alia pergens monſtrat, fidem non poſſe habitum eſſe ex ſimplici ingenio hominis formatum, ſed a Deo XIII.
ipſo inditum, cum vanæ maximam partem atque imperfectæ ſint ſcientiæ omnes, quas humana induſtria eruit ac digeſſit, quod exemplo imprimis Matheſeos, Medicinæ ac Phyſicæ probat. Cum abſurditatem nobis objiciunt Athei, ex nihilo XIV.
aliquid fieri, aſſerentibus, hoc rationi tantopere non repugnare vel inde probat, quod Anaximander eodem fere ſenſu dixerit, ex uno infinito mundos infinitos prodiiſſe, & Ariſtoteles formas perire, & nonnulli ex ejus aſſeclis materiam evaneſcere aſſerant, ſi ſupponatur, quod impoſſibile, materiam omni forma exui; imo prudentiſſimi Chinenſium philoſophi diſerte doceant, quod univerſum hoc ex nihilo factum in nihilum neceſſario ſit rediturum. Incongruum quoque eſſe autumant concipere, quod De- XV.
us nudo voluntatis ſuæ actu omnia produxerit. Verum quo quid longius a materiæ denſitate remotum eſt, eo majorem movendi vim habet. Spiritus animales, progeniti ex cibo, cui parum virtutis motricis inerat, ingentes commovent moles. Summa vis motus lumini & aeri data eſt, opera deſtruentibus, quæ corpus multo magis ſolidum vix conquaſſaret. In Deo ergo virtus motrix tanto erit major, quanto magis ac infinitius ab omni materia remotus eſt. Ut vero, quomodo mero voluntatis ſuæ actu tantum Deus valuerit, rectius explicaret Autor, de voluntate ipſa agit, quam in loco quodam corporis noſtri, ubi nobilior pars ſanguinis, ejusque quaſi medulla colligitur, habitare cenſet, ut per totum corpus inde imperia diſtribuat. Neque contradictio- XVI.
nem implicant, quæ Chriſtiana fides adſtruit. Nobiscum modo habitemus & quoties de fidei rebus cogitamus, nos inexhau-

 ſtam

ſtam æternitatis abyſſum ingredi recordemur. Ibi circuli & lineæ maximæ puncta evadunt. Quietem Galileus dixerat tarditatem motus infinitam; Noſter, quod Galileano dogmati prima fronte adverſari videtur, demonſtrat, velocitatem infinitam quietem eſſe. Rejicit vero vulgatam Theologorum reſponſionem, quædam fidei dogmata ſupra, nullum vero contra rationem, dictitantium. Quod enim ſupra rationem eſſe nobis videtur, cognitionis noſtræ hebetudinem duntaxat arguit, & cum parum nota vulgarium rerum natura nobis ſit, quid rationem
XVII. accuſamus? Cum materiam in Dei locum ſuggerere Athei moliuntur, nihil agunt, etſi enim omnes, quas ſpiritui tribuimus, virtutes materiæ largiamur, nemo tamen explicaverit, quomodo illa per omnes totius univerſi animas diſtributa fuerit & coa-
XVIII. leſcens rurſus arctius totius mundi regimen ſuſcipiat. Exploſis ita Atheorum nugis, exiſtentiam Dei ita porro probat Ill. Autor. Qui bene inſtructam civitatem videt, facile ſuſpicatur, ordinem illum prudentiæ hominum, qui eam condiderunt, deberi. Quid ergo obſtat, quo minus de autoris ſapientia cogitemus infinita, cum admiranda hæc mundi opera contemplamur? Inde ad immaterialitatem animæ probandam ſe accingens, inter alia materiam nullam, ita ut animam, rerum ſuarum ſibi conſciam
XIX. eſſe oſtendit. Tum ipſam pugnam, quæ eodem temporis momento in humana mente pugnatur, illam materialem non eſſe, probare, cum motus materiæ unus tantum eſſe poſſit. Abſurdos vero eſſe, qui vel dignitate æquales homini beſtias vel ipſo longe excellentiores prædicant. Quandoquidem vel jucunda illa varietas, quam humana mens in tot diverſis rebus voluptati abblandientibus curioſe excogitavit, abunde monſtrat, quanto plus de-
XX. litiarum homini quam beſtiis indultum ſit. Et ſi materialis anima eſt, qui fit, cum omnis materia uſu atteratur, ut ſolus animi robur ſeneſcendo increſcat & augeatur? imprimis ubi, fatentibus cunctis, voluntas motibus vehementiſſimis atque aſperrimis agitatur. Spiritus, ſi ſubinde atterantur, unde vero reſarciuntur? Illis ſpiritibus cum rerum imagines impreſſæ ſint, qui fit, ut cum ex nutrimento eliciantur ac efformentur novi, evaneſcentibus paulatim iis, qui uſu jam attriti ſunt, recordatio tamen rerum

rum prima in juventute peractarum non obliteretur? Quomodo his particulis, quæ ſpiritum conſtituunt, præ illis, quæ corporis nutrimento cedunt, tantum dignitatis tributum eſt? At cum homines ſenſuum conſuetudine nimis occœcati nihil fere niſi materiale cogitent, mirum non eſt, quod animam ſuam materia deſtitutam concipere renuant. Nec caſui hæc univer- XXI.
ſa adſcribenda eſſe, Noſter monet; etſi enim lapides forte, conchæ & ſimilia inveniantur, quibus multa ingenio humano mirabilia inſculpſit natura, aliquando tamen & rerum harum preti- XXII.
um imaginatio humana immane quantum adauget, & rariſſima hæc exempla ſunt, quæ cum conſtantia humanorum operum comparari nequeunt. Sane nec ſolus caſus, nec cum caſu ſociata neceſſitas producendis naturæ operibus ſuffecerit. Carteſianos, XXIII.
qui fortuitos illos materiæ caſus ubique ſomniantes, animalia in machinas convertunt, viamque ſternunt aliis, ut omnem hominis ſubſtantiam in meram materiam transformare moliantur, facile vel experientia miris ac lepidis vulpecularum, aranearum, apum, ſimiarumque actionibus convincet. Provocat deinde ad dictum Pauli Apoſtoli, animalem & ſpiritualem hominem exacte diſcernentis, & Patrum ſententiam probat, qui humanæ animæ ſuperiorem & inferiorem partem tribuebant, XXIV.
animabus vero brutorum, & quomodo primum corpori fuerint alligatæ, diſquirere ſupervacuum putat. Forte, inquit inter alia, diſperſæ per aera volitant, donec aptum ſibi corpus brutale inveniant, quod ingrediantur, & ſic demum vere animæ eſſe incipiant, ut ova muſcarum & ſcarabæorum vita non donantur, niſi ſuper putridis carnibus aut arborum foliis ponantur. Quæ de pa- XXV.
tibili qualitate animæ immaterialis, & aptitudine ejusdem, a corpore etiam ſeparatæ, ad impreſſionem materiæ recipiendam, XXVI.
tum & de mundi æternitate adverſus Ariſtotelem præſertim argute diſputat Autor, prætermittimus. Illud notamus, quod, cum XXVII.
artis & naturæ opera ita inter ſe conveniant, ut vix diſtingui poſſint, atque illa artifici tribuantur, hæc pari ratione creatori ſuo vindicet. Dumque de eo quærit, an mundus ſenſim ruiturus, an uno impetu ſit deſtruendus, momentoſas illas fixarum immu- XXVIII.
tationes non prorſus ſpernendas, nec a fide Catholica alienum pu-

 tat,

Digitized by Google

tat, ſi quis univerſum hoc non annihilatum, ſed olim plane transmutatum iri ſtatuat.

I. Altera Parte Illuſtriſſ. Autor reſpondet Atheis, miraculorum hodie defectum crepantibus, docetque, rebus familiaribus, quamvis ſtupendis, hominem novarum ſemper rerum cupidum facile aſſueſieri, unde jure metuendum, ne æque paulatim ſpernentur inſolita, quam quæ quotidie contingunt, quale illud vocat, quod ſtellæ noctu clare fulgentes mox Sole oriente quaſi
II. loco ſuo pellantur ac evaneſcant. Hiſce vero portentis quis movetur? Imo cum naturæ vires definiri nequeant, etiamſi miracula ederentur, homines tamen illa non minus naturali ratione fieri exiſtimarent, quam ubi ſtellam forte novam detegunt, etſi
III. miraculo utique plenum ſit, tot Soles ſubinde generari. Fruſtra præterea abillis miracula expectantur, qui ea fortiſſimæ imaginationi adſcribunt. Ita facile, quæ de miraculoſa ægrotorum ex tactu Sanctorum corporum ſanatione, ut & de admiranda & humanam ſortem ſupergreſſa Martyrum, (quibus paganorum quidem exempla opponantur) conſtantia tradita accepimus, eluduntur omnia. Martyrum tamen, pro veritate religionis ultro oppetentium mortem, majorem longe numerum fuiſſe docet Autor, quam frivoli honoris cauſa cruciatibus ſe offerentium Philoſophorum. Martyres plurimi, diverſæ fortunæ, vitæ generis, ingenii, tenerrimæ æque ac decrepitæ ætatis, nullum mortis genus recuſarunt, cum pagani illi pauci & ejusdem fere fuerint indolis, nec unquam morti ignominoſæ inhiaverint. Id vero inſigni pertinaciæ tribuendum, quod homines talia naturæ viribus, quam Deo tribuere malint. Quo loco meminit cujusdam militum tribuni, Atheiſmum diſerte profitentis, qui, cum induci ſe minime pateretur, ut Deum quæreret, auſcultando argumentis, quæ S. Patres & S. Scriptura ſuppeditant, faciles tamen præbebat aures circumforaneo, qui theſauros abſconditos effoſſurum ſe pollicebatur, ac ſerio perpendebat rationes, quibus ille diabo-
IV. lum exiſtere oſtenſurus erat. Ut vero eo commodius lectorem præpararet Ill. Autor ad fidem habendam priſcæ ætatis miraculis, ea conſiderat, quæ patrum noſtrorum memoria ab Hiſpanis in America geſta fuerunt, & Garcilaſſi de Vega teſtimonium, quod nemo

nemo

Digitized by Google

mo facile in dubium vocaverit, producit. Quis vero non agnoſcat miraculum, ubi tredecim homines, fluctibus diu agitatos, poſt infinitas calamitates in continentem conjectos, ſummam imperii poſtulare ab integra gente armis aſſueta, tum paucos ſæpe Hiſpanos teſtatur, ingentes exercitus ad deditionem adegiſſe. Et quis illa non ſine numine peracta eſſe, cum Garcilaſſo non fateatur? At cum facile auguremur, poſt mille annos neminem optimo Scriptori fidem habiturum, quid mirum, ſi miraculi fide privare homines parum religioſi moliuntur, quæcunque de Hebræorum fatis memoriæ prodita ſunt? Illa vero eſt ingenii humani petulantia, ut rationibus convinci de divinarum rerum veritate poſtulet, V.
cum omnis Philoſophor. de Deo notitia obſcura ſit, & Deo unice debeatur, ut quam clariſſime ipſum cognoſcere homo ſtudeat, imo ipſe Deus exquiſitam ſui notitiam præmium fidei ſtatuerit. Cumque Deum per rationem inventum non ut Deum, ſed tanquam noſtri ingenii fœtum colamus, modeſti hominis erit cognitionem entis adeo excellentis per fidem moliri. Cum vero VI.
nihil magis religionis oſoribus offendiculo ſit, quam quæ de Chriſto in ſacris litteris traduntur, eoque impie fingant, Chriſtum, prophetiæ Vet. Teſt. probe gnarum, ultro rebus a Prophetis prædictis ſeſe objeciſſe, nec veriſimile quidem aut prudentiæ humanæ congruum videri Noſter cenſet, Chriſtum ob incertam adeo gloriam, poſt mortem demum acquirendam nihilque adeo voluptatis ſenſibus creantem, tot calamitates ſponte ſua ſibi conſciviſſe. Nec magis proficiunt, ubi Chriſtum lymphatico ſimilem ac mente captum pertinaci audacia malis quibusvis obviam iviſſe, immani ipſi rabie acti contendunt. Neque enim imprudenter egit, qui tam feliciter voti damnatus fuit. Namque a mari ad mare nunc dominans, ac tot gentium cultu adoratus, majores multo honores, majorem potentiam, quam magnus ille Alexander, qui ſumma prudentia ac virtute tot provincias ſubegit, conſecutus eſt, tametſi, quod imprimis mirum, ipſe non, ut alii legumlatores, genio populi adulatus ſit, ſed rigoroſæ diſciplinæ, quæ delitiis humanis penitus refragatur, ſuos adſtrinxerit. Tacemus, tot vaticinia, diu ante prædicta, Chriſti temporibus VII.

Digitized by Google

VIII. completa fuiſſe. Quod dignitati S. Scripturæ Alcorani autoritatem opponunt pervicaces, qui facile a gentibus admiſſus fuerit, id non mirum Autor putat, cum omnis generis delitias indulgeat, nihilque præcipiat, quod affectibus humanis valde moleſtum eſſe poſſit. Accedit, quod, debilitato jam Romano imperio, Eccleſia variis ſectis ſciſſa, Arabes, inter Aſiæ populos fortiſſimos, ſed Judæorum partim, partim Samaritanorum, Paganorum, Chriſtianorum ſacris deditos, ſingulis aliquid largiendo, ad unum quaſi fidei ſyſtema redigere facile fuit Muhamedi. Itaque in gratiam Judæorum circumciſionem admiſit, neque tamen neceſſariam voluit, ne Samaritanos a ſe averteret: paganos fabulis, quales Theologia gentilium ſuppeditat, pavit; & Chriſti divinitatem negando Chriſtianos, qui plerique Arianam hæreſin ſectabantur, allexit. Denique Autor, nullum fuiſſe in Chriſto dolum deprehenſum, apertiſſime probans, finem operi doctiſſimo imponit.

GIRO DEL MONDO DE DOTTOR D. GIOVAN FRANCESCO GEMELLI CARERI.

i. e.

PERIEGESIS, VEL ITER PER UNIVERſum Orbem, Autore D. JOHANNE FRANCISCO GEMELLO CARERO.

Tomi IX.

Venetiis, apud Sebaſt. Coletum, 1719, 8.
Alph. 7 plag. 19 Tabb. æn. maj. 12 & minor. 34.

QUi navibus vecti per Oceanum univerſam tellurem ambirent, nonniſi exſcenſionibus in littora factis, eorum poſt *Magellanem*, qui primus omnium hoc auſus legitur, non paucos hactenus fuiſſe, ex Geographorum relationibus novimus: ſed qui terreſtri itinere univerſi orbis ambitum abſolveret, mediterranea ipſa adeundo, &, nonniſi ubi Oceanis maribusque via inter-

interrupta eſſet, navigio uteretur, nullus fere vel pauci iique ignobiles & ignoti fuere. At doctiſſimus Vir *J. Franc. Gemellus, Neapolitanus*, JCtus, incredibili ardore cognoſcendi univerſi accenſus, & non minori patientia, ad hoc inſtitutum ſumme neceſſaria, inſtructus, iter hoc & ſuſcepit, & rara fortuna perfectum prioribus ſex hujus operis Tomis expoſuit, quibus, cum poſtea Europæ interiora, primarias nempe provincias & regna accuratius luſtraſſet, *Tomos VII* & *VIII*, & his jam pridem editis, cum, mutato regni Neapolitani ſtatu, ejusque ſumma poteſtate ad auguſtiſſimum & invictiſſimum noſtrum Imperatorem *Carolum VI* translata, iter Barcinonenſe cum auguſtiſſima ejus Conjuge, tum ſponſa, ſuſcepiſſet, inque Catalaunia in aula ejusdem per aliquot annos, quæ illo tempore contigerunt, partim ipſe obſervaſſet, partim a viris fide dignis accepiſſet, *IX* etiam *Tomum* novæ huic editioni adjecit. Nos operæ pretium facturos exiſtimamus, ſi curioſa quædam ab Autore ipſo obſervata decerpamus, reliquis, quæ ad hiſtoriam Regnorum & Principum ſpectantia, & e fontibus quandoque minus probatis hauſta, ſingulis Tomis præmiſit, prorſus prætermiſſis. Primo vero omnium Autor utilia imo ſumme neceſſaria affert monita (ſub finem operis repetita) non ſolum de variis viis, quas ille, qui ſimile inſtitutum peragrandi univerſam tellurem, tam ab Occidente verſus Orientem, quam ab Oriente verſus Occidentem eundo, ſuſcipere vellet, ingredi poſſet, verum & de mercibus agit, quibus peregrinatorem ſe inſtruere oporteat, quo viaticum & impenſas huic arduo negotio ſufficientes ex venditione earum in promtu habeat; cum impoſſibile ſit, ut paratam ſignatamque pecuniam continuo ipſe circumferat, aut eam ope literarum cambialium, quæ vix ultra Turcicas ditiones uſui ſunt, obtineat. Conſentit vero cum aliis itinerum relationibus, nihil ad parandas pecunias in provinciis orientalibus magis conducere, quam mediocrem ſaltem notitiam chirurgiæ vel medicinæ. Noſter A. 1693 die 13 Junii *Neapoli* per *Meſſanam* profectus *Melitam*, inde in *Ægypto* cum nave Gallica *Biquierii* appulit, poſtea *Alexandriam* ſe conferens, atque inde per *Roſettam* facto itinere, adverſo flumine *Cairum* venit, tempore ipſius inundationis maximæ menſe Auguſto, qua

qua ipſa tempeſtate *Nilum* Danubio, qua Hungariam tranſit, magnitudine parem ſibi viſum memorat. Cum *ſuperiorem Ægyptum* adire non potuerit, relationem ſaltem duorum *Miſſionariorum Franciſcanorum* de itinere ſuo in illas regiones facto communicat, quæ fere cum iis convenit, quæ *Paulus Lucas* de his locis narravit. *Cairo* ſecundo flumine *Damiatam* deſcendit, *Jaffamque* appulit, *Hieroſolymæque* & *Bethlehemi* omnia loca, quæ credulis oſtendi ſolent, vidit. Unde rediit *Damiatam* & *Bulacum* prope *Cairum*, circa initium Octobris, durante etiamnum inundatione. Ex quo iterum ſecundo flumine *Roſettum* deſcendens, *Alexandriam* rediit. In *Rhodum* porro *Chiumque* ac *Smirnam* trajecit. *Gallipolin* verſus *Trojæ*, quæ monſtrantur, rudera vidit, quorum tamen inſcriptiones Latinæ traditioni popularium parum fidei faciunt; tum per *Margalam*, urbem non ignobilem, *Adrianopolin* pervenit, ubi *Achmetem*, *Turcarum Sultanum*, vidit e templo a cultu Veneris die celebrato in palatium redeuntem. Conſtantinopolin delatus, maximo quamvis periculo ſuo, ob Caimacani vel præfecti urbis, Chriſtianis pariter ac Turcis gravis, duritiem, celebria quævis urbis loca inviſit, præcipue *S. Sophiæ* templum, & illo pulcrius Sultani *Achmetis*. Non moramur, quas inde fecit excurſiones, iterque per Trapezuntum in Perſiam ſuſceptum, variaque, quæ hic illic expertus eſt, triſtia fata. Quæ tamen in Perſia obſervavit curioſa, paucis annotabimus. Omnes domus ad eundem Architecturæ modum, quantum ad conclavium diſpoſitionem, confectæ. Camini conclavium parvi: lignorum ſcilicet non magna in toto regno copia. Montis *Ararath* verticem ait ante meridiem ſemper innubem, poſt meridiem ſemper nebula tectum, unde ſub veſperam crebræ in urbe propinqua Erivano pluviæ. In via *Nakſivanum* verſus vidit hoſpitium, quod *Taverneriur* ait extructum eſſe lapidibus ex aqua vicini fontis petrefacta genitis, quod tamen falſum eſſe, ut multa alia Tavernerii, quem frequenter corrigit, ab accolis didicit. *Iſpahani* cum eſſet, cujus urbis uti plateas ſpurcas deteſtatur, quippe nullo pavimento ſtratas, (ut Madritenſes,) ita hortorum, maxime Regiorum, miratur decus, Rex *Salomon Seſi*, anno ætatis 53, regnique 30, die 29 Jul. obiit, cujus
cru-

crudelitas & laſcivia ingens fuerat. Ad bellum contra Turcas incitari ſe non eſt paſſus, profeſſus potius, ſufficere ſibi, ſi *Iſpabani* poſſeſſione non excideret. Succeſſor ejus *Schach Oſſen* hora prima poſt mediam noctem d. 7 *Auguſti* inauguratus eſt, ſolium pro more in palatio conſcendens, applaudentibus & barbarum quiddam ſonantibus tympanis. Aſtrologi horam illam, non minus quam eam, qua pannus ſericus veſti Regiæ parandæ diſſectus, ſiniſtram pronuntiabant. Et erat quidem Rex ille inter mulieres hactenus educatus, tum primum equum ſcandere inſtitutus in interiori palatio. Ceterum obſervat, in mari *Caſpio* vortices illos, quos quidam ibi ſtatuant, fictitios eſſe. Aureas monetas nullas cudi tradit, niſi tempore inaugurationis regiæ. Nivis altitudinem aliquando 3 palmos excedere, unde omen capitur fertilitatis anni. *Iſpabana* tendens *Schiraſum*, in ejus vicinia ruinas *Perſepolis* antiquæ, quas *Tſchilminar*, h. e. *40 columnas* vocant, (etſi erectæ etiamnum exſtent ſaltem 17 columnæ,) conſpexit, politura marmoris adeo integra, ut admirationi maximæ fuerit Noſtro. In pagi *Beſacu* vicinia orientem verſus eſt mons *Darap* nigri coloris, ex quo mumia diſtillat, vel balſamum pariter nigricans, quod ex liquido durum factum fracturis oſſium intra 24 horas certiſſime medetur. Cuſtoditur is præſidio regio, etſi nonniſi 40 unciæ balſami annuatim colliguntur, præſentibus præfectis *Schiraſi*, *Gearon* & *Laræ*. *Bandercongi* maxima etiamnum eſt *Portugallorum* autoritas, quippe qui etiam poſt amiſſum *Ormuzium*, pacemque cum Perſis factam, defenſionem *Sinus Perſici* in ſe ſuſceperunt, & propterea antea dimidium vectigalium *Bandercongi*, nunc vero tributum 1100 Tomanorum & 5 equorum recipiunt, inque ſuos plenariam jurisdictionem exercent, exercitio etiam religionis publico gaudentes. Anglis propter auxilium in *Ormuzio* expugnando latum vectigalium *Gomroni* dimidium aſſignatum fuerat, nunc ejus loco 1080 Tomanos percipiunt. In Indiam inde profecturus, poſt tædio- 1695.
ſiſſimam navigationem M. Januario A. 1695 *Damani* appulit, hyemem in itinere æque calidam expertus, ac æſtatem in Italia. Hinc excurrit *Surattam*, ubi ſtulta quædam pœnitentiæ *Banianum* gentilium exempla obſervans, inter alia memorat, quen-


dam e religioſis, quos *Fakiri* vocant, corporis ſui longitudine totam M. Mogulis ditionis longitudinem menſuraſſe: comitati ſunt eum multi diſcipulorum, eleemoſynis uberrime recreati, duravitque hæc geodæſia plane inſulſa & nova aliquot annis, non plus enim quam 2½ mill. Italica ſingulis diebus in ſolo plano abſolvere poterat. Vidit & Autor homines exigua mercede conductos, ut ligati manibus pedibusque per aliquot horas nudum cimicibus paſcendis corpus exponerent. *Templum* etiam tota India celeberrimum *Canarinum* inviſit, quod in inſula *Salzete* cum ab Alexandro M. conditum fabulentur Indi, non improbabile id videtur Noſtro, qui ita parum prodit ſe in hiſtoria verſatum. Conſtat vero variis ædificiis cryptisque e ſaxo vivo cæſis, quæ partim idolis gentilium Indorum ornantur. Hinc *Goam* atque inde in regnum Mogulenſe delatus, & ab Aurengzebo, prudentiſſimo Principe octuagenario, qui tum, etſi hoſtem vix haberet in caſtris verſabatur 500000 hominum, bombardariorum, quibus ut aliis militibus Chriſtianis, liberum eſt religionis exercitium, ope ad colloquium admiſſus, deque patria, tempore quo iter abſolvit, ſcopo itineris, de bello item Hungarico aliisque interrogatus, reſpondit ad ſingula, atque ita benigne dimiſſus eſt. Vidit etiam in iisdem caſtris Regem *Viſapouræ*, in ordinem paulo ante ab *Aurengzebo* redactum, & ex ejus liberalitate ſaltem viventem, qui, dum *Golcondæ* in carcere detinebatur, per diem accipiebat 20 *Rupias*, demum, cum ei in cuſtodia filius naſceretur, ad 800 usque auctas. Cum de moribus hujus gentis agit, imprimis inter fabulas refert, quod vulgo memoratur, feſto die *M. Mogulem* corporis ſui pondus explorare, quod id unquam a quoquam factum eſſe, teſtes fide digniſſimi pernegaverint, id tantum faſſi, quod eo die aurum & pretioſa alia a Magnatibus donata ponderentur, atque dein tantum eleemoſynarum pauperibus erogetur, quantus ſit illorum valor. Vivicomburium uxorum, quorum mariti deceſſerunt, a Principe prohibitum, nonniſi licentia a præfectis impet ata permittitur. Suadent illud miſeris fœmellis *Bramines*, ad quos monilia & aurum liquatum, quæ ſimul comburun- [illegible] tur,

tur, perveniunt. Fœminæ tamen, quæ idem ſubire renuunt, perpetuo viduæ manent, niſi forte ad Muhammediſmum vel Chriſtianam religionem ſe conferre malint. Perſuaſum ſibi habent quidam, imaginationis ope mulieres abſentibus maritis gravidas poſſe fieri; unde lepidum perhibetur & ſtultum votum, etſi bono animo conceptum, quo gentilis quidam mercator Vice Regem Luſitanum in India, *Comitem d' Alvor*, excepit, cum huic nunciatum fuiſſet uxorem in Portugallia gravidam relictam ei filium peperiſſe, precatus ſcilicet, ut ſingulis annis, dum in India eſſet, ſimilis ipſi nuntius e Portugallia veniret, quo bilem Vice-Regi non parum movit. Hinc *Goam* reverſus, rurſusque ſolvens, ac *Ceylanam*, *Moldivas*, *Nicobaricas* Inſulas, cum vicina Anthropophagorum *Andemaonia* (quam Batavi fama fontis, cujus aqua ferrum in aurum mutaret, inducti tentaſſe infeliciter dicuntur) & *Sammatra* prætervectus, in *Malacca* exſcendit, ubi maxima pars incolarum Romano-Catholici, ſine tamen publico religionis exercitio, quamvis frequenter transeuntes Miſſionarii, & in Chinam alioq; tendentes, eos reddant inſtructiſſimos. Dum porro in *Chinam* tendens, in recenſione tranſitus prope Inſulam *Borneam* verſatur, inſerit *P. Antonii Ventimigliæ* obſervationes de progreſſu, quo miſſiones ſacræ gaudent apud populum ejus inſulæ, unde facile patet, eum & moribus & opinionibus eſſe minime barbaris, utpote unum ſolum Deum agnoſcentem, & lignis odoriferis incenſis colentem. *Pekini P. Grimaldum*, Præſidem Mathematicorum in China, acceſſit, multa cum humanitate ab eo exceptus, quem inter alia affirmaſſe, refert, ſe, cum nuper in Europa fuiſſet, ibique tot falſas relationes, imprimis Legationis Batavicæ ad Regem Chinenſem, legiſſet, ab obſervationum edendarum conſilio prorſus fuiſſe deterritum, ne tot autoribus mendacii dicam & impudentiæ ſcribere cogeretur. Quo pertinet, quod in relatione dictæ legationis, ſcorta ibi eſſe publica & publice in plateis circumduci dicuntur, cum nihil magis modeſtiæ Chinenſium repugnet. Ceterum lepidam deſcriptionem Geographiæ Chinenſium, faſtuoſo gentis ingenio conformis, non ſine voluptate legas apud Autorem. Fuſius porro refert de ultima perſecutione Chriſtianorum, quæ 1691

in provincia *Chekian* a Vice-Rege, templa eorum claudente, inſtituta, cujus exitus fuit, ut Rex, qui Patribus Chriſtianis favebat, *Conſilio Rituum* intereſſe juberet ſocerum ſuum, qui autoritate ſua efficeret, ut prior ſententia aboleretur, & decretum fieret, ab Imperatore poſtea facile confirmatum, quo omnibus ſubditis amplectendæ religionis Chriſtianæ libertas indulta. Jeſuitas, quorum tria templa *Pekini* ſpectantur, obſervat ſacrificium miſſæ & reliquos ritus ſacros, permittente Papa Rom. atque ita cogente Chinenſium more, capite tecto adminiſtrare. Aulam ingreſſus eſt Autor una cum *P. Grimaldo*, qui a Chinenſibus nomen accepit *Mil-lavije*, eo die, quo is Calendarium anni 1696 a ſe concinnatum lingua *Chinenſi* & *Tartarica* Regi exhibiturus erat, & ab eodem ad Regem adductus, per Patrem illum ceu interpretem cum ipſo locutus eſt. Frigus vero, quod hac jam tempeſtate ſenſit admodum vehemens, movit ipſum, ut in meridionales magis regiones properaret reditum, eoque 22 Nov. *Pekino* valediceret.
1696. *Nankium* poſtea redux, die 3 Februarii celebrationi novi anni Chinenſis, qui incidit proximo novilunio poſt ingreſſum Solis in 15 Aquarii, vel ultimum octantem Eclipticæ, quem locum apud Chinenſes occupat ſignum *Lic eiun* ſive *reducens ver dictum*, & feſto lampadum, quod vocant, quoque cum infinito numero lampadum funaliumque paſſim diſcurritur, interfuit. Ad Philippinas quoque poſtea delatus, prolixam & curioſam earum deſcriptionem dedit. Ex qua inter alia apparet, vix ultra duodecimam partem incolarum, qui litora accolunt, (ceteri enim feri ſunt fere & indomiti) Hiſpanis parere, & nihilominus ſubditorum Hiſpanicorum numerum ad 250 mill. excurrere. Auro fruuntur Hiſpani, præcipuo dono a natura conceſſo, ſed quod in fluminibus ſaltem colligitur, unde redire Regi Hiſpaniarum dicuntur 200 mill. octonarum *(Pieces de Huit)*: ad ipſos montes metalliferos & venas ob ferociam barbarorum aditus non patet. Maximam vero admirationem merentur folia arborum quarundam in aviculas transformari ſolita, cujus rei fidem ex inſtrumento authentico & a teſte oculato *Joſepho d' Orenſe*, Provinciali Franciſcanorum, aliisque accepit Autor. Forma foliorum exhibetur talis, qualis in Figura ſubjecta repræſentatur, quorum mediæ fibræ *corpus* alitis, pars, qua arbori junguntur,

caput,

caput, fibræ laterales *pedes*, pars extrema *caudam*, reliqua *alas* faciunt: colorem aviculæ retinent, qualis fuit ipſorum foliorum.



Formant ergo *1* caput, *2* corpus, *3* pedes, *4* caudam, & *5* alas. Iter poſtea ingreſſus in Americam, quod æque ex Philippicis arduum ac moleſtum, quam facilis inde ad easdem reditus, dum inſulas Marianas prætervehitur, obſervat, eas a Gubernatore *Manilla*, occupatas demum ſub Carolo II Hiſp. Rege, a matre ejus *Maria* nomen accepiſſe: ſtaturam vero incolarum longe modum excedere reliquorum hominum, teſtatur. Poſt navigationem tandem 204 dierum *Acapulcum* die 19 Januar. pervenit Autor, æſtum ibi offendens, qualis Canicularibus diebus Neapoli exiſtit, qui mox ita deferbuit, ut in itinere verſus *Mexicum*, quo d. 2 Martii pervenit, frigus ſatis ſenſibile & nives aliquoties fuerit expertus. Lectu digna eſt deſcriptio hujus urbis regionisque ab Autore facta; ædium pulcritudine Italiæ urbibus parem, fœminarum Italis ſuperiorem eſſe prædicat; incolarum 100 millia ſtatuit; Clericorum vero opes tantas, ut reliquorum civium commodis obſtent, ita ut multi, cum fruſtra diu in acquirendis fundis aut facultatibus laboraverint, tandem & ipſi cogantur in clericorum ordinem ſe conferre. Ortum urbis & regni Mexicani, itemque expugnationem Hiſpanicam *Corteſio* duce factum, accurate exponit. Curioſiſſima ſunt imprimis duo monumenta, ab Autore Tomo VI p. 28 & 45 exhibita, quorum altero tota gentis Mexicanæ Chronologia inde ab ortu ejus, una cum notabilioribus eventibus & fatis, altero cyclus ſecularis Mexicanus, utrumque per ſymbola & characteres hieroglyphicos, repræſentatur. Tacemus pyramides duas Soli & Lunæ dicatas, eorumque imaginibus ornatas, ex ſaxo prægrandi, quæ tamen ab Hiſpanis confractæ everſæque jacent. Vindicavit hæc omnia ab interitu, 1697.

 quem

Digitized by Google

quem Hiſpanorum ruditas minabatur, *Juan d' Alva*, Dominus de *Cetzicazgo*, &c. qui ex regibus *Teſcuci* deſcendebat; explicavit vero eadem D. *Carolus de Siguenza y Gongora*, *Cathedraticus proprietarius* & *Profeſſor Matheſeos Univerſitatis Mexicanæ*, in ſua *Cyclographia*, qui & idem edidit alium tractatum ſub titulo: *Libra Aſtronomica*. Ecquis vero credat, repertos fuiſſe, qui lacum Mexicanum (cujus accuratum typum exhibet Autor) pro beſtia illa Apocalyptica, cujus ſcilicet figuram ſitu ſuo referat, venditaverint, capita ejus ſeptem totidem nationes, quæ circa illum conſederunt pridem, decem vero cornua, Reges decem Mexicanorum, quorum literæ nominum initiales, Latine ſcilicet ſcriptæ, ſi cabbaliſtice exponantur, faciant ſummam 666, exponentes. Quantum ad reliqua, Autor exercitationibus & examinibus Academicis quarumlibet Facultatum in Univerſitate Mexicana crebro ſe interfuiſſe teſtatur. Poſt diuturnam in Mexico moram, viſisque urbibus aliis, *Novam veram crucem* acceſſit, cujus urbis ædes flante borea ſæpius arena quaſi ſepeliuntur, muri adeo humiles & exigui, ut & ipſi ſub arena aggeſta jam maximam partem lateant, & pediti equitiq; tranſitum præbeant. Inde *Havanam* ac porro *Gades* verſus iter inſtituit, quo tandem
1698. 1698 d. 4 Junii delatus, iter Neapolin, unde egreſſus erat, per *Madritum*, quam urbem hic denuo prolixe deſcribit, *Toloſam*, *Maſſiliam*, *Genuam*, *Mediolanum*, *Parmam*, *Rhegium*, *Bononiam*, *Florentiam*, *Romamque* remenſus eſt. Hæc ſunt, quæ de præcipuo itinere ſuo Tomis VI prioribus expoſuit Autor, quibus cum juſto fere diutius immorati ſimus, reliquis tribus Tomis, quibus alia itinera per Europam ſuſcepta pari ſtudio complexus eſt, recenſendis facile ſuperſedebimus. Lectu imprimis digna ſunt, quæ de bello Hungarico refert, cui, luſtratis aliis regionibus, interfuit, ubi obſidionem Budenſem alteram, ejusque expugnationem, ac prælium Mohacenſe accurate deſcripſit. In ultimo Tomo præter ea, quæ ipſe αὐτόπτης ſpectavit, ex accuratis commentariis *Leopoldi Henrici Fortinez*, Generalis Adjutoris in exercitu *Caroli III*, multa affert non ubivis obvia, in quibus ſunt iter invictiſſimi hodie Imperatoris Caroli III in Hiſpaniam & res ibidem geſtæ, uſque ad annum 1710;
præ-

prælium ad *Almanzam*, in quo victoriæ Gallorum cauſam potiſſimam putat, quod ſtratagemate eodem, quo *Hannibal* ad *Cannas*, uſi fuerint, aliquas turmas ſub transfugarum ſpecie ſubornantes, quæ receptæ poſt noſtrorum aciem, a tergo noſtros adorti ſint; diarium obſidionis *Calpæ*, utriusque obſidionis *Barcinonenſis*, expeditionisque, quæ poſt alteram a Philippo fruſtra tentatam ſecuta eſt, in *Arragoniam* & *Caſtellam*; iter ſponſæ Caroli III, nec non expeditio altera in Caſtellam, *Starembergio* ſummæ rerum præfecto. Ceterum fatendum quidem, & dictionem Autoris non minus ingenioſam eſſe quam planam, eoque lectu jucundam, & præterea decus itinerario afferri, præmiſſis per modum epiſtolarum Tomo VII & VIII exordiis, pro more gentis dictante quaſi Venere ad matronas quasdam ſcriptis, nec non interſperſis ex literatura varia & hiſtoria Romana veteri floribus. Neque tamen diſſimulandum, nomina propria locorum exoticorum, quæ ab ore Italico paulo abhorrent, quandoque mirum in modum corrumpi, Germanica imprimis: ita enim ſub *Peſantocerle* bey Sanct Ulrich, ſub *Alicrater*, heilig Creutzer, &c. tegi, haud facile quisquam divinaverit.

SUPER DISQUISITIONEM G. FRID. RICHTERI, de iis quæ Opticæ Newtonianæ JOH. RIZZETTUS oppoſuit, (vid. Suppl. Act. T. VIII Sect. III p. 127, & Sect. V p. 226, & Suppl. Diarii Ital. T. I Art. XII p. 373) Reſponſio: Autore eodem RIZZETTO.

QUod Clariſſ. Vir *Richterus* novam obſervationem, ſpectantem ad difformem humoris cryſtallini denſitatem, pro humanitate ſua laudat, ſpem facit, ut, quæ adverſus ſummum Newtonum, ejusque opticam hypotheſin dicenda erunt, animo æquo & a partium ſtudiis alieno in Anglia excipiantur. Inprimis doctiſſ. Adverſarium id ſibi ſuadere velim, me dogma Newtonianum de diverſa colorum refrangibilitate non eo conſilio impugnaſſe, ut teleſcopia ab impoſita imperfectione vindicarem; ſed ea potiſſimum ratione ductum, quod ſyſtema phænome-

nomenis non ſat bene reſpondet. Si vero experimenta Newtoni a Clariſſ. Deſagulierio (pluribus utriusque Academiæ Londinenſis & Pariſienſis Sociis inſpectantibus) ſæpenumero repetita, pro præjudicio valere debent, fateor me incaſſum laboraſſe. Ea porro, quæ vera ſunt, vel quæ mihi viſa fuerunt falſa & in nonnullis circumſtantiis deficientia, literis ad Anglicanam Societatem datis candide expoſui. Addo, Viros celeberrimos nihil adhuc tentaſſe ultra id, quod ab Illuſtri Newtono factum novimus, neque ad veritatem eruendam experimentis experimenta addidiſſe. Id ego nullis parcens laboribus præſtiti, ut nonniſi probe cognita cauſa, omnibusque perſpectis, de Clariſſ. Autoris ſyſtemate judicium ferrem. Utrum autem conatus ex voto ceſſerit, aliorum eſto judicium.

De experimento ſecundo opticæ Newtonianæ P. I l. I jure meritoque Nobiliſſ. Adverſarius exultat; illo enim omni adhibita diligentia coram Regia Societate repetito eventum Newtonianæ ſententiæ reſpondiſſe, adverſus id, quod a me ſancitum fuit in epiſtola ad Nobilem Virum Chriſtianum Martinellum, in Transactionibus Anglicanis præteriti Decembris tradidit Deſagulierius. Imagine chartæ, cujus dimidia pars erat rubra, dimidia cœrulea, in alteram chartam albam, ope interpoſitæ lentis, projecta, mihi focus utriusque coloris viſus fuit æqualiter a lente remotus; in Anglia vero focus coloris cœrulei minus quam ille rubri a lente diſtans apparuit. Hinc phænomenis inter ſe diſcrepantibus, fallaciæ vel ex una vel ex altera parte metuendæ erant. Non aliud vero a Doctiſſ. Richtero expectandum, quam me deceptum fuiſſe. Dum enim audit experimenta Newtoniana aliis haud ſatis ex Autoris ſententia ſucceſſiſſe, id potius defectui accurationis tribuere vult. Ne igitur munus inquirendæ veritatis ego quoque desererem, experimentum iterum inſtituendum eſſe putavi.

Cum difficillimum ſit utramque chartam, nempe eam, quæ loco objecti eſt, & aliam, quæ imaginem excipit, lentemque intermediam collocare, ut ne hilum quidem a debito ſitu exorbitent, fateor, frequentiſſime accidere, ut pars imaginis confuſa cernatur, dum altera apparuit diſtincta. Præoccupatio autem

autem facit, ut omnia rite diſpoſita non putentur, niſi juxta præcedentem noſtram exſpectatioem contingant. Utrum hac regula lesbia Angli uſi ſint, affirmare non auſim, hoc unum ſcio ac periculo meo didici, propoſitam obſervationem inter fallaces & nimis operoſas recenſeri oportere.

In firmo atque ſtabili pariete figura rectangula delineata, ejus partem dextram rubro colore, & ſiniſtram cœruleo infeci. Erant autem colores vividiſſimi, & a flamma candelæ æqualiter illuminati, quibus ſuperimponebam craticulam mobilem ex nigerrimis & ſubtilioribus filis contextam. Cum lux a coloribus reflexa in lentem ſatis amplam & immotam, more Newtoniano, radiaret, accidit aliquando, ut imago partis rubræ tabula excepta videretur diſtincta, & imago cœruleæ confuſa. In hoc caſu ſi æqualis ſupponatur utriusque coloris in lentem incidentia, neceſſario colligi debet inæqualis eorum refrangibilitas. At ſi axis lentis fingatur pauliſper detortus, fieri poterat, ut inæqualis appareret diſtinctio, non ob variam radiorum refrangibilitatem, ſed potius ob diverſam incidentiam. Ut de hac re judicium ferrem, omnibus in prima poſitione manentibus, hoc ſolum immutatum fuit, ut penicillo adhibito color ruber ad ſiniſtram partem tranſiret, & cœruleus ad dextram, deletis prioribus coloribus, & novis in eodem loco ſubſtitutis. Hujus experimenti, quod nulla exceptione elidi poteſt, talis exitus fuit. Eadem perſeverante radiorum incidentia, imago partis cœruleæ eam diſtinctionem lucrata eſt, quam prius obtinebat imago partis rubræ, ex quo didici, ab operoſo hoc experimento deceptos illuſtres illos viros, qui illud iterandum operæ pretium eſſe duxerunt. Quid enim? juxta Newtoni hypotheſin permutatis coloribus diſtinctio in eorum ſpectris permutari non debebat, quod cum factum ſit, id tribuendum inæquali radiorum refrangibilitati. Quodſi lentem & tabulam ita collocabam, ut colorum rubri & cœrulei imagines cernerentur diſtinctæ, ex colorum permutatione nullum in diſtinctione oriebatur diſcrimen. Cum igitur experimentum Newtoni ſæpe expectationem meam fraudaverit, ſtatim judicandum non erat, hoc contigiſſe propter accurationis defectum, ſed potius ab æquivocatione cavendum,

ne diverſæ colorum refrangibilitati illa diſtinctionis diverſitas tribueretur, quæ tribuenda erat diverſæ colorum incidentiæ. Ex dictis aliquid lucis affulget, ut nobis fucum non faciat experimentum 8 Part. I l. 1, quod aliquid habere veri, in meis litteris ad Regiam Societatem miſſis indicavi. Solis lumine per foramen in cubiculum obſcurum immiſſo ac per priſma trajecto, colorem rubrum ceteris coloribus ſeparatum aperto libro Newtonus excepit. Tum intervallo ſex pedum a libro lentem erexit, quæ lumen a libro reflexum, ſimili iterum ſex pedum intervallo, colligeret, ac librum lentemque firmavit, ne moveretur. Deinde notato loco, quo imago libri a lumine rubro illuſtrati diſtinctiſſime depingeretur, expectavit donec motu Solis, & per conſequens motu ſpectri colorati, liber a lumine illuſtraretur cœruleo. Tandem altero notato loco, quo imago libri, eodem lumine illuſtrati cæruleo, diſtinctiſſime exhiberetur, refert, inveniſſe hunc locum lenti propinquiorem (intervallo unciarum $2\frac{3}{4}$ inter duo loca interjecto.) Porro libro ac lente ſingulis in ſuo loco manentibus, perperam putavit hunc eſſe caſum, in quo luminis cœrulei in lentem incidentia eadem foret, quæ fuerat rubri; & proinde Clariſſ. Autori parcendum eſt, ſi tam fallaci experimento libenter indulgens exiſtimavit lumen cœruleum eſſe magis refractum quam rubrum, & illud eſſe iſto quoque refrangibilius. Nos autem invenimus ac ſuo loco demonſtrabimus, inæquales inclinationes fuiſſe, quibus duo lumina rubrum & cœruleum incidebant in librum, & proinde inæqualibus quoque exiſtentibus inclinationibus, quibus ea lumina ex libro traducebantur ad lentem, quamvis ea forent æqualiter refrangibilia, imago tamen libri ab uno illuſtrati diſtingui debebat in illa a lente diſtantia, in qua imago ejusdem libri illuſtrati ab altero lumine confundebatur.

De meo experimento duorum filorum violacei & rubri ſeſe contingentium, quæ uno obtutu æqualiter diſtincta videntur, nonnulla doctiſſimus Adverſarius carpit, reliqua eludit. Notat, Newtonum ſatis amplam imaginem procuraſſe, adhibita lente & chartæ plagula juſtæ magnitudinis, me autem pro plagula duo exilia fila ſubſtituiſſe, & pro lente amplioris latitudinis exigu-

um

um oculi cryſtallinum. Neſcio autem an illo ſuadere poterit, quod vitium ex diverſa colorum refrangibilitate originem trahens facilius percipi poſſit in experimento Newtoniano, nempe in ampla imagine objecti majuſculi, ac illi aberrationi obnoxia, quæ oritur ex Sphærica lentis figura, potius quam in experimento meo, nempe in imagine objecti minuſculi, exigua & a dicta aberratione immuni. Addit, Deſagulierium in experimento Newtoni iterando, inter lucernam chartæ coloratæ appoſitam, atque inter lentem, interpoſuiſſe corpus quoddam opacum, ut a lucerna ad lentem nullus radius directus affulgeret, me autem de excludendis ex oculo aliorum corporum lucentium radiis haudquaquam ſollicitum fuiſſe. Si autem fila in meo experimento propoſita, panno nigro ſubſtrato, ac tubo chartæ nigræ ad oculum applicato, ipſe inſpexiſſet, viſa eadem filorum (quam in meo experimento retuli) diſtinctione, a ſupra dicta reprehenſione abſtinuiſſet. Cum autem idem arguat experimentum tanquam vulgare & incurioſum potius quam ſimplex (quandoquidem in exiguo cryſtallini humoris ambitu multo plus myſterii quam in ampliſſima lente vitrea lateat) oculum ab aberratione Newtoniana liberare videtur; quod ultra accipio: imo cum filum utrumque interpoſita etiam lente diſtinctum appareat, videat Clariſſ. Adverſarius, ne quis, inſtaurato argumento, lentem quoque a diſtractione Newtoniana immunes evincat. Ego utique in ſupra citata epiſtola demonſtravi, a varia cryſtallini denſitate corrigi aberrationem, quæ oritur ex ſphærica figura; quod igitur corrigatur ea pariter aberratio, quæ ex diverſa coloratione procedit, is quoque demonſtrare debebat.

Meam demonſtrationem ex diagrammate petitam cum ſolvere non poſſet, eludere adhibito exemplo conatur. Geminis ſubtiliſſimis filis, altero rubro, altero cœruleo, in meo experimento poſitis circa punctum *A*, ac radiantibus in oculum *Bb*, in hypotheſi diverſæ colorum refrangibilitatis oſtendi, imaginem rubri eſſe in *e*, illam cœrulei in *c*, ac diſtantiam *ce* ſatis ſuperque ſenſibilem eſſe affirmavi. Loco filorum Adverſarius ſubſtituit tenuem virgam unicolorem *Aa*, cujus extremitas *a* ſit oculo propior, altera *A* remotior; ac juxta notam refractionis **Fig. 1.**

 legem

legem pariter is oſtendit, imaginem partis propinquioris eſſe in *e*, remotioris in *c*; atque inſuper aſſerit diſtantiam *ce* ſatis ſuperque ſenſibilem eſſe. Nunc fundus oculi in *FeG* geminas accipiet imagines: illa fili rubri (ſicut illa extremitatis virgæ propinquioris) contracta in minus ſpatium circa *e* eximia diſtinctione excellet, altera fili cœrulei (ſicut altera extremitatis virgæ remotioris) diſtracta in amplius ſpatium *FG* ſpeciem ſui referet confuſam. Cum igitur ego dixiſſem, oculum non poſſe in hypotheſi diverſæ colorum refrangibilitatis videre uno obtutu gemina fila æqualiter diſtincta, & cum ipſa tamen videantur æquali diſtinctione perſpicua, inde collegiſſem male, huic diſtinctioni eandem hypotheſin convenire: reſpondet Cl. Richterus, quod nec oculus poteſt juxta notam refractionis legem videre uno obtutu diſtinctam utramque virgæ extremitatem; at cum tamen utraque ſimul extremitas diſtinguatur, ſi hujus diſtinctionis cauſam quæſiero, videbo quod ſimili plane modo oculus poterit gemina quoque fila æqualiter diſtincta intueri. Hoc utique exemplum ingenioſum eſt, ſed pro eludendo meo filorum experimento minus idoneum. Imprimis, ne de facto contentio oriatur, concedere lubet, quod, ſi virga propoſita parvæ fuerit longitudinis, & ab oculo debite remota, ejus geminæ extremitates videri poterunt uno intuitu diſtinctæ; nam ſi longior virga fuerit, aſſertio Richteri falſa eſt, oppoſitum docente ratione & experientia. Interim in meo filorum experimento diſtantiam *ce* ſatis ſuperque ſenſibilem non modo vocavi ſed etiam demonſtravi, principiis Newtonianis inſiſtens, & ſi majori illuſtratione res indigeat, in promtu erit clarior demonſtratio. Verum in exemplo virgæ Adverſarius eandem diſtantiam *ce* ſatis ſuperque ſenſibilem vocat, non autem demonſtrat. Nec eam poteſt ſatis ſenſibilem demonſtrare; illa enim, quæ ſequuntur, repugnant. Flores campi a Sole probe illuminatos ac intervallo viginti circiter paſſuum ab oculo remoto inſpiciens, inter illos & oculum interpoſui capillum, intervallo unius pedis ab oculo diſtantem. Cum oculus intenderet in flores, ipſi inter ſe diſtincti apparebant. Cum autem oculus intenderet in capillum, hic utique videbatur diſtinctus; at eodem obtutu flores confuſam colo-

Digitized by Google

colorum congeriem exhibebant. Poſitis capillo in *a* & flore in *A*, ac magna diſtantia *aA*, videlicet plurium paſſuum; ſubſtituatur in *a* extremitas virgæ *aA*, cujus longitudo *aA* ſit parva (exempli gratia) dimidii pedis. Si veteri refractionis canoni inſiſtentes fingamus a puncto *e* exponi imaginem capilli ac extremitatis virgæ *a*, & a puncto *c* imagines floris ac alterius extremitatis virgæ *A*, punctum *e* in utroque caſu manebit, at diſtantia *ce* erit in primo major, in ſecundo minor. In primo caſu differentia diſtinctionis, qua flos & capillus apparet, ſatis ſuperque nos docet, ita ſenſibilem eſſe diſtantiam *ce* ut in oculi fundo *FG*, ubi depingitur imago diſtincta, depingatur imago floris confuſa. In caſu autem virgæ ipſa diſtantia *ce* poteſt eſſe ita exigua, ut in ipſo oculi fundo *FG*, ubi bene diſtinguitur unius extremitatis imago, ſatis quoque imago alterius extremitatis diſtinguatur. Sicut igitur, differentia diſtinctionis indicante, in caſu floris & capilli diſtantiam *ce* ſenſibilem eſſe cognoſcimus; ita differentia diſtinctionis latente, in caſu virgæ diſtantiam *ce* inſenſibilem eſſe affirmamus. Porro in lentem *Bb*, ex una eademque materia confectam, radiantibus geminis punctis *a*, *A*, inæqualiter a lente remotis, quorum imagines principaliter depingantur; illa ſcilicet puncti propinquioris *a* in puncto *e*, & illa puncti remotioris *A* in puncto *c*; ſi materia lentis mutatur in denſiorem interius, ac in rariorem exterius, ita ut maneat punctum *e*, adhibito calculo inveni, punctum *c* puncto *e* appropinquare. Hoc erit alibi perfecta demonſtratione oſtendendum, interim indico, in cryſtallino interius denſiore ac exterius rariore plus myſterii quam in lente vitrea latere, non modo propter alias proprietates, quas in ſupra citata mea epiſtola expoſui, ſed propter eam quoque, qua oculo res inæqualiter remotas uno obtutu inſpiciente, diverſitas diſtinctionis abſconditur, ſi differentia diſtantiarum eſt parva, & illa tantummodo manifeſtatur, quando differentia diſtantiarum eſt magna. Hinc genuinam cauſam inquirens, qua geminæ virgæ extremitates videntur æqualiter uno intuitu diſtinctæ, Nobiliſſ. Adverſarii paralogiſmum invenio; is enim putat in caſu virgæ ſenſibilem illam diſtantiam *ce*, quæ inſenſibilis eſt. Cum igitur ipſa diſtan-

tia *ce*, in caſu virgæ, juxta veteres refractionis leges, ſit nimis exigua, & in caſu filorum, juxta novas Newtoni leges, ſit ſatis magna, non video, quod æqualis illa diſtinctio quæ habetur utriusque extremitatis virgæ, pariter haberi poſſit utriusque fili. Quæ ſi tamen habetur, contra hanc diſtinctionem Adverſarius in caſſum, adhibitò virgæ exemplo, Newtonianas leges tuetur.

Circa oculum, flores ſimul ac capillum uno obtutu inſpicientem, alia conſideratio ſubjungenda eſt, ne illa mihi ignota eſſe videatur. Dum capillus apparet diſtinctus, ac flores congeriem exhibent colorum confuſam: ſit capillus *a*, cujus imago *e*, flos *A*, cujus imago *c*. Hinc productis *Bc*, *bc*, donec occurrant in punctis *G*, *F*, rectæ *GF*, ductæ per punctum *e*, ac parallelæ lenti *Bb*, hic eſt caſus, in quo (ſenſibili exiſtente diſtantia *ce*) lumen aberrans florum, juxta veteres refractionis leges, diſtinctæ capilli imagini affunditur. In fundo igitur oculi *FG*, non modo ſunt florum imagines confundendæ, ſed imago quoque capilli turbanda, & per conſequens non modo flores, ſed capillus quoque e conſpectu auferendus. Attamen diverſum oſtendit experientia; dum enim flores videntur confuſi, capillus diſtinctus apparet. Hoc utique myſterium curioſum eſt, & erit alibi enucleandum: interim ex ea nulla conſequentia deducatur, quæ meum filorum experimentum contra novas Newtoni leges infirmet. Etenim in hoc, ſecundum has leges, affunditur diſtinctæ imagini unius fili lumen aberrans alterius, eo pacto, quo in experimento florum & capilli, hujus diſtinctæ imagini, ſecundum veteres refractionis leges, affunditur lumen aberrans florum. Sicut igitur in hoc flores videntur confuſi, capillus autem diſtinctus, ita in experimento filorum unum ex his poterit apparere diſtinctum, dum alterum videtur confuſum. Sed quid prodeſt? In experimento filorum hoc præcipuum ac maximum eſt, quod gemina fila æqualiter diſtincta inſpiciuntur, & ab hac duplici diſtinctione, ni fallor, leges Newtonianæ evertuntur.

Per prisma vitreum triangulare, cujus angulus refringens ſurſum convertebatur, chartam oblongam, dimidia parte rubram, & dimidia cœruleam (in Exper. 1 P. I l. 1) Newtonus inſpexit, & ego quoque intuitus ſum, ut retuli in epiſtola ad eun-

eundem Martinellum Suppl. Diar. Ital. T. I art. 12 inſerta. Ille (panno nigro chartæ coloratæ ſubſtrato) partem vidit cœruleam altius extolli quam rubram; ego (loco panni nigri tela candida ſubſtituta) partem vidi rubram altius extolli quam cœruleam. Ille elicuit ex ſuo experimento lumen coloris cœrulei fere refrangibilius lumine coloris rubri; ego autem ex ſuo meoque ſimul experimento collegi, diverſam colorum refrangibilitatem male hujusmodi fundamentis inſiſtere. Hanc exceptionem Adverſarius paucis tractandam eſſe putavit. Is ſolum obtrudit (Newtono in eodem experimento docente) lumen a candida tela reflexum, quod prope chartæ extremitates ad oculum tranſiens ſeſe lumini a charta reflexo immiſcet, eoque pacto experimentum interturbat. Quoniam nec in hoc caſu illuſtris *Richterus* videre curavit, quousque mea difficultas procedat, eam itaque clarius exponendam duxi, ut aliorum judicium ſit, utrum Richterianum reſponſum pro illa ſolvenda ſatis idoneum ſit. Super telam candidam *oc* poſui plagulam chartæ nigræ rectangulam *Pe*, eamque per priſma tranſpiciens (refractione ſurſum agente) vidi prope limbum inferiorem *PA* fimbriam coloris cœrulei ac violacei, prope limbum ſuperiorem *Qe* fimbriam coloris rubri & flavi, & longius ab ipſis limbis candorem. Etenim, ex ſententia Newtoniana, proprium colorem oſtendunt radii cœrulei ac violacei maxime refrangibiles telæ candidæ *OA*, emergentes prope limbum *PA*, & rubri ac flavi minime refrangibiles telæ candidæ *Qc*, emergentes prope limbum *Qe*: ſinguli (inquam) proprium colorem oſtendunt in illis locis, ubi radii chartæ nigræ *Pe*, quibus illi immiſcentur, nullum lumen, nullumque colorem præ ſe ferunt. His poſitis, ſint chartæ cœrulea *TG*, & rubra *Pe*, prima magis elata quam ſecunda, quales nempe debent juxta Newtonianam ſententiam apparere: dum ſubſternitur tela candida *Od*, prope limbum *TF* radii maxime refrangibiles telæ candidæ *LF* commiſcentur radiis chartæ cœruleæ *TG*; at quia ſunt inter ſe quam proxime homogenei, ſcilicet plerique cœrulei & pauci violacei, in loco itaque immixtionis non eſt alterandus color ipſius chartæ *TG*, nec mutandus eſt locus limbi *TF*. Color equidem alterandus eſt prope limbum *PA*, ubi Fig. 2.

ubi radii maxime refrangibiles telæ candidæ *O A* immiſcentur radiis chartæ rubræ *Pe*, ipſi enim ſunt inter ſe heterogenei, ſcilicet alii cœrulei ac violacei, & alii rubri. Ut autem mutetur locus limbi *PA*, ut ipſe limbus videatur altior limbo *TF*, in loco immixtionis candor eſt exhibendus.

Eodem repetito diſcurſu cognoſcitur, colorem chartæ rubræ *Pe* non eſſe alterandum prope limbum *Qe*, ubi radii minime refrangibiles telæ candidæ *Qc* immiſcentur radiis ipſius chartæ *Pe*; nec mutandum eſſe locum ipſius limbi *Qe*, ipſi enim radii ſunt inter ſe quam proxime homogenei, ſcilicet plerique rubri, & pauci flavi. Colorem autem alterandum eſſe cognoſcitur prope limbum *HG*, ubi radii minime refrangibiles telæ candidæ *HD* immiſcentur radiis chartæ *TG*, ipſi enim ſunt inter ſe heterogenei, nempe alii rubri ac flavi, alii cœrulei. Ut autem immutetur locus limbi *HG* & ipſe limbus videatur inferior limbo *Qe*, agnoſcitur quoque in loco immixtionis candorem eſſe exhibendum. Denique ut (ſalva diverſa colorum refrangibilitate) appareat charta rubra magis elata quam cœrulea, candor exhibendus eſt, ubi plures radii cœrulei ac violacei pluribus immiſcentur rubris, & ubi plures rubri ac flavi pluribus miſcentur cœruleis.

Ut de hoc judicium ferrem, lumen ſolare in cubiculum obſcurum immiſi per tria foramina, ſingula ſuo priſmate munita, ut tria ſpectra colorata depingerentur. Diſtantias foraminum ac poſitiones priſmatum inter ſe tales eſſe curavi, ut color cœruleus unius ſpectri & ruber alterius, prius cum flavo, deinde cum violaceo tertii ſpectri, in chartæ albæ plagula conveniret. His ita diſpoſitis, color reſultans nunquam albus, ſed ruber ſubobſcurus, nempe vinoſus, in uno caſu, & ad viridem vergens in altero, apparuit.

Si igitur candor, experientia docente, non exhibetur, ubi radii plures cœrulei ac violacei pluribus miſcentur rubris, nec ubi plures rubri ac flavi pluribus miſcentur cœruleis, itaque in hypotheſi diverſa colorum refrangibilitatis, charta rubra (ſubſtrata tela candida) nequit elevari magis quam cœrulea. Quod ſi tamen in hoc caſu rubra ſupra cœruleam elevatur, contra hanc eleva-

elevationem non ſatis eandem tuetur hypotheſin Adverſarius, allegando, lumen a candida tela reflexum, prope chartæ coloratæ extremitates ad oculum tranſiens, ſeſe lumini a charta reflexo immiſcere, eoque pacto experimentum interturbare. Plura eſſent de hujusmodi experimentis dicenda: circumſtantiis enim iisdem adhibitis, omnium colorum refrangibilitas non diverſa ſed eadem oſtendenda foret, & ipſis explicatis difficultas enodanda; ſed hæc lubens in aliud tempus rejicio, ne mea reſponſio nimis in longum protracta, ab illa brevitate diſſentiat, quam Doctiſſ. Adverſarius in ſua diſquiſitione curavit.

Cum in epiſtola ſupra citata prius cum Newtono affirmaſſem, lumen illud lucidi puncti diſpergi, quod refringitur a prismate, & poſtea contra Newtonum negaſſem, diſpergi illud, quod refringitur a lente; miratur ac ita obſtupeſcit Richterus, ut illi videatur, me potius in ſomnis quam mente vigili hanc negationem protuliſſe. Etenim dum radius *Ab* incidit in punctum *b*, ac refractus emergit a lente *Bb*, ductis tangentibus ad puncta *b*, *L*, ingreſſus & egreſſus, angulum refringentem deſignat prismatis *LKb*. Cumque demonſtraſſet, ipſum radium *Ab* per lentem propoſitam transeuntem, eodem plane modo refringi atque diſpergi, ac ſi in punctum *b* deſignati prismatis incideret; illud quoque contra meam negationem demonſtratum putat, quod ita radii diſpergantur alii, qui fluentes ex puncto lucido *A*, incidunt in reliqua puncta lentis *Bb*. Hic adverſariæ diſquiſitionis locus ita paucis tractandus non eſt; præter enim ſummi autoritatem Newtoni, contra me eſt egregii quoque Richteri non ſententia ſed demonſtratio. Fig. 1.

Dum Adverſarius oſtendit, unicum radium *Ab* incidentem in lentem *Bb* eodem plane modo refringi atque diſpergi, ac ſi incideret in priſma *LKb*, hæc demonſtratio eſt; id enim omne conſideratur, quod propoſitæ hypotheſi convenit. Dum autem is colligit ex ea demonſtratione, quod ita radii diſpergantur alii, qui fluentes ex puncto lucido *A* incidunt in reliqua puncta lentis *Bb*; hic paralogiſmus eſt. Non enim conſideratur lex actionis & reactionis, quæ in nova hypotheſi locum habet. Curioſæ ſunt atque ignotæ leges, quibus diſtrahitur lumen a lente refractum, & erunt alibi enucleandæ atque experimentis confirmandæ. In-

Digitized by Google

terim quæ ſatis ad intentum faciant, de illis tantum exponam. Radii puncti *A* incidentes in lentem *Bb*, juxta canonem vulgarem refringantur ita, ut omnes concurrant in punctum *e*. Ipſorum lumina vim propriam ſingula exerceant, ut diſtrahantur juxta refractiones ſuas, & ſint intra angulos *CBe*, *Cbe* comprehenſæ diſtractiones dependentes a radiis extremis *Be*, *be*; ſi diſtractiones radiorum fluentium ex puncto *A* omnes eſſent ad unam plagam conſpirantes (ſicut accidit, quando lumen Solis a prismate triangulari refringitur) nulla contraria actione impediente, ſingulæ ſuum ſortirentur effectum. At in caſu lentis propoſitæ, diſtractiones inter ſe contrariæ ad invicem congrediuntur (ſicut illæ radiorum *Be*, *be*) & ideo juxta legem actionis & reactionis ipſæ debent ſe mutuo cohibere, donec in puncto *e*, ubi principes radii concurrunt, ad terminum ſuum perveniant. Si igitur vires luminum, contraria ratione ad invicem concurrentium, inæquales ſunt, in puncto concurſus eſt oriunda diſtractio conſpirans ad plagam virium præpollentium, & conveniens exceſſui, quo vires præpollentes alias ſuperant. Aſt ſi vires luminum in diſtractionibus agendis ſunt utrobique æquales, diſtractionibus ad nihilum utrobique redactis, ea lumina ſunt iterum colligenda. Hinc ſi dimidia parte lentis vel pupillæ opaco corpore obtecta, objectis pars reliqua exponitur, coloratam diſtracti luminis fimbriam videri (Newtono quoque in Prop. 8 Part. II. l. 1 docente) intelligimus. At ſi lens vel pupilla tota aperta fuerit, nullam eſſe ipſius diſtracti luminis fimbriam (experientia quoque confirmante) cognoſcimus.

Profecto circa lentes, earumque affectiones, ab Anglis neceſſaria experimenta inſtituta non ſunt; deficientibus enim lentibus aqueo-vitreis, quas in mea epiſtola ad Regiam Societatem Londinenſem miſſa ſatis ad intentum facere indicavi, & quas ab eximio Newtono monitus conſtruendas curavi; attamen non defuerunt lentes vitreæ vulgares amplioris latitudinis, quarum aliqua Solis lumini per rotundum foramen in cubiculum obſcurum immiſſo debite expoſita, ſuper chartam albam in foco lentis convenienter accommodatam, doctiſſ. Adverſarius videre potuiſſet ſpeciem ſolarem duntaxat auctam illo lumine veteris aberrationis, quæ ex figura lentis originem ducit, & prorſus

ſus immunem a nova aberratione, quæ dicitur ex Newtoniano canone dependere.

Quod ad oculum nudum pertinet, nimis ſuæ demonſtrationi Adverſarius indulſit; ab hac enim captus, meum experimentum chartæ ac capilli paucis, more ſolito, tractandum eſſe putavit, ac neglecto calculo, quousque mea difficultas procederet, ignoravit. Illud ſatis videtur illuſtratum ab iis, quæ in Actis Lipſienſibus adverſariæ diſquiſitioni ſubjiciuntur. Quoniam tamen in pluribus ab egregio Richtero carpitur, illud eſt fortius in veritatis gratiam illuſtrandum. Super chartam albam a Sole probe illuminatam poſui capillum (intervallo unicarum $19\frac{1}{2}$) ab oculo remotum, & cum illum diſtinctiſſime cernerem, ita dicebam: ſit AH latitudo capilli; in oculum Bb incidant radii puncti A, & extremi AB, Ab, a refractione inflexi in Be, be, concurrant in puncto e, in quo ceteri quoque convenient, cum in oculo corrigatur aberratio vulgaris, ut in citata epiſtola oſtendi, & teſtatur illa diſtinctio qua fruimur. Radiis puncti H convenientibus pariter in puncto G, & reliquis punctorum intermediorum inter A, H, in totidem punctis intermediis inter G, E, ſit Ge latitudo imaginis in oculi fundo depictæ. His poſitis nemo ignorat, intra oculum decuſſari in aliquo puncto D radios Ae, HG, & reliquos quoque, qui fluentes ex ſingulis aliis punctis intermediis inter A, H, patiuntur refractionem phyſice nullam, & proinde in triangulis ſimilibus ADH, eDG eſſe $AH.eG::DA.De$. Cum igitur fundum oculi ſit a cornea remotum, intervallo circiter $\frac{3}{4}$ unciæ, erit diameter capilli AH ad diametrum imaginis Pe ſaltem ut DA ($19\frac{1}{2}$ unciæ) ad De ($\frac{3}{4}$ unciæ) & per conſequens latitudo imaginis eG vix æquabit $\frac{1}{28}$ latitudinis capilli AH. At latitudo ejusdem capilli vix æquabat $\frac{1}{19}$ latitudinis pupillæ, ea proinde latitudo imaginis eG vix erat æqualis $\frac{1}{26 \times 19}$ latitudinis ejusdem pupillæ. Si vero lumen juxta Newtoniana principia diſtraheretur, per ea quæ in Prop. 7 Part. I lib. 1 tradita ſunt, illud ſpatio diffunderetur, cujus diameter eſſet ſaltem æqualis $\frac{1}{28}$ diametri pupillæ; unde ejus luminis diſtracti diameter eſſet ad diametrum capilli ut $\frac{1}{28} : \frac{1}{26 \times 19}$

 aut

aut ut 19 : 1. Hinc igitur colligi poteſt, imaginem capilli fore a lumine diſtracto chartæ ſubſtratæ delendam & capillum e conſpectu auferendum, etiamſi in craſſitudinem longe majorem excreſceret. Cum autem capillus appareret eximia diſtinctione perſpicuus, aberrationem quæ ex Newtoniana lege dependet profligatam eſſe cenſebam. Hanc porro arbitratur tueri Adverſarius, objiciens, quod a Newtono loco ſupra citato allegatur: lumen nempe diſtractum realiter diffundi in ſpatium æquale $\frac{1}{28}$ latitudinis lentis (ſive pupillæ) at ita tamen illud extenuari in diſtantia a ſuo centro, ut ſenſum afficiat in ſpatio duntaxat æquali $\frac{1}{250}$ latitudinis pupillæ, & per conſequens minus idoneum eſſe pro imagine capilli in oculo confundenda. Hoc mihi parum ſatisfacere viſum fuit; nimis enim validum erat lumen chartæ ſubſtratæ, quæ data opera albeſcebat & ſolaribus radiis illuſtrata emicabat; unde ejus diſtractio ſenſibilis eſſe non poterat in decima tantum parte illius latitudinis, in quam illa diffundebatur. Me autem hoc minus movit: majorem difficultatem fecit, quod, quamvis lumen diſtractum in tam brevi ſpatio ſenſum afficeret, illius tamen diameter, in illa parte, in qua ſentiebatur, ad diametrum imaginis capilli erat ut $\frac{1}{250} : \frac{1}{26 . 19}$, ſcilicet ut 2 : 1, ac nihilominus erat imago capilli delenda, & capillus e conſpectu auferendus. Cum igitur capillus videretur diſtinctus, ex hac diſtinctione poterat Adverſarius calculo inſtituto colligere, quod in oculo diſtracti luminis fimbria non latet, quia ſenſibilis fit in ſpatio nimis exiguo, ſcilicet æquali $\frac{1}{250}$ latitudinis pupillæ, ſed quia vere ac realiter ipſa deficit. Hujuſmodi defectum ſibi quoque Adverſarius propoſuit Newtoniano dogmati conciliare. Allegavit capillum fuiſſe illuminatum ut chartam, & inde collegit, aberrans chartæ lumen a capilli multo fortiori lumine extinguendum eſſe. Dum autem capillum in meo experimento propoſitum intuebatur diſtinctis terminis definitum, ſi priſma vitreum oculo applicaſſet, capillum in viſione amiſiſſet; unde agnoviſſet, ſe fruſtra in conciliatione propoſita laboraturum. Etenim collegiſſet, quod (lumine objectorum vere ac realiter aberrante) lumen aberrans chartæ erat fortius lumine capilli, & hoc ab illo prorſus extin-

Po-

Digitized by Google

Potius objiciendum erat experimentum florum & capilli, quod ſupra poſitum fuit. Sicut enim in hoc lumen florum, quod aberrat juxta veteres leges refractionis, ita in experimento chartæ & capilli, lumen chartæ, quod aberrat juxta novas leges diſtractionis, in utroque caſu imagini capilli affunditur. Cum igitur in utroque caſu capillus appareat eadem diſtinctione perſpicuus, poterat allegari, quod illo modo quo capillus diſtinctus apparet in uno, ita quoque diſtinctus appareat in altero. At inter gemina experimenta magna diverſitas eſt; in primo enim juxta veteres leges refractionis lumen aberrat florum, non autem capilli, & cum videatur capillus diſtinctus & flores confuſi, cognoſcitur non aberrare lumen capilli, ſed illud florum. In ſecundo, juxta novas leges diſtractionis, debent aberrare lumina & chartæ & capilli; & cum capillus & charta æqualiter diſtinguantur, agnoſcitur, nec aberrare lumen capilli nec illud chartæ.

Neſcio tandem cur Adverſarius me arguat operam non dediſſe, ut nulli radii, præterquam illi a chartæ partibus capillo proximioribus reflexi, oculum intrarent, & cur miretur, me loco capilli non ſubſtituiſſe aliud objectum, quod aut nullum lumen aut minime notabile reflecteret. Etenim ſcio capillum (tubo chartæ nigræ ad oculum applicato) diſtinctum ſicut oculo nudo apparere, & nigras literas, chartæ propoſitæ ſubtiliſſimis lineis inſcriptas, diſtinctiſſime legi. Unde iis repetitis, quæ ſupra expoſita ſunt, magis ſemper atque magis manifeſtatur, lumen aberrationis Newtonianæ in oculo nudo nulla alia cauſa latere, niſi quia vere ac realiter abeſt.

Quod ad oculum lentibus munitum pertinet, videtur Newtonum ſatis ſollicite non quæſiſſe ſuam aberrationem nec in ſola lente nec in oculo nudo; cum enim in his illam non inveniſſet, nec eam in oculo per lentes tranſpiciente tam aſſidue inveſtigaſſet, in hac porro inveſtigatione fruſtra moratus eſt; etenim in Prop. 7 Part. I l. 1 miratur, a conſpicillis tubulatis res objectas ita diſtinctas exhiberi, ut revera exhibentur. Verum omnem lapidem movit, donec per lentes, niſi terreſtria, ſaltim cœleſtia tranſpiciens, eam deniq; inveniſſe crediderit. Aſtronomi (inquit) per teleſcopia longiora tranſpicientes, obſervant diametrum ſtellæ fixæ eſſe 5″ aut 6″: ſi autem vitrum oculare facis fumo infuſcatur,

fuſcatur, quo lumen ſtellæ obſcuretur, languidum illud lumen, quod adeſt in circuitu ſtellæ, evaneſcit, ac ſtella ad puncti mathematici ſimilitudinem propius accedit. Cum igitur ſtella ob immenſam diſtantiam inſtar puncti apparere debeat; inde lumen, quo ſtella ante infuſcationem lentis dilatata videtur, eſſe novæ diſtractionis legi tribuendum affirmat. In hac porro contemplatione non animadvertit, id genus luminis aberrantis etiam oculo nudo apparere; ſtella enim videtur confuſe aucta, a quodam lumine exiliente, quod capillitium vocatur. Nec pariter ipſe notavit, id ipſum lumen latius in oculo nudo diffundi, & teleſcopio interpoſito contrahi. Cum ſtella videatur minor teleſcopio, quam oculo nudo, inde colligitur, a teleſcopio contrahi imaginem ſtellæ in oculo nudo depictæ. Cum autem dioptrica ſcientia nos doceat, quod teleſcopio interpoſito, niſi augetur, minime ſaltem contrahitur illa ſtellæ imago vera, quæ a principibus radiis in oculo nudo depingitur, itaque manifeſtum eſt, contrahi teleſcopio interpoſito illam imaginem falſam, quæ a lumine aberrante in oculo nudo depicta imaginem veram circumdat. Si hæc Vir doctiſſ. animadvertiſſet, pariter agnoviſſet, lumen illud imaginis falſæ (quod remanet teleſcopio interpoſito) diſtractioni tribuendum non eſſe. Si flamma candelæ intervallo unius pedis ab oculo diſtat, ea videtur ita diſtinctis terminis definita, ut nobis fatendum ſit, nullam diſtractionem adeſſe; ſi vero illa plurium paſſuum intervallo ab oculo removetur, aucta crinibus luminoſis apparet. Id genus luminis eſſe illud quoque, quo ſtella coronata oculo nudo exhibetur, neminem arbitror ignorare. Si id ipſum igitur lumen diſtractioni Newtonianæ tribuendum eſſet, id utique, juxta Autoris principia, oculo nudo appareret non modo in objecto longinquo, ſed quoque in propinquo, & illud quod in longinquo apparet, a teleſcopio dilataretur. At ipſum lumen oculo nudo minime apparet in objecto propinquo, & illud, quod apparet in longinquo, a teleſcopio minime dilatatur, ſed imo contrahitur; ſi itaque non contrahitur ex toto, manifeſto patet, reliquum ex nova diſtractionis lege minime dependere. Id utique tribuendum eſſe veteri refractionis legi, in mea ſupra citata epiſtola ſatis demonſtratum puto, & ſi

ſi majori illuſtratione res indigeat, clarior alibi demonſtratio non deerit. Interim capillum ſuper chartam albam probe illuminatam Adverſarius per microſcopium tranſpiciat, & quamvis major, microſcopio interpoſito, quam in oculo nudo, juxta dogma Newtonianum, diſtracti luminis fimbria futura ſit; cum tamen capillum diſtinctiſſime videat, inde cognoſcat, quod, ſicut in ſola lente vel in oculo nudo, ita microſcopio vel teleſcopio interpoſito, ea fimbria nulla alia cauſa latet, niſi quia vere ac realiter illa deficit. Quod ſi Newtoni ſententiam confutatam videt in caſu lentis, non dicat eam quoque refelli in caſu priſmatis, ſed potius colligat, in illa diſtractionibus inter ſe contrariis mutuo ſe deſtruentibus nullum coloratæ fimbriæ veſtigium agnoſci, in hoc, diſtractionibus multis ad unam plagam conſpirantibus, effectum in fimbria colorata videri, quem ſingulæ diſtractiones ſortiuntur. Quod ſi miſſa diverſa colorum refrangibilitate ipſe quærit, unde fimbriæ colores oriantur, pauliſper exſpectet, huic enim quæſtioni brevi tempore ſatisfaciam.

Fig. 1.





Fig. 2.



TESTA.

TESTAMENTUM MAGNI, REGIS NORvegiæ, conſcriptum A.C. MCCLXXVII; nunc primum e tenebris erutum, & in publicam lucem productum.

Haſniæ, typis Wielandianis, 1719, 8.

Plag. $1\frac{1}{2}$.

MAgnus, Norvegiæ Rex, A. 1280 fato ſuo functus, ob re-
ſtitutam regno ſuo juſtitiam, indefeſſamque in corrigen-
dis veteribus Norvegiæ Legibus ſtudium, *Lagabæter*, i.e. Le-
gum Emendator, vulgo cognominatur. Pietatem erga pau-
peres hoc teſtamento ſatis probatam dedit, magnas enim pe-
p. 6. cuniæ ſummas legavit I *Egenis* per provincias, qui belli tem-
pore naves expedire tenebantur: unaquæque enim provincia
Norvegiæ ſecundum hanc navium expeditionem in partes divi-
debatur, quas illi *Skipreidas* (a parandis navibus) vocarunt;
10. II *Monaſteriis, templis* & *hoſpitalibus*. Sub finem ſepulcrum ſibi
17. Bergis elegit, & Clementis IV confirmationem inſeruit. Mo-
18. netam obſervamus duplicem memorari, nimirum marcas mone-
tæ uſualis, h. e. Dano-Norvegicæ, & Marcas Sterlingorum,
quæ Anglicam originem produnt. Exſtat autem hoc Teſta-
mentum in Regiæ Univerſitatis Haſnienſis Bibliothecæ Codi-
ce membraneo, CCCC circiter annorum ætatem referente.
Hinc exſcripſit Ampliſſimus Vir, *Arnas Magnæus*, Hiſtoricus
& Archivarius Regius, (ex cujus præfatiuncula hæc decerpi-
mus) non eo conſilio, ut ſeorſim ederetur, ſed ut cum aliis
hujusmodi tabulis conjunctim prodiret. Mutavit autem pro-
poſitum, poſtquam V. C. *Joachimus Wieland*, Secretarius Re-
gius, ab ipſo popoſcit, ut ex typographia ſua, quam nuper
adornavit, primitiarum loco proderet hoc teſtamentum, cum
& memoria dignum ſit, & in Thormodi Torfæi Hiſtoria
Norvegica deſideretur.

)o(

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IIX Sect. VIII.

GEORGII BUCHANANI, SCOTI, OPERA omnia, ad optimorum Codicum fidem ſummo ſtudio recognita & caſtigata; curante THOMA RUDDIMANNO A. M.

Tomi II.

Edinburgi, apud Robertum Freebairn, 1715, f. maj.
Alph. 12.

MErebatur omnino Buchananus, Scotiæ decus, Poetarum ſui ſeculi facile Princeps & Hiſtoricus patriarum rerum excellens, ut omnia ingenii maximi monumenta a civibus in pretio haberentur, ſtudioſe aſſervarentur, colligerentur in unum, & quanta fieri poſſet cura atque elegantia poſteritati commendarentur, quo pio officio ad preces Roberti Freebaírnii Edinburgenſis Bibliopolæ, de tanti Viri operibus reſtituendis dudum ſolliciti, cum laude & diligentia maxima defunctus eſt Cl. Ruddimannus. Nec adeo a nobis ſilentio involvendum eſt præclarum opus, dicendum potius in annalibus noſtris, licet tardius, non ut inſuper habitum hactenus, ſed quod ſerius in manus noſtras pervenerit. In præfatione explicatur, quo apparatu ad opus exornandum inſtructus fuerit Cl. Editor, & Scriptorum Buchanani hiſtoria concinne traditur, quorum cum ſit potiſſimum aureumque maxime Pſalmorum nobiliſſima Paraphraſis, in fronte ſtatim Buchananus cum adverſus alterius Pa-

raphraſtæ Pſalmorum Davidicorum, Ludovici Crucii, Jeſuitæ Olyſipponenſis, criminationem, Buchananum id egiſſe, ne clariſſima notiſſimaque de Chriſto opt. max. vaticinia, quæ Pſalmis continentur, ſuo in carmine apparerent, tum adverſus ea, quæ Joſephus Trappius & Leonardus Welſtedius in nonnullos Pſalmos temere jactarunt, defenditur. A Welſtedii injuriis, qui in notis ad Anglicam Longini verſionem Pſalmum Buchanani, qui incipit: *Dum procul a patria*, inter Davidicos numero CXXXVII barbariei, Gothiciſmi & neoteriſmi temere accuſavit, optimum Poetam & ingentes ejus manes vindicavit publicis prælectionibus, aliquando in lucem prodituris, Andreas Roſſius, Humaniorum literarum in Academia Glaſcuenſi Profeſſor. Trappio autem, qui in Prælectionibus Poeticis contendit, in ejusdem Pſalmi Paraphraſi initio:

Dum procul a patria mæſti Babylonis in oris
Fluminis ad liquidas forte ſedemus aquas,
Flevimus, & gemitus luctantia verba repreſſit
Inque ſinus liquidæ decidit imber aquæ.

non fuiſſe opus, ut vel *ſemel*, multo minus trium verſiculorum ſpatio *bis* aquam liquidam eſſe admonerentur lectores, ipſe Cl. Ruddimannus reſpondet, monendo primum, male integrum diſtichon inter illa duo medium omitti a Trappio:

Illa animum ſubiit ſpecies miſeranda Sionis
Et nunquam patrii tecta videnda ſoli.

nec adeo recte dici *trium* verſiculorum ſpatio, ſed *quinque* repeti unam eandemque vocem, deinde docte aſſerendo, liquidum hic non denotare *fluidum humidumve*, quod de aqua dici ſupervacaneum videtur, ſed *purum defæcatumve*, qualis Euphrates, quales lacrymæ eſſe ſolent, & ita uſos eo epitheto optimos Poetas, Virgilium, Homerum etiam in ſuo ſermone, alios aquam deſcribentes. Si olores iſtos interſtrepere nobis licet, tantum abeſt, ut peccatum Buchanani hic credamus accuſandum, ut potius exiſtimemus, haud parum decoris ademtum iri carmini nobiliſſimo, ſi ex vocibus *liquidus* & *liquidæ* vel alterutra vel utraque expungeretur. *Liquidum* enim non modo ſignificat *purum & defæcatum*, ſed, quæ purorum & limpidorum conjunctiſſima

eſt

Digitized by Google

eſt qualitas, mobile maxime, facile fluens, &, ut Lucretiano verbo utamur, *diffuſile;* quo ſenſu & Plinius uſus eſt Hiſtoriæ Naturalis XXXIV, 8 verbis: *Fecit Eutychides Eurotam, in quo artem ipſo amne* liquidiorem *plurimi dixere.* Sane Euphrates talis deſcribitur, ut non, inſtar pigrorum Erebi fluminum, ſuam quaſi molem invitus trahens, ſe ægre loco moveat, ſed prono veluti alveo feratur; & lacrymæ per genas ruentes eodem ſenſu ſunt liquidiſſimæ. Ex iſtarum autem idearum, fluminis ruentis & cadentium lacrymarum, collatione tenerrima in mente lectorum naſcitur imago, quatenus ipſa illa liquida peregrini fluminis fluenta apud bonos illos captivos naturali ratione imbrem lacrymarum non minus liquidum junxiſſe, ac veluti provocaſſe viſi ſunt. Sed hæc hactenus.

In Hiſtoria etiam Scotica deſiderantur nonnulla, illud præter rem, quod ſervilis nimis Livii imitator ſit, hæc duo ex Noſtri ſententia verius, primum quod provectiore demum ætate tantum opus aggreſſus ſit, adeoque Herculeo labori, qui Scriptori in perlegendis tot antiquiſſimis monumentis digerendisque & diſcernendis veritatibus devorandus eſt, non ſuffecerit, tum, quod Moravio addictior Mariam Reginam nimis inſectatus ſit, & antiqua etiam in iſtam rem detorſerit. Suppetias tulit veritati Cl. Editor in Annotationibus ſuis non ambitioſe conſcriptis, ſed locupletiſſimis ſane & bonæ frugis pleniſſimis. Errores ſui Hiſtorici correxit, neglecta eidem aut non viſa, inter quæ præter editos Autores, Andream Vintonum Chronographum, Librum Perthenſem, Librum Dumblanenſem, Alexandrum Millium, Robertum Lindeſium Pitſcottienſem, Patricium Anderſonum, Jacobum Balfurium, Scotos Hiſtoricos nondum vulgatos, imprimis autem Thomæ Rymeri æternum opus, Epiſtolas Regum & Gubernatorum Scotiæ ab A. 1505 ad A. 1545, vel ob inſignem latini ſermonis elegantiam luce digniſſimas, Mandata ab Henrico VIII Rege Anglo ad Rudolphum Sadlerium, ſuum in Aula Scotica Legatum, Jo. Leſlæi Epiſcopi Roſſienſis Commentarios ἀνεκδότους & Dav. Crafordii Collectanea e Cottoniana Bibliotheca referas, magno ſtudio conſuluit, atque comparavit, famamque Mariæ Reginæ per ſane dubiam pie, ut Scotus, ful-

cire annisus eſt. Quod ad Buchanani Epiſtolas attinet, poſt abſolutas operas typographicas duæ adhuc aliæ literæ, altera Buchanani ad Thomam Randolphum Anglica, altera Davidis Rogerſii ad Buchananum Latina venerunt in manus Cl. Editoris, quas, nec non palmariam correctionem loci Ciceroniani Philipp. II c. 20, referente Lambino in ſuis ad Eloquentiæ Patrem Annotationibus a Buchanano profectam, ne quid perfectiſſimæ huic editioni deſit, in hac ipſa præfatione legere eſt. Ceterum Commentarii MSS. in Virgilii Bucolica, Georgica, ſeptemque primos Æneidos libros, qui Buchanani ſe ferunt, incertus fœtus ſunt & puerilis, nec lucem merentur Conſultationes aliquot de rebus Academiæ Andreopolitanæ recte adminiſtrandis. Jacobi Tevii liber de rebus geſtis Hiſpanorum ad Dium in India injuria tribuitur Buchanano, cum Tevii omnino ſit. Apologiam pro Maria, ut nonnulli volunt, nec ſcripſit, nec ſcripſiſſe potuit, quod Maria ante Nuptias Bothwellianas defenſore non egeret, poſt illas ſtatim Moravio ad reginam accuſandum ſe comitem dederit. Nec Vindicias contra Tyrannos Stephano Junio Bruto autore ad Buchananum referri debere contendit Cl. Editor. Nihil ſupereſt, quam ut genuina Buchanani Opera ordine recenſeamus, ſi prius monuerimus, ante illa Vitam Georgii Buchanani ab ipſo ſcriptam biennio ante mortem, egregie in annotationibus locupletatam & continuatam, tum Doctorum Virorum de Buchanano & ejus ſcriptis teſtimonia, denique Catalogum variarum Editionum & Codicum MStorum legi, ex quo uno intelligi poſſet, quanto in pretio Viri docti egregia iſta Viri maximi opera nunquam non habuerint.

Tomo I continentur, 1 Rerum Scoticarum Hiſtoria cum Annotationibus laudatiſſimis, Indice copioſo, & nominum propriorum interpretatione perutili; 2 de Jure Regni apud Scotos Dialogus; 3 Detectio Mariæ Reginæ Scotorum; 4 Actio contra Mariam Scotorum Reginam cum literis Mariæ ad Bothuelium; 5 Chamæleon ſive Satyra in Lidingtonium acerbiſſima, Anglice ſcripta. Tomo II ſequuntur Pſalmi Davidici, Jephthes ſive Votum Tragœdia, Baptiſta ſive Calumnia Tragœdia, Franciſcanus & Fratres, Elegiarum Liber I, Sylvarum Liber

Digitized by Google

Liber I, Hendecaſyllabon Liber I, Jambon Liber I, Epigrammatum Libri III, Miſcellaneorum Liber I, de Sphæra Libri V, Medea & Alceſtis Euripidis, Latino carmine redditæ, Satyra in Carolum Lotharingum Cardinalem, quibus Poematis omnibus coronis imponitur elegans, de Metris Buchananæis libellus. Superſunt Rudimenta Grammatices Thomæ Linacri ex Anglico in Latinum verſa, interprete Buchanano, qui & Jo. Lud. Vivis Libellum de Ratione ſtudii puerilis addidit, ipſius Buchanani de Proſodia libellus, & tandem Epiſtolæ, quotquot exſtare videntur, quarum equidem plurimas jam A. 1711 collegit & Edinburgi in 8 edidit Jacobus Oliphantus Scotus, ſed, ut paucis de hac editione judicium feramus, & exemplarium apographorum, & typographorum vitio depravatiſſimas. Ceterum Cl. Editor omnibus his ſcriptis eandem, quam Hiſtoriæ Scoticæ operam, licet non tam copioſe, annotando navavit.

A COLLECTION OF CURIOUS DISCOURſes, written by Eminent Antiquaries, upon ſeveral Heads in our English Antiquities.

id eſt,

COLLECTIO DISSERTATIONUM CURIoſarum, a celeberrimis Antiquariis, de ſelectis Antiquitatum Anglicarum capitibus conſcriptarum, nunc primum edita a THOMA HEARNIO.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1720, 8 maj.
Alph. 1 pl. 6½. Tabb. æn. 2.

Licet ex ſententia verſatiſſimorum in re antiquaria Virorum primas partes in explanandis Antiquitatibus teneant praxis Præf. & experientia; non negligenda tamen *Urſati* imprimis, *Mabillonii*, *Montfalconii*, *Smetii* atque *Gruteri* induſtria, qui antiquitatis ſtudium in formam artis redigere quodammodo ſunt conati. Anglia certe, quæ monumentorum antiquorum ex univerſo pæne Orbe eo delatorum theſauro ſuperbit, operam deſiderat Viri harum rerum peritiſſimi, ex quo induſtrii *Langbainii* in Collectione Græ-

ne Græcorum MSCtorum *Barocciana*, aliiſque Latinis pariter ac Anglicis antiquitatibus deſudantis diligentiam mors intercepit. Attamen optandum eſſet, ut ad tam inſigne opus perficiendum, cum unius vires & ætatem ferme ſuperet, plures in his ſcientiis præſtantiſſimi, more Gallis uſitato, Mæcenatum favore ad paranda vitæ ſubſidia ſuffulti, concurrerent. Utilitatem ex opera plurium collata emanantem, teſtatur inprimis Societas Antiquariorum regnantibus Eliſabetha & Jacobo I privato auſu inſtituta, cujus Diſſertationes, a *Thoma Smith* ſervatas, e ſcriniis ejus producit Cel. *Hearnius*; quamvis non omnium Autorum nomina, quæ in MSCto haud appoſita, explorata habeat, & multæ in his quoque exſtent ulteriori disquiſitione digniſſimæ, quales ſunt: Explicatio nummorum Romanorum; Origo vocis Brytannia, quæ forſan potui hordeaceo, Βρῦτον Græcis dicto, debetur; Ælfredi M. diviſio Angliæ in Comitatus, longe ante, quam vulgo ferunt, facta, ejusdemque fundatio, vel potius reſtauratio Academiæ Oxonienſis: ut alia taceamus, quæ illuſtrationem Eruditorum adhuc expectant.

Primum hic locum occupant, *Hakewilli* & *Anon.* Diſſertatio-
p. 1. nes de *Antiquitate Legum Britannicarum*, unde apparet, Leges Britonum a Romanis, has a Saxonibus, Saxonum denique a Danis fuiſſe immutatas, quæ cum Saxonicis & Normannicis commixtæ, Jus Anglorum commune hodienum conſtitunnt. Sequuntur n. 3, 4, 5, 6 *Thomæ Lake, Anonymi, Franciſci Thynn*, ac *Jacobi Ley*, Diſſ. *de moneta Sterlingorum*; cujus denominatio neque a
15. caſtello *Scotorum Sterlingo*, ab Eduardo I capto, cum ante iſta tempora Denarii iſti reperiantur, & caſtellum tunc *Striveling* dictum fuerit, nec a ſtella aut ſturni figura, cujus nullum extat exemplum, ſed a vexillo *Eſterlingorum*, ſive Orientalium populorum, commerciorum cauſa crebro in Angliam commeantium, aut ab opificibus derivanda, tempus tamen, quo nummi hujus ratio primum invaluerit, incertum eſſe. N. 7 *Agardi*, 8 *Thyn-*
29. *nii*, 9 *Talboti*, 10 *Brawghtoni*, 11 *Jac. Ley* Diſſertatt. exhibentur de *Diviſione Angliæ* in *Shires* ſive Comitatus, cujus autorem Ælfredum pluresnominant, licet non deſint, qui ab Offa primordia ducunt. Numerabantur initio 32, qui ſub Henrico II

ad 39,

ad 39, & ſub Henrico VIII ad 42, excrevere. Nomen *Scyre*, ſi-
ve *Shire*, ipſius Alfredi ævo quidem, frequentius tamen poſt an-
num 1000 uſitatum, non a terra *diviſa*, ſed terra *plana* origi-
nem ducit, cum Anglia quondam generatim in *Woodland*, ſylvas,
& *Scyreland*, planitiem ab hominibus habitatam, fuerit diſtin-
cta; cui ſententiæ tamen alii repugnant. Placuit autem iſta di- p. 46.
viſio, ut jus cuivis petenti redderetur, leges citius executioni
mandarentur, incolæ ſubitas hoſtium incurſiones propulſarent,
& reditus in ærarium ex æquo redigerentur. Hinc diſterminati
ea ratione Comitatus, ut terra fertilis, ac ſterile ſolum diſtin-
cte cuique aſſignaretur. N. 12 *Joſeph Hollandi* & 13 *Thynnii*
Diſſertationes de *Terminis & temporibus circa juſtitiæ admini-* 52.
ſtrationem, in Anglia quondam uſitatis, exſtant, ubi notant, Wil-
helmum Conquæſtorem primum 12 *Juſtitiarios*, ad exami-
nandos reos, conſtituiſſe, quorum numerus ad ſex, quibus Co-
mes præſidebat, fuerit imminutus ſub Henrico III; in ſingulis
vero comitatibus lites a *Juſtitiariis itinerantibus* fuiſſe deciſas.
Tempora, circa Michaelis, Hilarii, Paſchatos & Trinitatis Fe-
ſta litibus definiendis præſertim ſub Henrico III deſtinata, Ter-
mini ſunt vocata, non a cauſis terminandis, ſed tempore limitato,
ut ambages litium præſcinderentur. N. 14 *Joſeph Hollandus*, 62.
antiquiſſimam Angliæ *urbem*, *Totneſam* in Devonia, *Camula-*
duni vero primam monetam fuiſſe cuſam, præterea n. 35 *Ro-*
bertus Cotton urbem Regiam *Caſibelani* ex Cæſaris Commenta-
riis memorat, neque fas fuiſſe, urbem abſque Regis conſenſu
condere, tradit. 15 De variis *Menſuris terræ*, Anglis quondam 174.
uſitatis, commentati ſunt *Hollandus*, 16 *Jo. Dodridgius*, 17 64. ſq. 178.
Agardus, & *Cottonus* n. 36, ubi de *hundredis*, *hidis*, *acris*, ſeu
arvis, *virgatis*, *rodis*, *bovatis*, *carucatis*, *ſolinis*, *Ferlingatis*, *ſe-*
lionibus, & varia harum vocum ſignificatione agitur. N. 18 81. ſq.
Leigh, 19 *Camdenus*, 20 *Whitlock*, 21 *Anonymus*, 22 *Hollandus*,
23 *Agardus*, item n. 46 *Thynnius*, 47 *Jo. Dodridgius*, de anti- 230. ſq.
quitate, officio & privilegiis *Fecialium Anglicorum* differunt.
Nominati ſunt *Feciales* a *fide* vel fœdere, *Heraldi* vel a Latino
Heros, vel Germanico, *Ehrhalt*, quaſi *honorem ſuſtinentes*, ſive
ex quorundam opinione, a *Her*, publicus, & *Alte*, ſenex in Ar-
mis,

Digitized by Google

nis, & mentio illorum Wilhelmi Conquæſtoris tempore reperi-
tur, licet alii officium illorum Henrici III ævo, ſub Eduardo I
p. 245. ſq. autem nomen innotuiſſe exiſtiment. Plura L. B. ex monumentis
imprimis a Thynnio collectis cognoſcet. N. 24 *Agardus*, 25
105. *Thynnius*, 26 *Hollandus*, 27 *Whitlock*, antiquitatem *habita-*
tionum, Judicibus, Advocatis, Profeſſoribus & Studioſis Juris de-
ſtinatarum, demonſtraturi docent, jus quondam in Abbatiis &
Cathedralibus templis fuiſſe redditum, poſtmodum ſub Eduar-
do I conſtitutum, ut *Juſtitiarii* curiam Regis ſequerentur. In-
de paullatim introductum, ut omnes ſtatuto tempore in certis
ædibus convenirent, ubi quoque *Apprenticii* ſeu *Studioſi* in ſci-
entiis, linguis, & terminis Juris obſcurioribus erudiebantur.
111. Hinc Cel. Thomas Morus Doctori Gallico, omnia Juris adyta
ſeſe penetraſſe glorianti, quæſtionem propoſuit: *Utrum averia*
capta in Withernamium ſint irreplegiabilia, nec ne? qua audita,
iſte pudore confuſus obmutuit. Plura deinde ædificia ſeu hoſpi-
tia huic uſui, maxime Henrico VI regnante, fuerunt dicata, do-
nec ſub Eliſabethæ regimine numerus illorum ad 12 excreſce-
135. ret, quorum hiſtoria brevibus texitur. N. 28 *Franc. Leigh* &
29 *Tate*, *Equites ſpirituales*, ab Abbatibus creatos usque ad Hen-
rici I tempora, dignitate ſatis conſpicuos, memorant. N. 30
149. *Camdenus*, 31 *Hollandus*, 32 *Agardus*, 33 *Oldworth* varias *An-*
166. *gliæ appellationes* compilant. De *Caſtris* n. 34 *Robertus Cottonus*
quædam in medium attulit. *Caſtrum* enim dictum, quod habi-
tantes ibi a licentia vagandi muris caſtrarentur; Synonima vero
in Anglorum ſcriptis ſunt, *Caſtellum*, *Turris*, *motæ*, *firmitas*,
munitio, *foſſa* & *maceria*. Caligula primum *armamentarium*
Britannicum extruxit, mox plura a Didio Gallo & Severo muni-
menta fuere condita. Munitiones iſtæ e terra, ligno aut lapidibus,
forma plerumque rotundarum turrium, ſunt congeſtæ, non
tantum ad propulſandos hoſtes, ſed etiam Trophæi loco; cete-
rum omnes fere arces, tutiſſimum huc uſque rebellium perfugi-
182. 204. um, deſtrui juſſit Henricus II. N. 35 *Rob. Cottonus*, 36 & 40
Jac. Ley, notant, *Inſignia*, ab Hieroglyphicis Ægyptiorum de-
ſumta, varia Anglis fuiſſe uſitata, Lucium cruce, Arthurum
imagine B. Virginis, plures dracone, Saxones ſæpius nigro equo,
Norman-

Digitized by Google

Normannos plerumque Leonibus aut Pardis uſos, donec Stephani, imprimis autem Richardi I ævo iſta fierent hæreditaria, quibus Eduardus III lemma: *Honny ſoit qui mal y penſe* addidit. *Jac. Ley* n. 37 animadvertit, *Foreſtam* derivari a foris ſtare, & *Foreſtarios* proventus ex ſaltibus, mineris atque mari curaſſe; Leges autem Foreſtales antiquiſſimas, a Wilhelmo Conquæſtore amplificatas, ab Eduardo I majus firmamentum accepiſſe. p. 193.
Idem n. 38 docet, *Cancellarii* nomen non a *cancellando*, ſed a Judicio *Cancellis* circumſepto ortum trahere, cum reliqua Judicia, quaſi in foro, cuivis ex plebe paterent: præterea Dunſtanum, R. Edgari tempore viventem, primum in monumentis occurrere, Cancellarii Regii titulo inſignitum, obſervat: & n. 198.
39 in *Epitaphiis* linguam Britonum, Saxonum atque Danorum rariſſime, frequentius Latinam, Gallicam & Anglicam fuiſſe adhibitam, demonſtrat. *Camdenus* n. 42 vocem *Baro*, rejectis illorum opinionibus, qui a *Par*, belli *robore*, *Bannerbeir*, vexilla portantibus, *Beronibus*, Hiſpaniæ populo, βαρὺς, *ſervis militum*, aut *militibus extraordinariis*, iſtam derivare ſatagunt, *Barones* indigitare *Viros*, evincit, cum *Virones* & *Barones* in fragmento legum Canuti pro iiſdem accipiantur. Nomen maxime innotuit ſub Normannis, inſignis vero dignitas ſub Eduardo I demum acceſſit. N. 43 & 44 *Joneſius*, ad *Tatii* quæſtiones de *Antiquis Britannis* reſponſurus, aſſerit, *Druides*, a voce Britannica vocatos, quaſi ſapientes & eruditos, Judicum atque Flaminum officium obiiſſe, & loca ſaltuoſa inhabitaſſe; tum vero quatuor gradus honorum, ſtudioſis Legum, Poeſeos ac Muſices diſtribui ſolitos, 1 *Diſgiblysbas*, triennio, 2 *Diſgibldiſgybliaidd*, ſexennio, 3 *Diſgiblpenkerodiaidd*, novem annis peractis, & 4 ſummum, *Penkerdd*, ſive *Athro*, quaſi *Doctorem* diceres; tria porro illis fuiſſe Poetarum genera, *Prududd* heroicis, *Teuluror* Lyricis, *Clerwr* bucolicis carminibus deſtinatos. *Bardi* quoque i. e. eruditi tribus modis, Noſtro teſte, fuere diſtincti, 1 *Privaird*, quaſi Principes dixeris eruditorum, qui primi ſcientias invenerunt, 2 *Poſvardd*, qui illorum dogmata alios docebant, 3 *Arroyddvardd*, in Poeſi, Heraldicis & Genealogicis verſati, & *Heraldorum* ſive Fecialium munere gaudentes.

201. 205. 209. ſq.

Xx Regis

Digitized by Google

Regis curiam unicus ſequebatur Judex, *Egnat Llys* dictus, alter extra Curiam, *Egnat Comot*, præſente plerumque Rege & quibusdam Proceribus controverſias de terris dirimebat. Britanniæ univerſæ imperitabant Reges, quibus ſatrapæ, ſingulis ſaltem provinciis præfecti, ſuberant, Regio pariter titulo conſpicui. Hinc dimenſiones terrarum ex Britannorum moribus & vocabulis illuſtrantur. Dignitates his fere gradibus ſunt diſtinctæ, 1 *Brenin*, vel *Teyen*, Rex, 2 *Twylog*, Dux, 3 *Jarll*, Comes, 4 *Arglwydd*, Dominus, 5 *Barwn*, Baro, 6 *Breir*, vel *Uchelwr*, Eques, 7 *Gwreange*, Prædii poſſeſſor, 8 *Alltud*, ruſticus, 9 *Kath*, ſervus. *Aſſach* videtur idem quod *Rhaith*, id eſt, juramentum, quo ei 200 vel 300 civium teſtimonio enormia crimina ſibi objecta diluebant. *Diſtain* vocabatur, rei Domeſticæ curator. Conſiliarii quoque ſingulis Dominiis erant aſſignati, qui urgente neceſſitate de litibus Regem coram certiorem faciebant. Appen-
p. 276. dicis loco ſubnectuntur *Jacobi Whitlockii Epitaphium*; *Camde-*
277.281. *ni* Teſtamentum; e *Joſephi* opere inſcripto, *contra Platonem de cauſa univerſi*, meditationes, de loco, in quo juſtorum pariter & injuſtorum animæ continentur, Græce cum verſione Lat. &
298 322. var. Lectionibus; nonnulla de *Bibliotheca Oxonienſi*; *Jo. Morrenni* carmen venuſtum in obitum *Stephani Gardineri*, Ep. Wintonienſis, & alia quædam levioris momenti, quæ conſulto prætermimus.

FRANCISCI FABRICII CHRISTUS, UNIcum ac perpetuum fundamentum Eccleſiæ, XIV Diſſertationibus Philologico-Theologicis demonſtratus.

Lugduni Bat. apud Sam. Luchtmans, 1717, 4.
Alph. 4 plag. 1.

REverendus Autor, in Lugdunenſi Batavorum Academia Theologiæ Profeſſor, doctrinæ de Chriſto luculenta in Veteri Teſt. oſtendere veſtigia aggreſſus, præcipua ejus loca hoc opere explanat doctiſſime. Majorem vero τῆς ὀρθοδοξίας, quam

quam ingenii nova ſectantis gloriæ rationem ducens, non niſi probatiſſimis probatas Theologis ſententias amplectitur, iisque, qui multa V. T. dicta imperite ad Chriſtum trahi ſtatuunt, hæc pauca in Præfatione reponit: *Si forte plus cognitioni ac fidei Patrum in Chriſtum adſcripſerim, plusque hac in parte de ipſis præſumatur, quam revera fuerit, quid quæſo peccatur? Certe, ſi peccatur, peccari caritatis exceſſu præſtat, quam defectu.* Non eſt proinde, quod Diſſertationes has copioſe recenſeamus. Sufficiat dixiſſe, Cl. Autorem diffuſæ lectionis diligentiſſimæque argumentorum ſuorum pertractationis laudem abunde mereri, librumque hunc inter ornamenta Bibliothecæ Theologicæ non mediocri jure referendum eſſe. Poſtquam igitur *Diſſ. I* præſtantiſſimorum interpretum ductum ſequens, illuſtrem illum locum *1 Corinth. III, 11*, ubi CHRISTUS vocatur *unicum Eccleſiæ fundamentum*, luculenter expoſuit; *Diſſert. II* oſtendit ex *Prov. VIII, 22, 23*, Chriſtum eſſe perſonam æternam ac divinam, ante jacta mundi fundamenta mediatorio muneri deſtinatam. Diviſit autem eam quatuor in Capita, quorum *primo* docet, in eo loco per *ſapientiam* innui perſonam divinam, & quidem ſecundam: quia ſcilicet dicatur eſſe *genita*, ac ipſe Chriſtus Luc. VII, 35 ſeſe vocet *ſapientiam*. Capite *ſecundo*, quo oſtendit, Sapientiam a DEO ab æterno eſſe genitam, pluribus agit de verbo *ἐκτισε*, (quam veram eſſe ſcripturam defendit,) eique notionem *gignendi* tribuit. *Tertio* Capite de *unctione* Chriſti diſputat, hoc eſt, de ordinatione ejus ad officia mediatoris; *quarto* totum illud dictum ad Chriſtum applicat, idq; in eo impletum fuiſſe demonſtrat. *Diſſ. III* explicando protevangelio *Geneſ. III, 14, 15* dicata eſt, cujus *Cap I & II* Autor ſenſum literalem orthodoxe perſequitur; *Cap. III* ex conſenſu veterum Hebræorum & ex traditionibus ethnicorum communem interpretationem confirmat; *Cap. IV* oſtendit, impletum fuiſſe in Chriſto hoc oraculum, ſimul §. 7 ſqq. propugnans Plutarchi de Pane mortuo narratiunculam.. *Diſſ. IV* ad *Geneſ. III, 20* agit *de impoſitione nominis Evæ*. Hic allatis complurium ſive meditationibus ſive ineptiis de iſto nomine, eorum tuetur ſententiam, qui ſtatuunt, *Evæ* nomine non innui vitam naturalem, ſed ſpiritualem, ut ſenſus hic ſit,

Evam eſſe *matrem omnis ſpiritualiter viventis*, ſcilicet (1) Meſſiæ, ceu vitæ fontis unici, (2) electorum, per Chriſtum ſanctificandorum vivificandorumque. *Diſſ. V* ad *Geneſ. IV, 1* Caini nomen conſiderat. Ac Evæ quidem verba ſic interpretatur: *Habeo ipſum Dominum*, vel, *Poſſideo virum Jehovam.* Ceterum non putat, Evam filiolum hunc primo partu editum pro Meſſia habuiſſe, ſed eam hunc in modum ratiocinatam eſſe credit: *Non obſtante peccato, hoc meo partu ab una parte promiſſio divina de dando mihi ſemine impleta eſt. Itaque ab altera itidem impleturus eſt DEUS illud ſuum promiſſum reſpectu illius ſeminis, quod contriturum eſt caput ſerpentis, cujus ipſa hæc mei primogeniti nativitas certiſſimum eſt ſignum & ſtabilimentum inconcuſſum.* Quam interpretationem munit ſuffragiis clariſſimorum Theologorum, Cocceji, Burmanni, Witſii, Melanchthonis, Schmidii, Calovii. *Diſſert. VI* ad *Geneſ. IV, 2, 3, 4, 5* ſacrificium Caini & Abelis contemplatur Cl. Autor. Hic *Capite ſecundo* copioſiſſime diſſerit doctiſſimeque de ſacrificiorum origine, multisque probat argumentis, DEI juſſu Adamum ceterosque Patriarchas obtuliſſe ſacrificia, non ſola ſponte ſua: ſimulque refutat erudite ſententiam adverſariam. *Diſſ. VII* ad *Hebr. XI, 4* natura *fidei Abelicæ* declaratur. *Diſſ. VIII* ad *Geneſ. IV, 25* nomen *Sethi* egregie illuſtratur, ac ſimul oſtenditur, celeberrimum Sethi nomen fuiſſe non apud Judæos ſolum atque Chriſtianos, ſed etiam apud Muhammedanos & Arabes celeberrimum. *Diſſ. IX* de *Enocho* diſputatur. Hic præter cetera diligenter agitur de vaticinio Enochi in Epiſtola Judæ memorato. Cenſet autem Cl. Autor, hauſtum id eſſe ex traditione. Præclare etiam oſtendit, Enochum non communi fato functum, ſed omnino in cœlum translatum a Deo fuiſſe. *Diſſ X* nomen *Noachi* expenditur, commonſtraturque, eo reſpectum fuiſſe ad Meſſiam. *Diſſ. XI* ad *Geneſ. VI, 3* agitur *de Spiritu Dei cum hominibus ante diluvium per 120 annos contendenti.* Obſcriuſculum hunc locum ita explicat Cl. Autor, ut hæc ſit ejus ſententia, Spiritum S. externe per Prophetas illorum temporum, Adamum, Enochum, Noachum; interne per admonitiones conſcientiæ, mores hominum accuſaſſe, eosque invitaſſe ad pœnitentiam, additis graviſſi-

Digitized by Google

graviſſimarum contumaciæ pœnarum comminationibus. *Diſſ. XII* ad *Geneſ. VI, 5-13* de univerſali hominum corruptione & deletione per diluvium diſſerit. *Diſſert. XIV*, quæ ultima eſt, ad *Hebr. XI, 7* de fide Noachi diſputat, ejusque fidei multa eademque admirabilia opera præclare deſcribit: ultimo loco producens e libris τῶν ἔξω teſtimonia veritatis diluvii conſervationisque Noachi in arca. Ceterum ut arctiorem Diſſertationum harum connexionem rectius cognoſcamus, libet eam ex Præfatione depromtam hic exhibere. Initio igitur Cl. Autor *Diſſ. I* ex *1 Corinth. III, 11* manifeſtum facit, Chriſtum eſſe fundamentum fidei unicum. Cum autem id eſſe Chriſtus non poſſit, niſi divina ſit ac æterna perſona, ante jacta mundi fundamenta huic muneri deſtinata, hoc ipſum demonſtratum it *Diſſ. II* ex *Prov. VIII, 22, 23*. Hinc primam de Chriſto revelationem *Geneſ. III, 14, 15* contemplandam ſuſcipit *Diſſ. III*. Deinde, omnes antediluvianos Patres ſemen illud mulieris fide coluiſſe, oſtenſurus, *Diſſ. IV* & *V* docet, Adamum impoſitione nominis Evæ, & Evam impoſitione nominis Caini, fidem ſuam in Chriſtum demonſtraſſe; *Diſſ. VI* Abelis in Chriſtum fidem arguit ex ejus ſacrificio; *Diſſ. VII* eam in rem producit ac diducit Pauli de fide Abelis teſtimonium; *Diſſ. VIII* ex Sethi nomine rurſus demonſtrat Adami Evæque fidem in Meſſiam; *Diſſ. IX* de Enocho idem probat ex aſſumtione ejus glorioſa; *Diſſ. X* de Lamecho ex impoſitione nominis Noachi; *Diſſ. XI* de Noacho ex Spiritus Dei cum primo illo mundo contentione. Hac occaſione *Diſſ. XII* & *XIII* de diluvio commentatur, deque Noachi in arca conſervatione. Ultimo loco *Diſſert. XIV* duce Paulo *Hebr. XI, 7* fidem Noachi in Chriſtum dilucide exponit.

PHÆNOMENA TRANSITUS PENUMbræ & Umbræ plenæ ſupra Tellurem, in Novilunio Menſis Maji d. 22 Maj. 1724, Autore CHRISTIANO AUG. HAUSEN, Mathes. P. P. Extraord. in Acad. Lipſienſi.

ANno 1715 Celeberrimus Hallejus pro Eclipſi iſtius anni exhibuit in Tabula Geographica tranſitum Umbræ Plenæ per regna Magnæ Britanniæ, ex tenore obſervationum Eclipſeos: poſtquam in ſimili tabula idem prædixerat ante eventum, ex tenore calculi Aſtronomici. Illi Tabulæ, quæ ex obſervationibus nata eſt, inſeruit pro Eclipſi anni præſentis Umbroſæ Zonæ portionem, quæ ab Hiberniæ littore orientali per Angliam protenditur usque ad Normanniæ, Picardiæ & Inſulæ Franciæ partem. Et nuper, cum calculos meos finirem, copia mihi facta eſt Diarii Trevoltienſis M. Martii A. 1723, in quo inveni amplam diſſertationem R. P. de *Rebeque Soc. Jeſu*, qua tranſitum umbræ per Europeas regiones, imprimis per Galliæ regnum, præ reliquis accurate perſequitur. Extemplo igitur comparavi Celeb. *Halleji* inventa cum determinationibus Rev. hujus Patris: nec, deprehenſa jam propriorum calculorum diverſitate inſigni ab *Hallejanis*, quicquam ad rem meam facere magis poterat. Didici autem ex inſtituta comparatione, R. Patrem, cujus determinationes, (exceptis, quæ poſtea notabo,) cum meis fere eædem ſunt, a Celeberrimo Hallejo haud parum diſſentire.

Via Centri Hallejana, cum Zona umbroſa, ad Boream ſatis inſigniter attollitur, reſpectu Zonæ Rev. Patris. Nam juxta Cel. Hallejum Centrum ex Hibernia exit ad *Waxfordiam* Latitud. 52° 20′: deinde ubi canalem S. Georgii trajecit, Angliam ingreditur ad St. *Brides-Bay*, & per *Pembrociam*, *Wormshead* propeque *Bridg-water* latum radit littus inſulæ *Vectæ*, quod a Borea declinat in ortum: ſuperato Canali Galliam intrat exiguo intervallo a *Diepa* in occaſum, ſic ut *Rhotomagum* & *Lutetiam* ad Auſtrum longe relinquat. Limes Zonæ Borealis, *Dublino* paulo Borealior, *Oxonium* fere attingit & *Geſſoriacum* vulgo *Boulogne ſur mer*. Limes auſtralis *Padſtonium* fere attingit, quo paulo Borealior eſt: in Gallia, incedit ad auſtrum *Caroburgi*, ſed in vicinia, & intervallo paulo majore a *Cadomo Normandiæ*, itidem ad auſtrum urbis. *Lutetia* igitur & *Rhotomagus* in hac Zona continentur.

Juxta Rev. Patrem centrum Hiberniam intrat ad *Dingliam*

Monomiæ;

Monomiæ; exit prope *Kinſaliam.* Angliam intrat prope Padſtonium Cornwalliæ, exit ad *Pontem Regis* ſeu *Kings-Bridge Devoniæ.* Galliam inter *Caroburgum* & *Conſtantiam* vulgo *Coutance* intrat, fertur deinde ad meridiem *Cadomi*, ſic, ut *Rhotomagus* & *Lutetia* a via centri haud exiguo intervallo diſtent, ad Boream. Limes Borealis in Hibernia ipſi *Kilmalochiam* attingit, in Gallia *Berniam Normanniæ* ſeu *Bernay*: auſtralem in Hibernia, ducit per *portum Deſmondiæ*, in Gallia per *Sillam* vel *Sillé* Normanniæ. *Lutetiam* igitur cum *Rhotomago* ad Boream e Zona remotas excludit.

Et etiam velocitas centri utrique Aſtronomo haud parum diverſa eſt. Juxta Celeb. Hallejum $6^h\ 37'$ temp. Lond. centrum jam ſuperavit meridianum Lutetiæ; & juxta Rev. Patrem $6^h\ 51'\ 1''$ id eſt $6^h\ 41'\ 20''$ Temp. Lond. centri Longitudo eſt $^{\circ}6,\ 34'$.

Elementa calculi ſui Celeb. Hallejus non edidit: R. Pater ſequentium mentionem facit,

Mom. Novilunii	$5^h\ 33'\ 1''$	Temp. Lutet.
Diff. Diam. ☉ & ☾	$1'\ 19''$	
Parallax. Horiz.	$60'\ 33''$	
Semid. Penumbræ	$32'\ 28''$	
& in part. Circ. M.	$32^{\circ}\ '26$	

Diameter media Umbræ ſupra tellurem, quam in Novilunio pro Circulo habet, & quæ ipſi idem eſt ac Latitudo Zonæ, 24 Leuc. Maris cum 1902 Hex. Reg. Hujus dimidium 12 L. M. 951 H. R. ipſi eſt diſtantia utriusque limitis Zonæ a via Centri. Moram obſcurat. Centralis ponit $2'\ 15''$. Lat. Max. Centri $58^{\circ}\ 17'$ & Long. ipſi reſpondentem $322^{\circ}.\ '6$.

Cum vero jam meorum calculorum concluſiones ſint afferendæ, præmittam elementa potiora

Lat. Lunæ vera	$32'\ 10''$
Motus Hor. ☾ a ☉	$35'\ 3''$
Diam. ☉	$31'\ 44''$
Diam. ☾	$33'\ 2''$
Sem. Penumbræ	$32'\ 23''$
Diam. Umbræ	$1'\ 18''$

Parallа-

Parallaxis Horiz.	60′	30″	
Mom. Novilunii	5ʰ	33′	3″
Mom. Med. Tenebr.	5ʰ	27′	55″

Tempore utor in Obſervatorio Pariſino numerato & Longitudines capio ab Inſula Ferri. Literæ majuſculæ in fronte ſequentis tabulæ, & minores in calce ita explicantur.

A. Contactus penumbræ ad ingreſſum, & initium Eclipſeos in tellure.

B. Conſequens ſeu alterum extremum ejusdem chordæ penumbræ, quam Semitam Contactus voco, ingreditur.

C. Antecedens egreditur, quod ingrediebatur ad primum contactum.

D. Conſequens egreditur contactusque ultimus penumbræ & telluris.

E. Punctum penumbræ ad Boream viæ centri cum conſequente in Semita contactus ſimul ingreditur. Hoc punctum ſecundarium appello, chordamque penumbræ, quam determinat, Semitam ſecundariam.

F. Secundarium egreditur.

G. Conſequens ſecundarii, quod ſuccedaneum voco, ingreditur.

H. Succedaneum egreditur cum antecedente in Semita contactus.

a. Sol oriens a Luna tangitur in ſummo Limbo & Eclipſis incipit.

b. Sol oriens a Luna tangitur in parte Limbi boreali verſus ortum & Eclipſis finit.

c. Sol occidens tangitur a Luna in Limbo Boreali verſus occaſum & Eclipſis incipit.

d. Sol occidens tangitur a Luna in ſummo Limbo & Eclipſis finit.

e. Sol oriens a Luna tangitur in Limbo auſtrali verſus occ. & Eclipſis incipit.

f. Sol oriens a Luna tangitur in Limbo auſtrali verſus occaſum & Eclipſis incipit.

g. Sol oriens tangitur in Limbo auſtrali verſus ortum & Eclipſis finit.

h. Sol oriens tangitur in Limbo auſtrali verſus ortum & Eclipſis finit.

TAB.

Digitized by Google

	A	B	C	D	E	F	G	H
Tempus in OBSERV.	2h, 58', 40"	4h, 42', 45"	6h, 13', 5"	7h, 57', 10"	4h, 42', 45	5h, 15', 41"	5h, 40', 9"	6h, 13', 5"
Locor. Centri Latit.	0, 0, 0,	Bor. 37°, 34', 10",	58°, 3', 41"	0, 0, 0	37°, 34', 10	47°, 24', 39"	53°, 13', 1"	58°, 3', 41"
Long.	0, 0, 0,	263°, 37', 10"	316°, 59', 49	0, 0, 0	263°, 37', 10"	278°, 16', 56	216°, 28', 28"	316°, 59', 49"
Locor. appulſus Lat.	B 2°, 58', 4".	2°, 58', 4".	34°, 26', 49"	34°, 26', 49"	57°, 4', 48"	68°, 11', 49"	57°, 4', 48"	68°, 11', 49"
Long.	244°, 43', 15"	218°, 41', 00"	32°, 6', 48	6°, 5', 33"	184°, 28', 24"	142°, 10', 5"	170°, 7', 24"	127°, 49', 5"
Horæ locor.	5h, 55', 33" m.	5h, 55', 33" m.	6h, 59', 32" v.	6h, 59', 32" v.	3h, 38', 39" m.	1h, 22', 22" m.	3h, 38', 39" m.	1h, 22', 22" m.
Phænomena Obſc.	a	b	c	d.	e	f	g	h
	Sem. Contactus	Semita Sec. ad Bor.		Tempus	Lat.	Long.		
Mora Tranſitus	4h, 58', 30"	1h, 30', 20"	Centri Ingreſſus	4h, 0', 2".	13°, 59', 15".	225°, 8', 21"	Mora tranſitus Centri	2h, 55', 46"
Menſura Eclipſeos	5d 4'	1d 46	Centri Egreſſus	6h, 55', 48"	44°, 55', 35"	28°, 28', 59"		

Digitized by Google

Centro Penumbræ hærente ad punctum mediarum Tenebrarum, id eſt, in medio chordæ diſci telluris, in qua incedit, id quod accidit $5^h\,27'\,55''$, lat. 50°, $29'\,25''$, Long. $284^\circ\,27'\,2''$, axis Elliptoidis Sphærici, ſeu figuræ ex interſectione ſuperficiei telluris & coni penumbroſi ortæ, qui eſt in plano per Solis Lunæ & Terræ centra vocetur *major*, & ejus portio ad Boream viæ centri ſita ſuperior, reliqua inferior: *axis* vero reliquus juxta viam centri atque adeo cum priore rectos faciens angulos, *transverſus*. Portionis Sup. extremum extra tellurem cadit, cum parte portionis ſuperioris, quæ eſt ad ſemidiametrum penumbræ ut 234 ad 1943: ut adeo in hac Eclipſi integer circulus penumbroſus non intret in diſcum verſus Boream: Portionis inferioris extremum ultra locum protenditur in tellure, cui ſol hoc momento eſt verticalis, parte portionis inferioris, quæ eſt ad ſemidiametrum Penumbræ ut 22 ad 1943. Ex dictis obtinetur, in loco, quem contingit extimum punctum portionis ſuperioris, quod in tellurem incidit, orientem Solem pati defectum maximum & quidem $1^d\,28'$, eſſeque hunc limitem maximæ obſcurat. ad Boream: in loco vero, cui Sol eſt verticalis eodem momento temporis, Solem pati defectum maximum in vertice & quidem $0^d\,8'$. Horum autem locorum poſitio habetur inter poſitiones locorum, quæ contingunt extremitates axium penumbræ ipſo momento mediarum tenebrarum ſupra indicato, in tabula ſequente. Ubi notandum, S eſſe extremum extimum & ultimum portionis ſuperioris in axe majore, quod cadit in tellurem: I eſſe extremum inferioris portionis in eodem, protenſæ ultra locum cui Sol eſt verticalis & quem C voco, a eſt punctum antecedens axis transverſi, p ſubſequens ſeu poſterius in motu; v umbræ & penumbræ centrum: Sic ut vS, vI, portiones ſupra deſcriptas axis majoris, va vp ſemiſſes axis transverſi denotent, quas in partibus circ. max. hic adjeci.

Lat.

	S	C	I	a	p
Lat.	63°, 35′, 6″,	20°, 31′, 49″	20°, 11′, 54″	58°, 21′, 30″	33°, 54′, 18″
Long.	159°, 35′, 29″,	298°, 31′, 15″	298°, 37′, 45″	341°, 26′, 13″	245°, 3′, 34″
	VS	VC	VI	Va	Vp
	58°, 2′, 55″	31°, 57′, 5″	32°, 17′, 55″	33°, 11′, 10″	33°, 11′, 10″

Ex his abunde determinari puto limites tenebrarum ſuper diſco, nec non figuram ſectionis penumbræ cum ſuperficie telluris hoc ipſo momento. Sed ut idem de umbra plena obtinerem, ad ſex diverſas centri Stationes, non ſine multo labore conſtruxi tabulam ſequentem. In hac literæ S J a p idem denotant reſpectu Elliptoidis Sphærici umbroſi, quod paulo ante reſpectu penumbræ ſignificarunt; axibus ejus ſumtis ut ante in penumbra. Literæ vero majuſculæ in fronte ſic intelligendæ ſunt.

A. Axis majoris extremum inferius extus contingit in ingreſſu.

B. Extremum Superius ejusdem tangit intus Umbra tota ingreſſa.

C. Umbræ centro verſante in puncto med. Tenebrarum.

D. Novilunii momento.

E. Centro verſante in plano circuli Decl. per Solem.

F. Centro tenente Latitudinem maximam.

G. Extremum ſuperius axis majoris tangit intus ad egreſſum.

H. Ejusdem extremum inferius contingit extus umbra tota egreſſa.

Porro Literæ S, W. N, W. N, E. S, E angulis adjectæ quos comprehendunt axes majores cum meridianis locorum centri, declinationes portionum ſuperiorum oſtendunt, & idem notant, quod *Sud-Oueſt, Nord-Oueſt, Nord-Eſt, Sud-Eſt*, hoc autem loco innuunt, portiones illas juxta angulos definitos in tabula, declinare a meridie verſus occaſum, a ſeptentrione verſus occaſum & ita porro. Ex quo mutationem ſitus Elliptoidis umbroſi reſpectu viæ centri in tranſitu ſupra tellurem deprehendere licet.

		A	B	C	D	E	F	G	H
Tempus in OBSERV.		3^h 58′ 44	4^h, 1′, 21″	5^h, 27′, 55″	5^h, 33′, 3	′,44′,40	′6, 22′, 3	6^h.54′,29	6^h,57′.6
Axis Major	in partibus Circuli M.	0, 0, 0	11°,53′,57″	1°, 27′,4″	1°,27′, 3″	1°,28′,42″	1°,50′,32″		0, 0, 0
	In Leucis maris & Hexap. R.	0, 0, 0	237; 2805	29; 63	29; 205	29; 1616	36; 2409		0, 0, 0
Ax. M. Portio ſuper.	in part. Cir. M.	0, 0, 0	8°,24′,26″	0°,43′43″	0°,43′,47″	0°,44′,52″	°,55′,46″		0, 0, 0
	in Leuc. mar. & Hex. Reg.	0, 0, 0	168; 412	14; 1632	14; 1695	14; 2726	18; 1680	vide col. B	0, 0, 0
Ax. M. Portio infer.	in part. C. M.	0, 0, 0	3°,29′,31″	0°,43′, 21″	0°,43′,26″	0°,43′,50″	0°,54′,46″		0, 0, 0
	in L. M. & Hex. R.	0, 0, 0	69; 2393	14: 1283	14; 1363	14; 1743	18; 729		0, 0, 0
Axis Transv.	in part. C. M.	0, 0, 0	8°, 10′, 5″	1°,13′,53″	1°, 3′,49″	1°, 5′,1″	1°,23′,40″		0, 0, 0
	in L. M. & H. R.	0, 0, 0	163; 1030	24; 1791	24; 1727	25; 237	31; 634		0, 0, 0

Anguli

		A	B	C	D	E	F	G	
Anguli Axium inter ſe		0°, 0′, 0″	32°,20′,26″ W.	90°, 0′, 0″ W.E	84°,39′,35″ E	73°,0′, 21″ E	45°,27′,51″ E	32°,20′,26″ E.	0°,
Ang. ax. maj. cum Mer. loc. Centri		0, 0, 0	71°, 0′, 55″ S.W.	21°, 30′, 0″ N.W	17°, 46′, 3″ N. W.	0, 0, 0,	55°,48′,39″ N. E	68°,16′,56″ S. E	0,
Locor. Centri	Lat.	0, 0, 0	17°,14′,42″	50°,29′,25″	51°,41′,23″	54°, 7′, 42″	58°,25′,59″	48°,56′,12″	0,
	Long.	0, 0, 0	232°,41′,57″	284°,27′,2″	287°,15′,39″	294°,:0′,0″	326°, 3′,29″	17°,57′,32″	0,
Locorum S	Lat.	0, 0, 0	14°,21′, 0″	51°,8′,47″	52°, 22′, 4″	54°,52′,34″	58°,56′,47″	45°,15′,49″	0,
	Long.	0, 0, 0	224°,39′,54″	283°,57′,4″	286°,54′,0″	294°,20′,0″	327°,26′,3″	29°, 5′, 9″	0,
Loc. J	Lat.	13°, 38′, 2″	18°, 21′, 2″	49°,49′,14″	51°, 0′, 0″	53°,23′,52″	57°,54′,42″	50°, 2′, 30″	44°,
	Long.	225°,36′,19″	236°,20′,54″	284°,56′,14″	287°,36′,43″	294°,20′,0″	324°,38′,11″	12°,53′,46″	27°,
Loc. 2.	Lat.	0, 0, 0	18°,30′,56″	50°,44′,24″	51°,55′,57″	54°,20′,30″	58°,21′,34″	46°,35′,32″	0, c
	Long.	0, 0, 0	235°,45′,40″	285°,20′,7″	288°,11′,18″	295°,20′,1″	327°,37′,54″	24°,30′,43″	0, c
Loc. p.	Lat.	0, 0, 0	15°,15′,22″	50°,12′,39″	51°,:4′,49″	53°,54′,37″	58°,21′,41″	50°, 17′, 2″	0, c
	Long.	0, 0, 0	228°,5′,42″	283°,35′,10″	28 °,22′,33″	293°,19′,53″	324°,39′,9″	13°,46′, 3″	0, c

Ex præcedentibas concluditur mora Tranſitus a contactu externo ad externum adeoque Tranſitus integræ Umbræ plenæ $2^h\ 58'\ 22''$

ab interno ad internum, id eſt a momento, quo tota primum incidit in tellurem, ad momentum, quo tota in tellure moveri ceſſat $2^h\ 53'\ 8''$

Mora Tranſitus cujuslibet axis transverſi, ſeu centralis obſcurationis duratio $2'\ 13''$

Mora a contactu externo ad proximum internum in ingreſſu, & vice verſa in egreſſu, id eſt duratio ipſius ingreſſus vel egreſſus Umbræ $2'\ 37''$

De diverſitate calculuil R.P. de REBEQUE a ſupra determinatis.

Omnis diverſitas calculi Rev. Patris & ſuperiorum Tabularum huc redit, & quantum per elementa calculi ab ipſo poſita judicare licet, ſequentibus innititur cauſis. Primo Longitudines mihi prodeunt majores, quod Dn. de la Hire ſecutus differentiam meridiani primi & Obſervatorii ſtatuam $20^{\circ}\ 30'$ ſeu $1^h\ 22'$, cum ipſe juxta Tabulas Geographicas Dn. de Liſle, quibus uſus eſt, aſſumat tantum 20°. Et quamvis propter novilunium ipſius duobus ſecundis citius meo, ipſius longitudines, hoc ſolo reſpectu, meis majores prodire deberent, tamen utriusque rationc habita prior diverſitas utpote fortior, in determinatione long. utique prævaluit.

Latitudines meæ ipſius aliquanto majores ſunt tam ante quam poſt novilunium, quod arguit latitudine Lunæ mea aliquanto minore uſum eſſe. Sed cum Lat. Lunæ non poſuerit, certi aliquid hac de re affirmare non poſſum. Interim ad maximam centri latitudinem diverſitas tam lat. quam long inter nos maxima eſt. Juxta Rev. Patrem max. Lat. $5^{\circ}8'\ 17''$ Long. $32^{\circ}2'\ 6''$: Juxta me vero Lat. m. $5^{\circ}8'\ 25''\ 59'''$ Long. $32^{\circ}6'\ 3''\ 29'''$.

Propter centri motum ipſi aliquanto velociorem, ut ex differentia noviluniorum noſtrorum liquet, & propter latitudinem Lunæ Rev. Patri minorem viamque centri proinde centro diſci viciniorem, tempora ad ingreſſum ipſi neceſſario prodiere meis priora, ad egreſſum poſteriora: in primo caſu conſpirantibus

tibus differentiæ cauſis, in ſecundo prævalente fortiore. Sed differentiæ momentorum temporis ad lat. max. ex ipſius max. lat. & longitudinis congruentis differentia ſupra oſtenſa ſimul pendent.

Sed ſequentium differentiarum alia eſt ratio, neque in his tantum diverſitatis ineſſe poſſe mihi perſuaſerim, modo uterque noſtrum probe attenderit ad conditiones determinationum.

Rev. Pater figuram umbræ ſuper tellure ipſo novilunii momento pro circulo habet, adeoque acceptis axibus majore & transverſo ad id tempus æqualibus, diſtantiam utriusque limitis zonæ umbroſæ a via centri æqualem & tantam facit, quantus eſt dimidius axis transverſus, ipſi nempe 12 Leuc. maris cum 951 Hexapedis Regiis. Ego vero in tota hac Eclipſi figuram umbræ pro Elliptoide Sphærico habeo, & quæ ad circulum accedat maxime in momento mediarum tenebrarum. Quum tamen figura Umbræ nec in hoc momento ſit circulus, ſed axem majorem transverſo habeat longiorem, & illum quidem juxta me 29 Leuc. M. 63 Hex. R. hunc 24 Leuc. M. 1791 Hex. R. ſit etiam ſuperior portio axis majoris 14 Leuc. M. 1632 Hex. R. inferior 14, L. M. 1283 Hex. Reg. neceſſe mihi fuit ex Geometriæ legibus portionem ſuperiorem accipere pro diſtantia limitis borealis Zonæ Umbroſæ a via centri, inferiorem pro diſtantia limitis auſtralis, adeoque illam hac aliquanto, utramque vero longe majorem ponere illa Reverendi Patris.

Geometria nos docet, ſi Sphæra ſecetur cono, figuram ſectionis circulum eſſe, ubi axis coni tranſit per centrum Sphæræ: in reliquis caſibus omnibus Elliptoides Sphæricum. Ergo novilunium in nodo celebratum dat umbram circularem. Extra nodum ad diſtantiam quamvis circulus locum non habet. Deinde ſi axis coni moveatur in plano per centrum Sphæræ non transeunte, Elliptoides Sphæricum axem majorem ſemper habebit in plano transeunte per axem coni & centrum Sphæræ, id eſt, in caſu umbræ Lunaris, per centra Solis Lunæ & Terræ: Axem majorem breviſſimum fore in maxima vicinia a centro Sphæræ, i. e. in puncto mediarum tenebrarum: in locis ab hoc puncto utrinque æqualiter remotis & axes omnes, & angulos ſub ipſis

& to-

& totum Elliptoides idem fore; latitudinem zonæ intra quam cadunt omnes Elliptoides in ſuperficie Sphæræ, axium majorum minimo, ſeu qui prodit ad punctum centro Sphæræ viciniſſimum, exacte æqualem eſſe, ſi conus verticem habeat infinite diſtantem, id eſt, ſi Cylindrus Sphæram ſecet; ſi valde diſtantem, quam proxime, nam re ipſa latitudo Zonæ in caſu veri coni continuo mutatur, & maxima eſt in puncto viciniſſimo, in æqualibus ab hoc diſtantiis utrinque eadem: unde in calculo particulari pro aliquo loco Aſtronomi corrigunt Semidiametrum penumbræ, pro altitudine Lunæ ſupra horizontem, & eadem ratione corrigenda eſt Semidiameter umbræ plenæ, quanquam inverſe, propter inverſionem conorum. Eadem Geometria nos docet, portionem axis majoris ſuperiorem ſeu quæ a centro averſa eſt, ſemper majorem eſſe portione inferiore ſeu quæ ad centrum Sphæræ dirigitur, rationem inter majorem & minorem portionem minimam eſſe, ubi axis coni verſatur in puncto centro Sphæræ viciniſſimo, in reliquis transeundo continuo variare, ſic tamen ut eadem ſit in locis a puncto viciniſſimo æque remotis: in caſu Cylindri limitem Zonæ ſuperiorem diſtare a via centri quantitate portionis ſuperioris axis majoris Elliptoidis, qualis eſt in puncto viciniſſimo: in caſu coni prælongi quam proxime; & eodem modo limitem Zonæ inferiorem diſtare a via centri quantitate portionis inferioris ejuſdem axis. His rationibus innititur diſſenſus meus quoad figuram umbræ in tellurem projectæ, quoad latitudinem Zonæ umbroſæ, & diſtantias utriusque limitis ejus a via centri; unde ſpes eſt Reverendum Patrem ſupra a me poſitas menſuras non improbaturum.

Unicum ſupereſt, de quo paucis dicendum. Extendit Reverendus Pater limites Eclipſeos verſus auſtrum uſque ad fluvium Amazonum, quæ extenſio & a meis & a Rev. Patris reliquis numeris pluribus gradibus differt. Quanquam enim latitudinem centri penumbræ ad momentum mediarum tenebrarum nullibi ponat, judicare tamen licet de ea ex latitudine centri ad momentum novilunii, quæ ipſi eſt $51° 3' 6''$, mihi $51° 4' 1'' 23'''$, & a qua latitudo ad mom. med. ten. non poteſt differre $1\frac{1}{2}$ gradu juxta ipſos calculos Rev. Patris. Poſita igitur latitudine centri ad illud

momen-

momentum 50 6', quam tamen calculum Rev. Patris etiam majorem daturum, certum eſt, & ſubducta Semidiametro Penumbræ Rev. Patris 32° 26, prodit 17° 40 Lat. Borealis pro loco quem attingit margo penumbræ infra centrum maxime depreſſa. Ex meis autem calculis, cui Semidiameter Penumbræ eſt 32° 17 55 & Lat. Centri momento med. Tenebrar. 50° 29 25, habetur 18° 11 30; Semidiameter inquam, quæ eſt portio inferior axis majoris Elliptoidis Penumbræ; nam quæ ſupra de Umbra dixi, etiam valent de Penumbra; unde perſpici poteſt, latitudinem prodituram adhuc majorem, ſi ſumta fuerit ſemidiameter infra centrum directe a Polo extenſa, quippe præcedente in partibus Circuli longe minor.

LA GERARCHIA ECCLESIASTICA, CONSIderata nelle veſti ſagre, e civili, uſate da quelli, li quali la compongono, eſpreſſe, e ſpiegate con le imagini di ciaſcun grado della medeſima.

hoc eſt,

HIERARCHIA ECCLESIASTICA, CONSIderata in veſtibus ſacris & politicis, quibus ii, qui eam conſtituunt, indui conſueverunt, adjectis figuris &c. Autore PHILIPPO BONANNI, e Societate Jeſu.

Romæ, ex officina Georg. Plachii cælatoris & typothetæ, 1720, 4. Alphab. 2 plag. 21, cum figuris æneis 156.

MUltum utique facit ad religionem quandam ejusque antiquitatem æſtimandam, ut externas ejus cærimonias, ritusque publice in eccleſia receptos accuratius cognitos atque perſpectos habeamus. Plurimas igitur gratias agimus Celebri hujus operis Autori, cujus jam varia in Rempublicam litterariam extant merita, quod non minori laude quam labore eam rituum Romanæ Eccleſiæ partem, quæ circa veſtimenta ſacra occupatur, non ſolum exponere, ſed & elegantiſſimis imaginibus quaſi vivis coloribus depingere haud fuerit gravatus. Quam

recte & ex veritate ea in re verſatus fuerit, alii viderint: nos pro more noſtro ſumma libri capita recenſebimus. A Capite I usque ad Cap. XVI Autor noſter ſummi Pontificis Veteris Teſtamenti veſtes ornatumque graphice deſcribit, quidque in ſe myſterii continuerint, explicat. Cap. XVIII principium Hierarchiæ Chriſtianæ poſt legem Moſaicam ante oculos ponit, ſatisque confidenter affirmat, in locum pretioſarum veſtium Aaronis, majorem ſplendorem ac magnificentiam habentes Pontificis Romani veſtes ſucceſſiſſe. Eodem hoc capite ex verbis illis Salvatoris, quibus Apoſtolum Petrum alloquitur: *Tu es Petrus* &c. & promiſſione illa Chriſti Johannis XIV, *Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, vos omnia docebit* &c. indubie ſequi putat, omnes in Romana Eccleſia receptos ritus, ſive veſtes, ſeu alias res ſpectent, divino inſtituto divinæque ordinationi acceptos ferendos eſſe. Non poteſt tamen non Capite ſequenti fateri, quod originem indagare ſacrarum in Eccleſia veſtium difficillimum omnino ſit. Cap. XX ediſſerit, qua veſte indutus Salvator S. Cœnam conſecraverit, qualisque ejus quotidianus fuerit amictus. Eaque occaſione effigiem Salvatoris noſtri, quam pia Virgo Maria de Eſcobar ad eam ipſam formam, qua Chriſtus illius precibus accitus ipſi apparuit, quaque forma a tota Romana Eccleſia hodieque adoratur & colitur, pingendam ſibi curavit, pag. 68 inſeruit. Cap. XXI inquirit, quo tempore & a quibus poſt Chriſtum Salvatorem noſtrum initium conſecrationis panis & vini in ſacris epulis factum ſit, nonnullosque, quibus Autor ipſe accedere videtur, Apoſtolum Petrum primam miſſam celebraſſe, arbitrari dicit. Pariter formulæ, in celebranda miſſa receptæ, Petrum autorem eſſe credit, ut tamen & Apoſtolos reliquos conſenſu ſuffragioque ſuo eam confirmaſſe fateatur. Cap. XXVII Statum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, qualis tribus primis ſeculis fuit, perſequitur, imprimisque perſecutiones, quæ ſub primis Imperatoribus crudeliſſimæ graviſſimæque Chriſtianis acciderunt, recenſet, in iisque triginta & duos Pontifices Romanos violenta morte extinctos numerat. Nonnulla hic quoque de cryptis cavernisque prope Romam ſitis, in quas primi Chriſtiani, quo vitam ſuam in tuto colloca-

Digitized by Google

collocarent, perſecutionum temporibus ſeſe abdidiſſe dicuntur, adducit, quas quidem cavernas hodieque multis receſſibus & concamerationibus inſtructas videri teſtatur. Vix tamen Lectori probabitur, quod pag. 107 tradit: altaria nempe in iis partim ex ligno partim lapidibus extructa, miſſasque jam tum celebratas eſſe: quippe quæ tum plane ignota atque inaudita erant. Cap. XXXIV de Tonſura Eccleſiaſtica agens, contra Lutherum, Wiclefum, aliosque eam velut ſanctiſſimum ordinis Clericalis ſignum defendere annititur, cumque Gregorio Turonenſi aliisque fabulas ſequentibus affirmare audet, ipſum S. Apoſtolum Petrum conſuetudinis hujus autorem exiſtere: eoque effigiem Apoſtoli hujus, vertice detonſo raſoque ſellæ inſidentis, neſcio unde depromtam, producit. Cap. XXXVI & ſequentibus varia genera veſtimentorum ſacerdotalium, epiſcopalium & Pontificalium, originibus eorum adductis, deſcribit, quorum nullum facile occurrit, in quo non ſummum aliquod myſterium deprehendisſe ſibi viſus ſit. Cap. LXII Mitram Pontificalem depingit, eamque triplicis generis eſſe ait, unam, *ſimplicem* dictam, ex argentea lamina, alteram *aurifriſiatam* ex auro, tertiam ex auro, gemmis & unionibus conſtare, quam, *pretioſam* vocatam, tanto auri & gemmarum pondere gravari ait, ut in capite Pontificis ſuſtineri non poſſit. Cap. LXV quartum capitis Pontificalis ornatum deſcribit, Italice *Triregno*, Latine *regnum* vel *tiara* dictum, ac tribus coronis (quibus Sacerdotalis ac Imperialis dignitas atque poteſtas deſignari dicitur,) infinita gemmarum multitudine diſtinctis, conſpicuum, quo Pontifex in maximis ſolennitatibus, eundo in templum ac redeundo, nunquam vero in divinis utitur. Cap. LXXIV & ſequentibus veſtes in Eccleſia Orientali uſitatas depingit. Priusquam autem ad eos deſcribendos accedit, eorum ſententiæ occurrit, qui, cum diſcrimen aliquod veſtium inter Romanam Græcamque Eccleſiam deprehendatur, in fide quoque & doctrina eos diſſidere inter ſe, opinantur. Qua quidem in fide nullam, ne minimam, eſſe diſcordiam, ex Leone Allatio affirmat. Capite LXXXXI contra eos inſurgit, qui ritum illum, quo Papæ pedes ab ipſis Regibus oſculi honore afficiuntur, condemnant. Primum, quo eum

 vindica-

vindicare conatur, argumentum, ex Matth. XXV deſumtum eſt, ubi Salvator ait: quod uni ex minimis meis feciſtis & mihi feciſtis; ſicque a minori ad majus concludit: Si honoratis minimis, Chriſtus honoratur, quanto magis ipſo Chriſti vicario honorato. Secundum argumentum eſt, quod non ſolum Cornelius, ſed & S. Clemens Apoſt. Petrum hoc oſculi genere exceperit. Tertium denique eſt, quod Petri ſucceſſoribus eadem veneratio contigerit. Cap. C & ſequentibus de collegio & veſtibus Cardinalium diſſerit, eorumque originem, ſi non a Chriſto ipſo, tamen ab Apoſtolo Petro derivandam eſſe, non obſcure indicat. Cap. CXVII explicat, quam rationi ſit conveniens, quamque neceſſaria magnificentia Pontificis. Cap. CXVIII exponitur, quam neceſſariæ ſint Papæ divitiæ. Denique Cap. CXX & ſequentibus officia habitusque miniſtrorum Pontificis, varii generis lectori proponuntur.

FASTI CONSOLARI DELL' ACADEMIA Fiorentina, da Salvino Salvini.

id eſt,

FASTI CONSULARES ACADEMIÆ FLORENTINÆ; Autore SALVINO SALVINI, Conſule hujus Academiæ & Rectore Generali Univerſitatis Florentinæ.

Florentiæ, apud Jo. Cajetanum Tartini, 1717, 4 maj.
Alph. 3 pl. 19.

Academiæ Florentinæ, quam Coſmus, magnus literarum ſtator ac promotor, cariſſimam ſuam ac feliciſſimam nominavit Academiam, originem, inſtitutum, & dignitatem in Actis noſtris anni hujus ſæculi primi pag. 501 ſeq. jam commemoravimus, dum Notitiæ Literariæ virorum hujus Academiæ illuſtrium partem primam recenſuimus. Hæc, rempublicam Romanam & ipſam Florentinam, quæ primis temporibus ſub Conſulibus fuerunt, quorum res geſtæ in faſtis Conſularibus deſcribebantur, imitata, ſuos ſemper habuit Conſules, ſeu Rectores, qui

qui ab A. 1541, quo condita eſt, uſque ad A. 1553 ſemeſtri, abhinc vero ad A. 1710 annuo ſpatio, & aliquando etiam diutius, Academiæ præfuerunt, atque cenſores & conſiliarios ſibi adſciverunt, quos judicarunt digniſſimos. Conſulum itaque vitas, elogia & merita ordine chronologico celebraturus Autor celeberrimus, eademque opera de lingua, patria, & Academia ſua, in qua ab An. 1710 ſingulari indultu juſſuque Magni Ducis Hetruriæ perpetuum nunc Conſulatum gerit, inſigniter meriturus, Faſtos hoſce Conſulares, quos prodituros eſſe in Actis noſtris A. 1711 pag. 238 indicavimus, & jam non ſine voluptate perluſtramus, ſermone patrio eleganter adornavit, multisque carminibus, epiſtolis, orationibus, vitisque hactenus ineditis exornavit, nec quicquam prætermiſit, quod fidem atque gratiam illis conciliare poſſet. In præfatione, opera Dantis, Poetæ apud Italos longe celeberrimi, cujus effigies ſupra portam Academiæ Florentinæ collocata eſt, quod primus linguam Hetruſcam excoluit, jam per tria ferme ſæcula publicis prælectionibus illuſtrata & explicata eſſe, prolixius probat, & hiſtoriam Academiæ ſuæ, a nobis loco ſupra citato jam expoſitam, ſtrictim recenſet, majoresque ſuos, Dantem, Petrarcham, Boccatium in ſtudio excolendæ linguæ patriæ ſecutos, barbarie devicta, linguæ Hetruſcæ per totam Italiam principatum vindicaſſe, confirmat. In ipſis vero Faſtis Conſules a prima hujus Academiæ origine uſque ad annum 1710 numerantur CLVIIII, quorum nonnulli bis terve quaterve repetita vice conſulari dignitate gaviſi ſunt. Nec diffitendum eſt, dari in illis Philoſophos acutiſſimos, Theologos, JCtos, Hiſtoricos, Mathematicos, Poetas & Oratores per orbem literatum celebratiſſimos. Ex his eos potiſſimum in Acta noſtra referemus, quorum notitiæ extra Italiam viventes quam maxime cupidos fore arbitramur, & quorum vitæ in Dictionariis, quæ eruditorum manibus volvuntur, Hiſtoricis vel penitus prætermiſſæ, vel minus dextre ſunt deſcriptæ. Qui bono omine & nomine A. 1541 primum Conſulatum geſſit, *Laurentius Benivenius*, felicioribus literatis annumerandus, eodem anno ſucceſſorem habuit *Joannem Strozzium*, ſive *Strozzam*, virum eruditione atque probitate præclarum, qui anno 1517 natus, exiguis quidem fortunæ bonis

 inſtru-

Digitized by Google

inſtructus, ingenio atque induſtria magnam ſibi conciliavit nominis celebritatem. Qua de cauſa A. 1547 in Academia Piſana Profeſſor Philoſ. Extraordinarius, & 1552 Ordinarius eſt conſtitutus, atque poſtea ampliſſimis legationibus ad Ferdinandum I Imp. & ad Pium IV Pont. defunctus. Ad concilium quoque Tridentinum orator miſſus eſt a Coſmo, & cauſam religionis ac Principis ſui ſtrenue geſſit. Suborta vero de honoratiori loco in conſeſſibus publicis contentione inter ipſum & oratorem Ducis Ferrarienſis, Coſmus, ut Pontificis precibus locum daret, illo revocato, hominem de clero Hieronymum de Gaddis, Epiſc. Cortonæ, ſurrogavit. Id quod ideo monendum eſſe duximus, ut illuſtrentur inde, quæ in Hiſtoria hujus concilii, a Paulo Sarpo conſcripta, Lib. V p. 764 leguntur. Strozzius vero ad Muſas Piſanas reverſus, quod reliquum ætatis erat, literis impendit, A. 1570 d. 22 Aug. vivis ereptus. Anno 1544 Conſulatum Academiæ Florentinæ adeptus eſt *Hugolinus Martellius*, vel *Martellus*, a Königio minus recte Martellinus dictus, Bælio & ipſi Naudæo non ſatis cognitus, Patritius Florentinus, qui Gallica, Tuſca, Latina, Græca & Hebraica eloquentia, ac literis humanioribus clarus, cum Daniele Barbaro Academiam Inflammatorum Patavii condidit, cum Catharina de Medicis Lutetias Pariſiorum abiit, & a Pio V Epiſcopus Glandatenſis creatus, ſcripta multo plura edidit, quam a Pocciantio indicantur: ſed hæc apud Noſtrum legi poſſunt. De *Benedicto Varchi*, alias *de Monte Varchi*, vel *de Mattei* dicto, de quo in Actis A. 1701 p. 505 & Anno ſuperiore 1723 p. 414, ubi ejus hiſtoriam Florentinam recenſuimus, Florentiæ A. 1502 nato, & anno 1566 denato, inſcriptionem ſepulchralem hic tantum producimus, quam Silvanus Raccius ipſi poſuit:

D. O. M.
BENED. VARCHIO POETÆ PHILOSOPHO ATQUE HISTORICO QUI CUM ANNOS LXIII SUMMA ANIMI LIBERTATE SINE ULLA AVARITIA AUT AMBITIONE VIXISSET OBIIT NON INVITUS

XVI

XVI. KAL. DEC. cIↄ Iↄ LXVI.
SIL. RAC. SACRÆ HUJUS ÆDIS
COENOBITA AMICO OPTIMO P. C.

A. 1557 Conſul creatus fuit *Lælius Torellus*, vel *Taurellus*, Fanenſis, ab omnibus fere vitarum & bibliothecarum ſcriptoribus prætermiſſus, digniſſimus tamen, cujus vita ex oratione Philippi Saſſetti in exequiis JCti hujus, per totam Italiam famigeratiſſimi, A. 1576 d. 22 Jun. habita, & ab Autore noſtro inſerta, ac obſervationibus illuſtrata, paucis excerpatur. Nempe Lælius Taurellus, ex antiqua nobili familia Fani Fortunæ, quæ urbs etiam Julia Faneſtris dicta, & ad radices montis Apennini ſita, multos tulit Hiſtoricos & Poetas, patre Antonio Taurello, qui ab ipſo Imperatore Maximiliano laurea coronatus eſt, & matre Camilla De' Goſtanzi A. 1489 d. 28 Octob. in lucem editus, coram Senatu Florentino in tenera ætate orationem recitavit, & anno æt. 12 curæ ac fidei Jacobi Goſtanzii, avunculi ſui, Græcas & Latinas literas in Academia Ferrarienſi docentis, a patre traditus, ad principia Philoſophiæ Juridicæ audienda ſtatim animum convertit: quanquam pater juſſerat, ut ſtudio Medico ſeſe dederet. Patria vero civitate & domo vaſtata, anno æt. 16 Peruſiam profectus, tantos in ſtudio Juris progreſſus fecit, ut anno æt. 22 Doctor Juris ſolenniter renunciatus fuerit. In linguis vero, Latina, Græca & Florentina excellens, Bembo, Gabrieli aliisque chariſſimus fuit; & paulo poſt acceptos honores academicos, præfectus Fori Sempronii conſtitutus, deinde in patriam reverſus & ſupremo magiſtratui admotus, legationes, & Romam ad Pontificem, & Florentiam ad Cardinalem Medicenum, poſtea Papam Clementem dictum, ſuſcepit, atque ſub Duce Laurentio civibus ſuis pacem conciliavit. Anno æt. 28 uxorem duxit, cum qua 53 annos tranſegit. Variis autem ſubortis in patria tumultibus variam ſuſtinuit fortunam, pacis amantiſſimus, donec tandem 1531 Florentiæ Auditor Rotæ electus, & majores ſubinde honores conſecutus, Coſmo a conſiliis & ſecretis fuit. Ingenii, quæ edidit, monumenta ſunt orationes, carmina & conſilia juridica; Pandectas quoque Florentinas deſcripſit, quarum edendarum gloriam filio ſuo Franciſco conceſſit, qui ex

novem

Digitized by Google

novem filiis unicus patri, An. æt. 87 defuncto, ſuperſtes fuit. *Antonium Albizium* dum Cl. Autor A. 1574 Conſulem fuiſſe memorat, Venetiis eum, Patre Luca Albizio, Senatore Veneto, in lucem editum, & ex ſeptem fundatoribus Academiæ Alteratorum, A. 1567 conditæ, præſtantiſſimum, atque *Varium* dictum fuiſſe refert: quæ vero ad religionis mutationem, de qua in Actis noſtris A. 1693 pag. 86, 87 diximus, pertinent, ſilentio premit. *Petrus Angelius Bargæus* natus eſt ex honeſtiſſima familia Bargæ, quod oppidum, haud procul a Luca, urbe Hetruriæ, ſitum, ipſi nomen dedit, A. 1517 X Cal. Maj. Bimeſtris infantulus a patre incendio ereptus, creſcentibus annis ſtudiis grammaticis operam dedit, morte tamen parentum, qui peſte interierunt, interruptis. Hinc annum agens undecimum, ab avo materno militiæ dicatus, & illecebris avitæ indulgentiæ, licentia militari & otio corruptus, cum avus ad literas eum reduci paſſus eſſet, primis ſex menſibus ob caliginem animi omnem operam fruſtra impendit. Cum vero mercaturæ vel militiæ iterum ob ingenii, quod antea vivax & celerrimum habuerat, ſtupiditatem, ab amicis mancipandus videretur, precibus ante aram D. Catharinæ factis, & animo ad literas ſtrenue applicato, condiſcipulos ſuos mox ſuperavit. Anno ætatis decimo ſexto Bononiam miſſus eſt, ut Juri Civili perdiſcendo ſe totum traderet; ſed cum Hugo Boncompagnius, poſtea Pontifex Gregorius XIII, tum temporis Inſtitutiones Juſtiniani publice docens, nimis barbare loqueretur, Angelius Romulum Amaſæum, virum eloquentiſſimum, Poetas & Oratores publice interpretantem, audire maluit, ejusdemque eloquentia & comitate inductus, totum ſe Græcæ linguæ diſcendæ, & Latinæ orationi excolendæ tradidit, atque ab hoc ſtudio nec propinquorum reprehenſionibus, nec amicorum precibus, nec ipſius Andr. Alciati, Jus civile docentis, cohortationibus abduci potuit. Poſtea cum audiſſet, Andream Navagerium & Franciſcum Marium Molſam, Poetas excellentiſſimos, de venatione quædam ſcribere aggreſſos eſſe, argumenti vero magnitudine & difficultate perterritos, conſilium abjeciſſe, ſtudio & cupiditate hoc argumentum perſequendi abreptus, exteras adire regiones magnopere geſtiebat.
Sed

Sed quod negare rei familiaris inopia videbatur, ipſa mox neceſſitas imperabat. Nam cum hortatu amicæ ſenarios in quendam uxoris ſuæ lenonem ſcripſiſſet, a Prætore Bononienſi capite damnatus, vitæ periculum ægre effugit, & primum Venetias conceſſit, ibique Guilielmum Pelliccerium, Monſpeſſulanenſem Epiſcopum, & Franciſci Gall. Regis apud Venetos Oratorem, per tres annos cum in emendandis corrigendisque Græcis codicibus, quos ſumtu Regis deſcribi curabat, tum in conſcribenda piſcium hiſtoria, plurimum adjuvit. Inde cum Antonio Polino, ejusdem Franciſci ad Solymannum Turcarum Imperatorem legato, per omnem Dalmatiæ & Thraciæ tractum, Byzantium pervenit, & Pontum ac Bithyniam, magnamque Aſiæ minoris partem peragravit. Tandem variis fatis jactatus ac militari ſubinde officio defunctus, cum claſſe Turcica, Gallis in ſubſidium miſſa, in patriam non ſine maximo periculo, quod Gallum, Italos perfidiæ accuſantem, in claſſe Turcica interemiſſet, in Italiam rediit ac mox prœlio ad Ceriſolam Gallos inter & Hiſpanos geſto interfuit, omnemque pugnæ ſeriem Paulo Jovio, qui in Commentarios retulit, narravit. Hinc reverſus ad Muſas, a Regienſibus annuo ſtipendio liberaliſſime conſtituto & aucto, ad Græcæ Latinæque linguæ Profeſſionem, ac poſt triennium Piſas ad Oratoriam Poeticamque Facultatem Latine & Græce publice docendam vocatus eſt: cumque bellum Senenſe gereretur, ad urbem cuſtodiendam & ipſe primus omnium accurrit, & non modo adoleſcentes, ſed ipſos etiam Doctores, homines ceteroqui graviſſimos & a militari vita in primis alienos, per urbem ordine incedentes armatos circumduxit, donec urbem præſidio muniret: Piſis vero per XVII annos commoratus, tribus primum, poſtea quatuor auri libris quovis anno pro mercede acceptis, a Ferdinando Medice, Coſmi filio, Cardinali munificentiſſimo, primum Romam, & tandem Florentiam ductus, atque inter familiares ipſius receptus, obiit opibus & honoribus auctus anno æt. 79 prid. Calend Mart. A. 1596. Magno omnibus in pretio eſt poema, quod de venatione, inter ipſas rei familiaris anguſtias, bellique tumultus, viginti annorum ſpatio conſcripſit. De aucupio unum quoque librum abſolvit, etſi qua-

tuor ſcribere conſtituiſſet. Rogatus ergo aliquando, cur opus affectum reliquiſſet: quoniam, inquit, in venatione nihil cepi, & in ipſo venationis apparatu a canibus propemodum laceratus ſum, ne, quod reliquum mei eſſet, ab accipitribus & vulturibus exederetur, aucupii fortunam experiri nolui. Magnum eſt Galilæi a *Galilæis* nomen, cujus vitam, poſt Nicolaum Gerardini, fuſius deſcripſit Vincentius Vivianus, Galilæi diſcipulus, qui & ſtatuam præceptori ſuo dimidiatam, ſupra portam domus ſuæ poſuit. Nos ex iis, quæ de eo prolixe hic referuntur, ſingularia quædam decerpemus, ea maxime quæ ad corrigendos Biographos alios inſervire poſſunt. Florentiæ nobili ac veteri proſapia, non tamen legitimo toro, natum eſſe, Erythræus nonnullis perſuaſit. Verum Noſter, ut alias quoque ſæpe eum fallere oſtendit, ita publico teſtimonio de baptiſmo Galilæi in forma probante A. 1693 dato, & e protocollo excerpto Piſano, confirmat, patrem Galilæi Vincentium, civem Florentinum, cum Julia Ammanati di Peſcia A. 1563 d. 5 Jul. matrimonium Piſis contraxiſſe, & filium, ex hoc matrimonio poſtea ſuſceptum, A. 1564 d. 19 Febr. ibidem in templo S. Joannis baptizatum fuiſſe. Anno æt. 18 in Academiam Piſanam miſſus, ut artem Medicam addiſceret, qua res domeſtica facilius amplificari poſſet, per triennium vel quadriennium paruit voluntati patris; poſtea vero, eodem conſentiente, Geometriæ & reliquis ſtudiis Mathematicis, tum fere neglectis, totum ſe mancipavit. Itaque A. 1589 Prof. Mathematum in Acad. Piſana conſtitutus, poſtea A. 1592 Patavium vocatus, &, annuo ſtipendio aliquoties aucto, in Profeſſione publica confirmatus, demumque A. 1610 a Coſmo Magno Duce Hetruriæ revocatus, & titulo Primarii Philoſophi & Mathematici Piſani condecoratus eſt, in qua dignitate obiit d. 8 Jan. A. 1641, lumine oculorum tribus ante obitum annis privatus. Inter inventa ejus Phyſica & Mathematica numerantur thermometra, circulus geometricus & militaris, & teleſcopium, cujus ope in corpore lunari ſuperficiem inæqualem, in via lactea ſtellarum fixarum congeriem, & circa Jovem quatuor ſtellas, quas Mediceas dixit, feliciter detexit, atque Saturnum tergeminum ſive tricorporeum, & Venerem lunam æmulantem, ſuamque

ſuamque figuram ſubinde mutantem, obſervavit. Denique ad motum ſtellarum Medicearum, quem obſervationibus ſuis ſæpenumero repetitis in tabulas & ephemerides redegerat, longitudinem omni tempore & loco, terra marique, cognoſcendi rationem invenit, eandemque regi Hiſpaniarum primum, poſtea, Hugonis Grotii conſilio, Statibus Belgii Fœderati aperire conſtituit. Sed Hiſpanis voto ipſius non reſpondentibus, & vitæ termino, ante rem cum Batavis feliciter transactam, appropinquante, conſilia & conamina, magno quidem auſu incepta, incaſſum abiere omnia. Novis vero inventis ſuis & libera philoſophandi ratione in Philoſophorum ſui temporis incurrit invidiam & obtrectationem, quæ eo proceſſit, ut ob Syſtematis Copernicani defenſionem Romam vocatus, in inquiſitionis tribunali hæreſeos damnaretur, revocata tamen ſententia & Principis ſui interceſſione ſalvus. Opera ejus omnia, quæ Vivianus colligere, & in lucem proferre conſtituerat, virum magni ingenii ſubactique judicii Florentiæ plurimis tomis editurum, quorum poſtremus ſcripta ejus anecdota complexurus ſit, Autor nuntiat.

Ceterum cum bibliothecarum in hiſce faſtis fiat ſubinde mentio, duas hic ſubjungere liceat bibliothecarum inſcriptiones, quarum altera a Patribus Dominicanis marmori inſcripta, & Franciſci Bonciani bibliothecæ affixa, ita ſe habet: p. 322.

BENEFICIORUM. OBLIVIO.
PESSIMUM. INGRATITUDINIS. GENUS.
FRANC. BONCIANUS. PISAR. ARCHIEP. INGENTEM. LIBRORUM VIM. CONQUISIVIT. AC. MORIENS. SUMMÆ. BENEVOLENTIÆ. PIGNUS. ERGA. P. DOMINICUM. GORIUM. HUIC. COENOBIO. LEGAVIT. PP. IN. HAC. BIBLIOTHECA. A. FUNDAMENTIS. EXCITATA. CONDIDERE. RATI. SE. NUNQUAM. FORE. INGRATOS. CUM. BENEFICIUM. INGENUE. FATEANTUR. AC. LIBENTISSIME. DEBEANT.
AN. D. cIɔ. Iɔc. XXX. VI.

Altera eſt bibliothecæ Vincentii Capponi in hanc ſententiam conſcripta: 497.

Digitized by Google

VINCENTIO CAPPONI SENATORI FLORENTINO
QUI CUM AVITAM NOBILITATEM VIRTUTUM
SPLENDORE SCIENTIARUM CLARITUDINE
ILLUSTRARET HANC INSIGNEM LIBRORUM
COPIAM ERUDITO LUXU COMPARAVIT
CASSANDRA FILIA HÆRES EX ASSE FRANCISCUS
RICCARDI GENER. GRATITUDINIS ET AMORIS
MON. PP.

Denique lectori ſignificandum ducimus, Autorem in hoc opere præter Canonicorum Florentinorum Hiſtoriam, collectionem Orationum in Academia Florentina habitarum, ut & Scriptorum Florentinorum hiſtoriam polliceri. Fidem itaque publice datam quin magna cum laude mox liberaturus, & de patria atque Academia ſua porro bene meriturus ſit, nulli dubitamus.

EMENDATIONES QUÆDAM JAMBLIchi de vita Pythagoræ. Autore J. C. S.

1 QUum libri, qui minus crebro editi ſunt, multa adhuc menda contineant: non male illi mihi literarum ornamentis conſulere videntur, qui ad ea tollenda tempus & operam ſuam conferunt. Ergo jam experiar, ſi qua per me ex Jamblichi vita Pythagoræ deleri queant. Cap. II §. 4 pag. 3 adhuc legimus *ἀλλὰ καὶ τῶν συγγενειῶν καὶ τῶν μετ᾽ ἀλλήλων συνόδων.* Sed doctiſſimus Editor legendum eſſe putat *αἱ συγγένειαι καὶ αἱ μετ᾽ ἀλλήλων σύνοδοι.* Mihi vero locus ille totus ita videtur legendus: *Τȣ͂ δὲ, τὰς ἀποικίας ἐκ τῶν τόπων τῶν προειρημένων συνελθεῖν, σημεῖόν ἐστιν οὐ μόνον αἱ τῶν θεῶν τιμαὶ καὶ θυσίαι, διότι μετηγμέναι τυγχάνουσιν ἐκ τῶν τόπων. ὅθεν τὰ πλήθη τῶν ἀνδρῶν συνῆλθεν, ἀλλὰ καὶ αἱ τῶν συγγενειῶν καὶ τῶν μετ᾽ ἀλλήλων συνόδων.* Hæc verba ita interpretor: *Colonos autem ex iis, quæ dixi, locis conveniſſe, oſtendunt honores & ſacra non modo Deorum, (propterea, quod una cum ipſa hominum, qui confluxerunt, multitudine importata ſunt) ſed etiam familiarum & nuptiarum, quas inter ſe celebrant.* Scilicet ſua quæque gens ſacra & Deos in inſulam Samum

mum intulerat, & ſuos quæque gens honores, quos primo in coloniæ confluxu habuerat, itemque cognationis propagandæ jura & ſacra obtinebat. Hæc colonorum Samiorum ratio ex Romanæ civitatis rationibus intelligi poterit. Romam qui primis temporibus confluxerant, ii, quia ex variis gentibus erant, etiam ſacris diſcerni cum volebant, tum ſolebant. Neque familiæ patritiæ cum plebejis conjungi confundique cupiebant. Hinc primo varietas illa extitit curiarum, tum contentiones de communicandis conjugiis conſecutæ ſunt, quum plebis invaluiſſet autoritas & ſuperbia. Eundem igitur in modum diſcriminari volebant & diſcriminabantur Samii, qui olim ex variis gentibus collecti fuerant & in civitatem unam coaluerant.

Cap. eodem §. 11 pag. 8 Νύκτωρ, inquit Jamblichus, λαθὼν πάντας, μετὰ τοῦ Ερμωδάμαντος μὲν τὸ ὄνομα, Κρεοφύλου δὲ ἐπικαλουμένου, ὃς ἐλέγετο Κρεοφύλου ἀπόγυνος εἶναι, Ομήρου ξένου τοῦ ποιητοῦ γενέσθαι φίλος καὶ διδάσκαλος τῶν ἁπάντων. Doctiſſimus Editor agnoſcit corrupta eſſe, & quomodo correxerit, apud ipſum videri poteſt. Mihi ſic legendum videtur: Νύκτωρ, λαθὼν πάντας, μετὰ τοῦ Ερμοδάμαντος μὲν τὸ ὄνομα, Κρεοφίλου δὲ ἐπικαλουμένου, ὅτι Κρεοφίλου ἀπόγονος ἦν, ὃς ἐλέγετο Ομήρου, τοῦ ποιητοῦ καὶ ξένου, γενέσθαι φίλος καὶ διδάσκαλος τῶν ἁπάντων. *Noctu clara omnibus cum Hermodamante (hoc erat homini nomen, cognomen autem Creophili, quod e Creophili poſteris erat, ejus, qui Homeri, poetæ & hoſpitis, dicebatur amicus fuiſſe & doctor omnium rerum) cum hoc, inquam, ad Pherecydem trajecit.* Scilicet multa ſunt vocabula loco ſuo mota in Autore noſtro, ut infra certiſſimis argumentis demonſtrabimus.

Mox, §. 12 ejusdem capitis, autoritate manuſcripti Editor ἀσμένως poſuit pro ἄσμενον: ſed, quum elegantiſſimi ſcriptores adjectivum malint, quam adverbium: ego ἄσμενος præoptarim.

Ibidem καθορᾶν optimi uſus eſt. Nam ſubintelligitur ἔλεγεν ἐπιτυχήσειν, quanquam hominibus noſtræ linguæ aſſuetis id minu commodum videatur. Sed Romani hujusmodi conſtructiones Græcorum ſæpe imitando expreſſerunt. Cicer. VI

 epiſt. 18.

epiſt. 18. *Nam ſic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus valuerunt, aut valent, conjunctiores tecum eſſe, quam* ME; *neceſſitudine* NEMINEM. Videri poſſit, ſcribi debuiſſe, *quam ego, neceſſitudine nemo.* Idem Cicero pro Ligar. cap. 1. *Habes igitur, Tubero, confitentem reum, ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua* TE, *Tubero, qua* VIRUM, *omni laude* DIGNUM PATREM TUUM. Poſſit videri dicendum fuiſſe, *qua tu fuiſti, Tubero, qua vir omni laude dignus pater tuus.*

Cap. III §. 14 pag. 11 Editor eruditiſſimus ſuſpicatur, legendum *φυλαττομένων* pro edito *φυλαττόμενα*, ſed ego ſuſpicari malim *φυλαττόμενος*, quia ſequitur *προμαθών τε*. Locus jam totus hic eſt: *καὶ οὐχὶ δεισιδαιμονίας ἕνεκα τὸ τοιοῦτον ὑπομένας - πολὺ δὲ μᾶλλον ἔρωτι καὶ ὀρέξει θεωρίας καὶ εὐλαβείας, ἵνα μήτι αὐτὸν τῶν ἀξιομαθήτων διαλάθῃ ἐν Θεῶν ἀποῤῥήτοις ἢ τελεταῖς φυλαττόμενος, προμαθών τε - διεπορθμεύετ. Neque ſuperſtitionis cauſa tale quiddam ſuſtinens, - ſed potius amore & appetitione contemplationis & pietatis cavens, ne quid ipſum in arcanis Deorum ſacris aut myſteriis rerum ſcitu dignarum fugeret, jamque præſciens - - - trajecit.*

Ibid. Mox inſequitur vox nihili *ἀγασθεὶς*, quod ex *ἀγνισθεὶς* vel *ἀγνευθεὶς* corruptum eſſe videtur. Nam, quia paulo ante de myſteriis, quibus initiatus erat Pythagoras, ſermo fuerat: belle *expiatus* abiiſſe in Ægyptum dicitur. Nam *ἁγνεύεσθαι* & ſimilia verba elegantia his in rebus fuiſſe, cum aliunde tum ex Polluce conſtat. Diis autem conſecratum proficiſci laudis eſt & felicitatis haud exiguæ. Atque hoc in Pythagora Autor noſter prædicat.

Pag. 11 & 12 §. 15 illa verba cernas: Ε*πεὶ μέντοι κατὰ τὸν πλοῦν αὐτοῦ ἐγκρατῶς καὶ σεμνῶς ἀκολούθωστε τῇ συντρόφῳ ἐπιτηδεύσει διαλλάττοντος, ἄμεινον περὶ αὐτοῦ διατεθέντες καὶ τ. λ.* Nullum plane uſquam apparet verbum, quo referantur multi illi nominativi, qui inſequuntur. Nobis igitur, immutatione pene nulla, ſaltem exigua, ita videtur ſermo reſtituendus. Ε*πεὶ μέντοι κατὰ τὸν πλοῦν ἐγκρατῶς αὐτοῦ καὶ*

σεμνῶς

Digitized by Google

σεμνῶς ἀκολέθως τε τῇ συντρόφῳ ἐπιτηδεύσει ἐπετήδευσε διηλλάτ]οντο, ἄμεινον περὶ αὐτῦ διατεθέντες. κ. τ. λ. *Verum tamen, quum in navigando modeſte ibi & decenter & conſueta virtuti convenienter ſe geſſiſſet: reconciliabantur ei & melius in eum erant animati.* Rationem hujus emendationis ipſa ſententia, contextui ſermonis tam conſentanea, reddet. Notum eſt ceteroqui, nimis ſæpe factum eſſe, ut vocabulorum geminandorum excideret alterum. Hic autem etiam iccirco, quia αὐτοῦ adfuerat, ineptus librarius διαλλάτ]οντος fecerat, quaſi vero αὐτοῦ non etiam locum expleret adverbii cujusdam loci, & ſignificaret *ibi.*

Pag. 12 §. 15 dicitur Pythagoras de monte deſcendiſſe, σχολαίωςτε καὶ ἀνεπιςρεπ]ὶ βαίνων, ὐδὲ κρημνώδυς τινὸς ὐδὲ δυσβάτου πέτρας ἐνισαμένης. Monet doctiſſimus Editor, antea poſitum in libris fuiſſe εὐοράτου, pro quo ipſe Manuſcripti Codicis autoritate repoſuerit δυσβάτου. Verum particulæ ὐδὲ ſunt disjunctivæ, nomina autem τοῦ κρημνώδυς & τῦ δυσβάτου ſejungi non poſſunt, quia, quum de montibus dicuntur, unum idemque ſignant, ſi rem ſpectes. Nam præcipitia loca montium impedita ſunt ad eundum, & loca montium difficilia itu ſunt ea, quæ præcipitium aliquod objiciunt. Ergo, ut disjunctio locum habere poſſit: malim legere εὐβάτου, hoc modo: ὐδὲ κρημνώδυς τινὸς, ὐδὲ εὐβάτου πέτρας ἐνισαμένης, *non obſtante nec præcipiti petra ulla, nec leni ac facili.*

Pag. 13 §. 16 Cap. III καὶ ταῦτα legitur. Litteratiſſimus Editor καὶ μετὰ ταῦτα vult legi. Bella lectio ita exiſtit. Sed haud ſcio, an brevius ſit κατὰ ταῦτα, *interea.* Paulo poſt εἴπερ legitur. Sed ſine dubio erratum operarum eſt pro ἥπερ.

Eadem pagina obveniunt legentibus illa verba: καὶ σεμνοτέροις, ἥπερ εἰώθεσαν, ὀνόμασίτε καὶ πράγμασιν ἐχρήσαντο πρός τε ἀλλήλυς καὶ πρὸς αὐτὸν μέχρι τῆς εὐτυχεστάτης συμβάσης αὐτοῖς καὶ ἀκυμάντυ παρόδυ εἰς τὴν Αἰγυπτίαν ἠόνα τῦ σκάφυς προσοχῆς. Locus corruptus eſt, judice Editore etiam doctiſſimo, qui lectionem commodiorem confinxit ingenioſe. Sed lectori tamen meam quoque conjecturam proponam, ſi forte ſimplicior & rei accommodatior fuerit viſa.

Ὀνόμα-

Ονόμασί τε καὶ πράγμασιν ἐχρήσαντο πρός τε ἀλλήλους, καὶ πρὸς αὐτὸν, εὐτυχεστάτης συμβάσης αυτοῖς καὶ ἀκυμάντου παρόδου μέχρι τῆς εἰς τὴν Αἰγυπτίαν ηόνα τοῦ σκάφους προσοχῆς. Et honeſtioribus, quam conſueverant, & vocibus & negotiis uti cœperunt, cum inter ſe, tum ad ipſum, tranſitu eis proſpero & tranquillo oblato, usque dum navicula ad littus Ægypti eſſet appulſa.

Cap. V § 21 pag 16 interpunctio mutanda eſt paulo aliter. Adhuc enim poſt *εἰ καὶ μὴ ἑκόντας* poſitum fuit ſignum acquieſcendi. Mihi videtur lectio continuanda eſſe paulo longius. *Γεῦσαι μὲν, πάντως ἐβούλετο, τῆς τῶν μαθημάτων καλλονῆς τοὺς πατριώτας, εἰ καὶ μὴ ἑκόντας, ἀλλ᾽ οὖν ἐπινοίᾳ καὶ μεθόδῳ. Παρατηρήσας, οὖν εὐφυῶς τινα* &c. nam *οὖν* hic rurſus interponendum, quod exciderat ob ignorantiam librarii. Vertendus jam locus erit ita: *Volebat quidem omnino, cives ſuos percipere elegantiam diſciplinarum, ſi minus voluntarios, at ſaltem ſolertia quadam & artificio adductos. Quum igitur animadvertiſſet* &c.

Cap. eod. p. 17 §. 22 iſta verba cernas: *καὶ διδάσκων παντὸς σχήματος, ὅ ἐστι διὰ γράμματος, μισθὸν καὶ ἀντίπονον παρεῖχε τῷ νεανίᾳ τριώβολον.* Annotat eruditiſſimus Editor ad codicem Spanhemianum adſcriptum fuiſſe *διὰ γραμμῶν*, quod ipſe probet. Sed, niſi fallor, Jamblichus nomen *σχήματος* explanabat per vocabulum artis *διαγράμματος*, quod, ut notius & arti uſitatius, per *ὅ ἐστι* ſignificare voluit.

Pag. 20 §. 26 legitur adhuc *κατεσκεύασεν*, pro quo Editor clariſſimus reponi malit *ὃν κατεσκεύασεν*. Num ineptum foret *κατεσκεύασεν* legi? Verba Jamblichi ſunt iſta: *Et primo quidem ſcholam condidit* Pythagoras, *etiamnum Pythagoræ hemicyclium dictam, in qua Samii de republica conſilia ineunt.* Νομίζοντες, *περὶ τῶν καλῶν, καὶ τῶν δικαίων, καὶ τῶν ξυμφερόντων. ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ποιεῖσθαι τὴν ζήτησιν, ἐν ᾧ κατεσκεύασεν ὁ πάντων ποιησάμενος τὴν ἐπιμέλειαν. Sciſcentes, de rebus honeſtis, & juſtis, & utilibus, in eo loco quærendum eſſe, in quo* VERSATUS EST *aliquamdiu is, qui in rebus iſtis omnibus curam ſuam fixerat.*

Pag.

Pag. 21 §. 28 mirum verba διὰ τῶν ὕστερον ὑπ' αὐτοῦ πραχθέντων ἔτι μᾶλλον αὐτὸν θαυμαστέον mihi labis habere. Nam διὰ cum genitivo ſæpe ſtatum quendam ſignificat. Verti poſſunt igitur ita: *In rebus poſtmodum ab eo factis magis etiam admirandus eſt* Pythagoras.

Pag. eadem locus valde corruptus eſt ille: Τὴν περὶ παιδείας ὀλιγωρίαν τῶν τότε τὴν Σάμον οἰκούντων παραιτούμενος, ἀπῆρεν εἰς τὴν Ἰταλίαν, πατρίδα ἡγησάμενος τὴν πλείονας εὖ ἐχόντων πρὸς τὸ μανθάνειν οἰστικῶς ἐχοῦσαν χώραν Nam vocabulum οἰστικῶς nullius pretii eſt. Sed, niſi fallor, ex οἰκείως corruptum eſt. Itaque ſic legi præoptem: Τὴν, πλειόνων εὖ ἐχόντων, πρὸς τὸ μανθάνειν οἰκείως ἔχουσαν χώραν. Totus locus ita vertendus videtur: *Pythagoras Samiorum iſtius temporis contemtionem diſciplinæ deteſtatus in Italiam abiit, eam regionem, quæ, compluribus beate viventibus, ad diſcendum propenſa eſſet, patriam eſſe arbitratus.* Litterarum quidem ſtudia in civitatibus beatis coluntur maxime.

Pag. 30 §. 40 pro ἀποδείξειν videatur legendum ἀποδεῖξαι. Nam pag. 28 §. 37 Autor dixerat παραδέδοται διαλεχθῆναι. Et mox legi conſtructio jubet διότι δεῖν, nam in narrando hujusmodi infinitivi crebro ſolent occurrere lectoribus diligentioribus.

Reliquorum, ſi qui ſunt, locorum emendationes ſubſequentur alia occaſione.

Reiſe-Beſchreibung durch Teutſchland, Holland, Engelland, Franckreich, Italien, und Sicilien.

hoc eſt,

AULI APRONII ITER PER GERMANIAM, Belgium, Angliam, Galliam, Italiam, & Siciliam.

Villæ Francæ (h. e. Francofurti ad Viadrum) 1723. 8.
Alph. 1 plag. 12½.

SUb ficto *Auli Apronii* nomine latere voluit Celeberrimus Vir, *Adamus Ebertus*, in Academia Francofurtana J. V. D. & Profeſ-

Profeſſor Extraordinarius. Is A. 1677 & ſequentibus per regiones in titulo libri memoratas iter literarium, anno ætatis vigeſimo ſecundo, ſuſcepit, cujus nunc memorabilia haud illepide deſcripta prodit, unde quædam hic, quæ ad ſupplementum hiſtoriæ civilis, litterariæ & naturalis facere quodammodo poſſunt, decerpemus.

Ad hiſtoriam civilem illuſtrandam hæc referas. In Sileſia,
p. 3. narrat, virum doctum de noto illo ſpectro, quod *Rübezabl* vulgo
vocant, ſibi ex antiquis monumentis indicaſſe, quod olim Co-
mes quidam de *Ravezan* ibi habitaverit, qui cum & ſubditos ex-
actionibus exhauſerit, & fidem in Principes ſolverit, inde fa-
ctum eſſe, ut poſt obitum male audiret, & aliis tremendus cir-
9. cumerrare jactaretur. In theſauris Imperatoris obſervavit ima-
ginem Clodovei, Francorum Regis, cum tribus ſcarabæis, loco
33. inſignium, quæ deinceps in lilia degenerarint. Mich. Ruyter,
Belgarum thalaſſiarcha, filias Eccl. Paſtoribus in agro degenti-
bus elocaſſe fertur, quod illis bene proſpectum diceret, ſi ita
53. ad viam ſalutis pervenirent. Londini quendam vidit, qui Milto-
no quondam a ſecretis fuerat, mente captum, qui nil præter
ſtramen lecto ſubſtratum comederit, & peregrinis digi-
to frontem oſtenderit, quaſi indicaturus, ſe uſu ſanæ mentis
deſtitui. Cum ſecurim, qua Anna Bolenia percuſſa traditur, ad-
58. huc in turri Londinenſi oſtendi, Autor obſervat, veram eam
eſſe negat, quum ſcriptores fide digni referant, carnificem Ca-
64. jetanum ipſi caput gladio reſecaſſe. Diem Dominicam nar-
rat Londini inde a temporibus Cromwelli incredibili cultu ce-
lebrari, adeo ut nulli currus in plateis, nulli cibi venales ſint,
nec quisquam in publico compareat, niſi qui vel templum in-
65. grediatur, vel ex eodem redeat. In monumento Eliſabethæ Re-
ginæ, obſervat, omnium ipſius virtutum & rerum geſtarum lau-
dem memorari, virginitatis vero nullam mentionem fieri.
66. Templariorum Londini templum hodieque exſtat fere ſubter-
raneum, in quo inter alia Epitaphium Seldeni conſpicitur. Qua-
67. keros in Anglia non bonorum ſolum, ſed & uxorum commu-
85. nionem habere, narrat. Libros, quibus Cromwellus perſtringi-
tur,

Digitized by Google

tur, hos commendat: *The miſtakes of Cromwel*, ſeu Hallucinationes Cromwelli, & *La Tyrannie heureuſe*, & titulo primi libri additam imaginem refert Cromwelli cum unco, quali in Anglia latrones patibulo affiguntur. Temporibus Cromwelli Londini liber prodiit hoc titulo: *Roma Ruina finalis An. 1666*, quum p. 90.
vero incendium eodem anno Londini ſæviret, ſcriptum in templo quodam inventum eſt, quo hæretici monebantur, ut futura melius prædicere diſcant; Romam enim adhuc ſalvam eſſe, Londinum vero in cineres redactum. Porro narrat, Regem Galliæ juſſiſſe, ut Confeſſionarius ipſius longo tempore non niſi per- 123.
dicibus aleretur, cujus rei cauſam quoque ſibi narratam ait, quam tamen non addit. Principem Condæum familiariſſimos habuiſ- 127. 256.
ſe Polybium & Plutarchum, Mazarinum vero Cardinalem Senecæ Tragœdias, quas quotidie lectas in capſula aurea cuſtodivit, & Juvenalem. Colbertus, ait, in juventute mercaturæ 128.
operam dedit, is tamen ſtudiis magis, quam doctiſſimi quique Proceres, favit. In Gallia virgines nobili genere natæ, ſplendi- 161.
disque veſtibus indutæ, orbem argenteum manibus tenentes, eleemoſynam a peregrinis in diverſoriis petunt, nec deſunt, quæ id officium honoris ergo ambiunt, quod maximæ illis laudis ducitur; nec quisquam facile eleemoſynam negaverit. Cartuſia 239.
magna quotannis centies mille thalerorum reditus habet; cum vero Patres eam habitantes metuerent, ne Ludovicus XIV mutuam ab ipſis pecuniam peteret, totum monaſterium ipſi ſuppoſitis ignibus concremaſſe dicuntur. Lugduni in Gallia *Servierium* 243.
Autor adiit, qui in prælio ad montem album juxta Pragam militaverat, poſtea vero ſtudiis Mathematicis ſe totum dederat, in quibus ſtupendos progreſſus fecit, qua de re quædam apud Autorem noſtrum ſpecimina proferuntur. Veneti Judæos, qui pro- 333.
pter Budam a Cæſareis primum infelici conatu obſeſſam εὐχαριστήρια celebrarunt, quinquaginta millibus imperialium mulctarunt. Oeniponte inter alia rariora oſtenditur veſtis Franciſci I 500.
Galliarum Regis, qua in pugna Ticinenſi indutus fuerat. Autor vero noſter obſervat, eam veſtem potius ludorum ſcenicorum actoribus quam militi aptam, & e ſcriptoribus fide dignis conſta-

Digitized by Google

re, Regem thorace tunc indutum fuiſſe, qui veſtem Attalicam textilem (*brocartum* vulgo vocant) tegebat.

Ex iis, quæ ad rem litterariam ſpectant, notatu digna no-
p. 7. bis viſa ſunt ſequentia. Wratislaviæ Lohenſteinius Autori oſtendit verſionem Gallicam Livii in membrana exaratam, quæ temporibus Joannis Galliæ Regis, quem Angli ceperant, conſcripta, & ex Bibliotheca ejusdem depromta videtur, quod lilia aurea produnt: teſtatus vero eſt idem Lohenſteinius, eam exemplari-
18. bus editis Latinis longe locupletiorem eſſe. *Lambecius* omnia mirabili celeritate efferre ſolitus eſt, ut multa brevi tempore loquendo abſolveret, nec diutius ab aliis negotiis avocaretur: reditus ejus quotannis fuiſſe ultra ſeptem millia imperialium, nar-
19. rat. Pariter *Gualdus Prioratus*, nec non *Philippus Maria Bo-*
24. *noni*, ab Imperatore quotannis mille imperiales acceperunt. *Ma-*
chiavellus aliquoties, *Campanella* vero ultra viginti horas tor-
39. turam ſuſtinuit. *Vicquefortius* Hagæ, veſtibus filiæ indutus, ex
48. carcere aufugit, in quo per aliquot menſes delituerat. *Walliſi-*
um non magnopere commendat Cl. Autor noſter, quippe qui, quum ſteganographica quædam ab ipſo diſcere vellet Noſter,
62. pecuniæ appetentior ipſi viſus eſt. *Hobbeſium* ſenem Noſter quoque inviſit, cujus fata breviter enarrat, ſimul obſervans, quod ob rixas Walliſio Oxonii motas in carcerem conjectus fuerit. *Cher-*
84. *burii* vitam Henrici VIII, ex Anglico a ſe Latine verſam, ait in
93. Bibliotheca Regia Berolinenſi aſſervari. Bibliothecarius Guelferbytanus Noſtro narravit, librum famoſum *de tribus Impoſto-*
129. *ribus* in Bibliotheca Guelferbytana exſtare. *Gramondum*, *Priolum* & *Labardæum*, hiſtoricos Gallicos, a civibus ſuis non magnopere æſtimari, obſervat, qui tamen ab exteris valde probentur. *Amelotus Houſſæus* omnem ſcientiam ſuam ex duobus libris, Panegyrico Plinii, & Tacito, hauſiſſe perhibetur. *Taver-*
nerii, quem Noſter in aula vidit, itinera non ab ipſo, ſed a merca-
173. tore quodam ſtilo tam nitido concepta creduntur. In Britannia minore alia prorſus lingua, quam Gallica communis, obtinet, quæ diverſa primitiva habet, a Latinis & Gallis aliis non agnita; particula vero affirmativa cum Germanica noſtra coincidit.

Gramon-

Gramondum hiſtoria ſua rerum Gallicarum multos ſibi inimicos peperiſſe, teſtatur, eamque cauſam putat, quod Toloſæ nullum ipſe editionis Toloſanæ exemplar nanciſci potuerit. Ejus vero *Hiſtoriam proſtratæ rebellionis* ibidem in forma quarta excuſam comparavit, quam tamen, tum quod ad ſtylum, tum res ipſas pertinet, ab hiſtoria illa multum differre, judicat. *Victor Sirus* vitæ periculum ſubiit, quod quibusdam ex aulæ Proceribus eorumque familiis non ſatis fuiſſet aſſentatus. *Ricaltum*, Smirna reducem, ubi nationis Anglicæ conſulem egerat, Noſter Taurini vidit, quem ſtatura parvum, & atheiſmo dediriſſimum fuiſſe, teſtatur. *Jamblichi Babylonica*, (non *Chronicon Babylonicum*, ut Noſter, ſed fictam hiſtoriam, qualis *Heliodori Æthiopica*) & *Philoſtorgii* Ariani *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* a Chriſtina Succiæ Regina pro centum & ſexaginta millibus thalerorum comparata eſſe, bis monet. Eadem Chriſtina in ea ſententia fuiſſe dicitur, quod Iſraelitæ non per medium mare rubrum tranſiverint, ſed quod Moſes eos, fluxu & refluxu ejus naturali probe obſervato, opportune traduxerit; quam Noſter paucis refutat. De *Empedocle* Philoſopho varia hic annotantur. Strabo Lib. VI obſervat, ipſum Ætnam montem calceis ferreis indutum aſcendiſſe: ſed Noſter ait, ferrum iſtud incaleſcens pedes longe magis læſurum fuiſſe. Et ſi his revera pedes muniri voluiſſet, certe non ideo, quod vulgo ferunt, aſcendiſſe montem videtur, ut ex eo ſe præcipitem daret in foveam ignivomam; & alio mortis genere periiſſe, inde concludit, quia alii narrant, ſepulcrum ipſius Megaræ oſtenſum fuiſſe. Sub montis Ætnæ radicibus ædicula vetuſta eſt, quam incolæ *la caſa d' Empedocle*, domum Empedoclis, vocant, & non procul inde turris, quem *la torre del Philoſopho* dicunt, quem obſervationibus inſtituendis illi inſerviiſſe, Noſter opinatur.

p. 196.

272.

357. 362.

362.

422.

Denique & res quasdam naturales, a Noſtro obſervatas, deguſtabimus. In montibus Sileſiæ Rhiphæis *Jolithos* aliquot Noſter collegit, qui odorem violarum fundunt, præcipue ſi in calido cubiculo recondantur. Londini uxorem mercatoris ſibi viſam obſervat, quæ, quum Indiam orientalem peteret, oculos

p. 3. 49.

59.

 probe

Digitized by Google

probe rotundos habens, poſt novem annorum in ea moram
p. 69. tranſverſim oblongos inde retulit. In Anglia genus eſt ceraſo-
rum, cito matureſcens, ſed ingentis pretii, adeo ut cum mulieres
gravidæ ea maxime appetant, nonnunquam maritis unum ce-
raſum XXV imperialibus redimendum ſit. Unde hæc inter
laudes viri non infima eſt, ſi Junonem ſuam caro hoc munere
155. donaverit. Prope Bruxellas currus minores vidit oleribus onu-
ſtos & a ſuibus in forum tractos. *Piſces foſſiles* Narbonæ dari,
231. Strabo annotavit; quos quum inquireret Noſter, piſces iſtos in
luto inter arundineta deliteſcere, accepit, & fere tantum plebejis
cibo cedere, ceteris, niſi probe condiantur, minime probari.

Multa alia ſubinde notabiliora occurrunt, quæ non
tangimus. Illud tamen monemus, Noſtrum non ita delitiis ex-
terarum regionum captum fuiſſe, ut iis Germaniam, & quæ in
ea illuſtria ſunt, poſtponenda putaverit, quod alias vitium eſt
280. genti noſtræ admodum ſolenne. Sic nundinas Lipſienſes Ve-
netis anteponit, & monumenta Regum Galliæ ita comparata
117. eſſe ait, ut in Germania vel mercatoribus multo pretioſiora
paſſim exſtruantur.

VOYAGE DE MADAGASCAR, CONNU AUSſi ſous le Nom de L'Isle de S. Laurent.

h. e.

ITER IN INSULAM MADAGASCAR SEU S. Laurentii, Autore de V. - - Commiſſario provinciali rei tormentariæ Galliæ.

Pariſiis, apud Jo. Lucam Nyon, 1722, 12 maj.

Plag. 13 fig. æn. 6 & mappa Geograph. 1.

CUm longi itineris ſedula deſcriptio ob inſignem, quem Geographiæ præſtat, uſum eruditorum votis maxime expetatur, non tamen omnes eruditis itineraria ſua ſcribunt. Certe hoc, quod præ manibus eſt, cave putes promovendis ſcien-

ſcientiis ſcriptum, cum nihil fere commemoret Autor præter fortunam, qua mare pererrans uſus eſt, modo fluctuum inſultus, qui interitum omnibus minabantur, expertus, modo reddita ſerena aeris temperie reſtitutus, quæ narratiunculis diſtinguit, quæ vel de odiis hominum nec imminente morte extinctis, vel de imprudentia eorum, quibus fidem Chriſtianam apud paganos propugnare mandatum eſt, vel de aliis rebus minoris momenti teſtantur. Sunt tamen quædam, quibus Lector inſtrui poſſit. Poſtquam enim, quanto peregrinandi ardore agitatus iter aggreſſus ſit, quæ vel in longinquo itinere vel in inſula ſibi acciderint, quibus incolarum fraudibus ac inſidiis fuerit expoſitus, quibus bellis adverſus ipſos interfuerit, narraſſet, ſubjicit denique, quæ de inſula, terræ frugibus, pecude, inhabitantium moribus, perfidia maxime & acerrima illorum vindictæ cupiditate, notatu digna viſa ſunt. Incolæ ejus ex duplici gente in unam olim coaluerunt. Priſcum enim inſulæ populum, qui Afrorum inſtar nigro erant colore, appellens colonia alborum hominum, ſuis regionibus pulſorum, novasque ſedes quærentium, perdomuit. Hi illis & multo fortiores & ſagaciores Hebraicam linguam & legere & ſcribere callent, ſatis tamen ſtupidi, ut perſuaderi ſibi ab advenis paterentur, gladios & haſtas ex concredito terræ acuum & fibularum ſemine progigni. Mares nudi incedunt, fœminæ ſtola ab humeris ad imos talos demiſſa velantur. Polygamia ipſis illicita non habetur, & cum pauci, præter proceres, plures una poſſint alere fœminas, divortiorum tamen ſumma licentia facit, ut fœdus illorum conjugale matrimonii nomen haud mereatur. Et quia nullos fere partus dolores fœminæ experiuntur, & exiguam infantum curam gerere conſuevere, mirum non eſt, quod fervidæ adeo in venerem ruant. Omnis populus Deum, quem *Oly* vocant, effuſa ſuperſtitione colit. Eſt vero Deus ille vaſculum ſqualidis multis atque obſcœnis laciniis deforme, quibus vel ſanguinem ſerpentum vel menſtruum mulierum, maxime amaſiarum,

præ-

Digitized by Google

præputia infantum, radices venerem excitantes, aut carnem occiſorum a ſe Francorum, involvunt, & ſuis quæque loculis in ciſta illa certo tempore vaniſſimo ritu condunt. Quam ridiculis quoque ceremoniis ipſi holocauſta offerant, ut victores in bello evadant, aut longa fruantur pace, prolixius Noſter exponit. Et hi quoque ritus, eos duplex colere principium, alterum bonum, alterum malum, luculenter commonſtrant, quandoquidem ſacerdos victimæ partem meliorem principio malo, quod *Diambi...hum*, alteram bono, quod *Zanbart* appellant, offert. Namque Deum per ſe bonum facile placabilem eſſe, iniquum vero adeo hominibus Diabolum largis donis demulcendum eſſe, contendunt. Neque auguriorum vanitate carent, quippe annulum circa lunam ex improviſo conſpicientes aſſerunt, procerum quendam arcta hoſtium ſuorum obſidione cingi, nec ſoſpitem inde evaſurum eſſe, niſi annulus iſte in foramen quoddam dehiſcat. Ejusmodi vero ominum fide bella capeſſunt, e quibus ſi inferiores diſceſſerint, crudeliter Deum ſuum *Oly* fuſtigant ac lacerant, donec mutata forte belli fortuna hoſtes ſuos vincant, quam victoriam ſevera illa Dei ſui punitione extorſiſſe ſe arbitrantur. Venerea lue tantum non omnes inquinantur, nec illius pudet; quam inter tot præclara ſua facinora, quoties illa laboraverint, jactant, & cum ipſis lethalis non ſit hic morbus, eum per talos expellunt. Finem operi Autor denique imponit recenſendo ceremonias, quibus mortuos efferunt atque cremant, quibus ea ſubjungit, quæ expertus eſt domum per mare repetens. Ceterum non ſine laude humanitatem Colberti dimittit, cui fata itineris percontanti prolixius diarium ſe obtuliſſe
p. 241. memorat, quod an idem ſit cum eo, cujus edendi ſpem alicubi facit, in quod luculentiorem naturæ regionis, incolarum, atque ſitus, narrationem ſe retuliſſe ait, ex verbis ipſius vix dijudicaveris.

✿) o (✿

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IIX Sect. IX.

FREDERICI RUYSCHII, ANATOMES ET Botanices Profeſſoris, Academiæ Cæſareæ Curioſorum Collegæ, nec non Regiæ Societatis Anglicanæ Membri, Adverſariorum Anatomico-Medico-Chirurgicorum Decas I, II, III.

Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1717, 1720, 1723, 4. Plag. 19 cum fig. æn. tab. 7.

ABſolutis Theſauris ſuis Anatomicis, numero X, opus quidem hoc ſolerter continuare primum ſecum conſtituerat Clariſſimus Ruyſchius, re vero penitius perpenſa mutavit ſententiam ſuam, magis ſe Lectoribus profuturum credens, ſi talia conſcribat, quæ a ſe inventa vel ab aliis tradita clarius ante oculos ponant. Imitatus igitur eſt Johannem Baptiſtam Morgagni, qui, quæ indefeſſo ſtudio repererat, aut ab interitu olim jam cognita vindicaverat, ſub titulo Adverſariorum Anatomicorum divulgavit. Hoc enim ſcribendi modo non opus ſibi eſſe putat, de concinnando rerum ordine multum eſſe ſollicitum, quin parcat tempori, rerum obſervata augeat, ac repetitionem nauſeoſam effugiat.

In *Decadis* I igitur *Adverſario 1* duobus exemplis fœminarum, mox poſt coitum interfectarum, probat, in coitu ipſam craſſam ſeminis ſubſtantiam ad interiora uteri & tubas Fallopianas penetrare, & non ſolum id, quod ſpirituum exhalan-

 tium

tium ſpecie illuc pervadere credidit Harvejus. In 2 reſpondetur ad Michaelis Erneſti Ettmulleri noſtri Epiſtolam Problematicam ad Ruyſchium datam, & hujus Decadis calci annexam, de Ovario fœminarum novo, idque male hoc nomine inſigniri, dicitur, pro hydatidibus potius habendum. In 3 glandularum ſubcutanearum exiſtentia deſtruitur, aſſeritur potius, ultimas arteriolarum extremitates, quæ tomentoſæ goſſypii tenuitatem multum ſuperant, eſſe illos canales, quibus ſudoris, non minus ac humiditatis, cerebri ventriculos, pleuræ ambitum interiorem, pericardium, peritonæi cavitatem, ac tunicam teſtium vaginalem irrigantis, transmittitur materies, ut in 4 probatur. Quemadmodum & in 5 corpuſcula illa, quæ in averſa parte coronæ glandis penis virilis ſita ſunt, non pro glandulis, ſed pro papillis nerveis venditantur, quarum pariter diverſitas in aliis corporis partibus inſinuatur. In 6 monetur, cor in corpore humano diaphragmati ita incumbere, ut, qua parte id contingit, compreſſum ſit, ſecus ac in brutis obſervatur, ubi apex ejus diaphragma ſpectat; & venam ipſius coronariam per aliquot ſurculos ſanguinem non in venam cavam, ſed in ventriculum dextrum infundere. In 7 de diverſiſſimæ figuræ & naturæ vermibus ex corpore humano excretis diſſeritur, atque ſtatuitur, ovula eorum una cum reliquis corporis partibus in nobis generari. In 8 varia commemorantur monſtra, vel ἁμαρτήματα ſeu luſus naturæ. In 9 duo recenſentur exempla, dolore lumbari cum mictu cruento laborantium, quorum ſectio poſt fata ſuperficiem renum inæqualem & ex multis quaſi particulis durioribus conflatam patefecit. In 10 anguſtatio œſophagi circa quintam aut ſextam vertebram colli a glandulis ejus viciniſque tumefactis orta per ſalivationem mercurialem ſublata refertur.

In *Decadis II Adverſario* 1 membrana in acetabulo coxæ vaſis ſanguineis innumeris ſcatens ſiſtitur; in 2 vaſa ſanguifera per patellam ipſam diſtributa delineantur; in 3 lubricam materiam, quæ in articulo genu pone patellam reperitur, non a glandulis, ſed arteriolarum extremitatibus effundi demonſtratur. In 4 circa meſenterium annotatur, plurimos ſubtiles nervos per illud diſtribui, & vaſorum ſanguineorum extremitates aliter

aliter terminari, ac hactenus creditum fuit; vaſa lactea primi generis ſe unire cum vaſis lacteis ſecundi generis, ſiquidem flatus per illa adactus ad hæc, imo & ad ductum thoracicum tranſit; per attractionis modum chylum ex inteſtinis ad vaſa lactea rapi; pinguedinem ſubtiliſſimis turgere vaſculis ſanguineis; meſenterium humanum apoſtemate purulento computruiſſe, indeque ipſa quoque inteſtina, a vinculis ſuis meſaraicis ſoluta, libera & confuſa in abdomine fluctuaſſe, conſpectum fuiſſe; ſuſpicionem quoque eſſe, ne præter hactenus cognita adhuc alia in meſenterio lateant abſcondita vaſa, ſiquidem ex uretere, pure diſtento, canales quidam exiles, eadem materia referti, ad alteram abdominis partem decurriſſe fuerint viſi. In *5* ſalivæ ſumma ad nutritionem utilitas ex eo probatur, quod ægri, ob nimium ptyaliſmum emaciati, ſaliva deglutita, obeſi facti fuerint. In *6* in valgorum tibia cavum interius ſummitatis longe depreſſius fuiſſe, quam externum, obſervatum legitur. In *7* glandulam thymi peculiarem elaborare & per venas ad cor ablegare humorem, evincitur. In *8* ſub ſterno inter ſeparatas mediaſtini membranas cavitatem aliquam naturaliter dari, negatur. In *9* varices vaſorum ſpermaticorum male cirſocelen appellari, obſervatum quoque fuiſſe, lienem, veſicam urinariam, & uterum cum ipſo fœtu per dilatatum proceſſum peritonæi dilapſa eſſe; ſcroti hydropem ſæpe non a vaſorum lymphaticorum, ſed venarum vitio oriri, aſſeritur, & tunicam villo-papilloſam veſicæ urinariæ poſſe ex parte per vias urinarias excerni abſque vitæ diſcrimine, exemplo probatur. In *10* incertum perhibetur judicium eſſe de embryonis tempore in utero mortui, pro certo vero adſtruitur, embryones mox poſt mortem excluſos, albo colore donatos, toroſos ac teretes, per moram vero aliquam ibidem detentos, cinereo colore tinctos & collapſos eſſe; ſi placenta fœtu in lucem edito utero nimis arcte affixa retineatur, quod ſit, quando funiculus umbilicalis centro placentæ infigitur, potius eam ibi relinquendam, quam matri vim inferendam eſſe, conſulitur; ſiquidem obſervatum fuit, eam vel a natura poſt duas treſve ſeptimanas ſponte ejici, vel ſub iterato partu cum ſano fœtu & ſecundinis una excludi, in hydatidum

congeriem mutatam; multi pariter errores, qui circa parturientium & recens natorum infantum curam committi ſolent, deteguntur, caſtigantur, & emendantur, ac quantum Medicinæ adferat utilitatis ſectio cadaverum & Anatomia comparata, fuſius explicatur.

In *Decadis III Adverſario 1* in atheromate ventriculi inventa fuiſſe, manipulum pilorum, inſtar capillorum hominis, fruſtum informe oſſis, nucem juglandem æquans, quatuor dentes molares & crus anterius cervuli exigui Africani, ſcribitur. In *2* Anatome mali perſici, pyri, & foliorum exhibetur. In *3* ſanguinis coccinei profluvium per cutim capitis in muliere commemoratur. In *4* veſtigium in ovario poſt impraegnationem ab excuſſo inde ovo relictum deſcribitur. In *5* inteſtini ſuſceptio in infante quatuor dierum annotatur, in hac pariter ac in adulta ætate per purgantia fortiora tollenda. In *6* exuviæ chryſalidum ſeu nympharum in oſſium cavitatibus repertæ dicuntur. In 7 glandulas meſenterii in ſubjectis annoſis paucas, copioſiſſimas in junioribus inveniri, & chylum ad has glandulas accedentem lac ratione coloris & conſiſtentiæ æmulari, ab iis vero redeuntem dilutiorem, ſubtiliorem, & pellucidiorem eſſe perhibetur. In *8* de epidermide ſermo dum inſtituitur, eam a cute ſeparandi modus, & vaſorum ſanguineorum in ea defectus inſinuatur. In *9* de oſſibus diſſeritur, quorum corpori ſe applicantes epiphyſes, tam ſuperiores quam inferiores, in infantibus maximum & firmiſſimum ſuum nexum a perioſteo imprimis nanciſci; oſtegeniæ modus, differentia inter oſſa brutorum & hominum, ac vaſculorum ſanguineorum præſentia in cartilaginibus adſtruitur. In *ultima* ſuperficiem interiorem ventriculi & inteſtini jejuni tunica quadam papilloſa veſtitam eſſe, docetur.

ANIMADVERSIONES IN VIRI CELEB. J. HERMANNI ſolutionem propriam duorum problematum Geometricorum ab Ipſo propoſitorum, editam in Actis Erud. 1723 menſ. April. Et communicatio Methodi

thodi Curvas inveniendi Algebraicas indefinite non quadrabiles, habentes tamen datum numerum ſpatiorum abſolute quadrabilium; Per NICOLAUM BERNOULLI, *Joh. Fil. J.V.L. & Prof.*

§. 1.

NOn mediocrem percepi voluptatem ex lectione ſchediasmatis Hermanniani Actis Erud. inſerti menſ. April. 1723. Ubi celeberrimus Autor erudite differit de duobus problematibus, jam ante complures annos a ſe propoſitis; ſuas inſimul ſolutiones eorum communicat: quæ, fateor, Solutoris ſagacita- & i ngenium abunde teſtantur.

§. 2 Vellem nunc otium mihi ſuppeteret, quo in hanc utriusque problematis materiam de novo accuratius inſpicere, atque doctiſſimas celeb. Hermanni meditationes, propterea, quod ad me ſpeciatim ſpectant, pro dignitate expendere & hinc aliquid in ſcientiæ incrementum producere poſſem. Sed poſtquam in Illuſtri Bernenſium Lycæo Jura publice docendi provinciam nactus, potiſſimam & temporis & ſtudii mei partem eo dirigere debeo, ut ſpartam illam pro viribus exornem; vix mihi supereſt aliquid, quod ad excolenda Mathemata, quantumcunque ea in deliciis habeam, impendere liceat. Quare mihi condonatum iri, confido, ſi rudi, quod ajunt, Minerva exponam, quæ in elegantiſſima Cl. Hermanni diſſertatione, fugitivo licet oculo, annotavi, amicæ reſponſioni tum & neceſſariæ inſtructioni inſervientia.

§. 3 Anno 1719 propoſuit Vir celeb. duo problemata, primo privatim, dein etiam publice in Actis Lipſ. ejusdem anni M. Auguſt. p. 361. In priori horum binorum problematum petebatur Curva, cujus area ſeu $\int y\,dx$ ſit $= axy + bx^c y^e$, ubi a & b ſupponuntur numeri & quantitates conſtantes, ut c & e exponentes conſtantes qualescunque, ſumptis interim x & y pro coordinatis curvæ quæſitæ. Hujus problematis ſolutiones varias, easque perfectiſſimas exhibui in Actis anni ſequentis 1720 M. Junio; in quibus Cl. Proponens nihil, quod ad ulteriorem perfectionem deſideraret, invenit; quamvis ad quædam reſpondeat,

quæ in modo proponendi non recte quadrare monuimus; de his autem deinceps agemus.

§. 4 Alterum problema Hermannianum prout extat in Actis 1719 p. 361; exigebat duntaxat, *curvas algebraicas indefinite non rectificabiles, quæ tamen unum, duos, vel quot libuerit, arcus habeant abſolute rectificabiles*, omiſſa nimirum illa altera conditione, qua paulo ante petierat in privatis ad Monmortium literis, ut curvæ quæſitæ rectificatio indefinita dependeret a quadratura cujuscunque alterius curvæ datæ; ex conditionis hujus omiſſione, item ex characterum diverſitate, quibus ambo hæc problemata expreſſa ſiſtuntur. Præſertim etiam ex eo, quod in propoſitione primi problematis aperte indicat, ſe ejus ſolutionem habere, de altero vero nihil prorſus inſinuat ſe ſolutionis compotem eſſe; ex his, inquam, conjectandum erat, Cel. problematum Autorem hoc poſterius tum temporis, cum proponeret, nondum a ſe ſolutum habuiſſe, quæ conjectura poſtmodum in rem certam abiit, cum ante ſesquiannum circiter epiſtolas ad Patrem meum ſcriptas perluſtrando inciderem in aliquam ab acutiſſimo Hermanno exaratam eodem anno, quo Problemata ſua privatim & publice proponebat. In illa enim epiſtola inveni verba ſequentia; *Curioſum eſſet Problema, ſi quis inveniret Curvas indefinite non rectificabiles, quæ tamen, quot libuerit, arcus habeant abſolute rectificabiles; imo hoc problema curioſum magis evaderet, ſi curvæ algebraicæ hac indole præditæ inveſtigarentur, nec difficultate carere videtur, etſi fortaſſe ſolutu non eſt prorſus impoſſibile.*

§. 5 Meminerit igitur Vir Cl. cum diſtingueret duo illa problemata typorum varietate, id ſe non ideo feciſſe, quod putaret, poſterius priori multo eſſe difficilius, ſicuti innuit pag. 172, ſed potiſſimum, quod ſolutionem poſterioris ipſe nondum habuerit. Hoc non moneo, ut exprobrem infirmitatem, ſed ut meam excuſem, quam iteratis vicibus mihi objectat, identidem inculcans, me falſum eſſe, quod ejus ſolutio mihi non fuerit in poteſtate, ſumpto ſcilicet problemate in eo ſenſu, quo in literis ad Monmortium concipiebatur. Quid enim mirum, me in ſubliminori Geometria, tum temporis præſertim, novitium non ſolviſſe

viſſe aliquod problema, quod mihi non fidens, ne tentaveram quidem, cum ipſe ejus Autor Geometra certe veteranus, cujus intererat, ſuo problemati acriter inſudare, rem tamen infectam reliquerit, remota licet difficiliori problematis conditione, quam exigebat in præfatis literis ad Monmortium.

§. 6 Quæ cum ita ſint, non puto me aliquid ſcripſiſſe, quod non quadret, quando dixi, neminem mortalium ſolviſſe illud problema, imo ne quidem faciliorem ejus partem; nam tum revera nemo ſolverat. Addidi, fateor, mihi perſuaſum eſſe, a nemine unquam ſolutum iri, in eo nempe ſenſu, quo poſtulabatur, ut curva quæſita dependeret a quadratura cujuscunque alterius curvæ datæ. Gauderem profecto ſi me in opinione mea omnino deceptum viderem, per illa, quæ Cel. Hermannus, poſt aliquot annorum decurſum, hac ſuper re tandem invenit & communicavit; nam nihil gratius mihi contingere poteſt, quam ſi a Viris ingenioſis aliquid præſtatur, quod ſpem atque opinionem meam ſuperat: præſtitit ſane multum Vir laudatus, reducendo quadraturam transcendentem primi gradus quamlibet ad extenſionem curvæ alicujus algebraicæ, quo nomine non exiguum laudis augmentum meruit. Permittat autem, ut dicam, mirum quantum adhuc abeſſe, quo minus dederit ſolutionem, quam *a nemine mortalium* expectari poſſe intelligebam. Obſervo namque, methodum ejus extendi tantum ad quadraturas transcendentes primi gradus, nullius omnino utilitatis pro transcendentibus ulteriorum graduum; deinde hoc quoque animadverto, quod inter curvam algebraicam, quam ſua methodo invenit, & quadraturam propoſitam tranſcendentem primi gradus, non adſit perfectiſſima, quam ſubintelligebam, dependentia vel connexio, in eo conſiſtens, ut Curvæ quæſitæ arcus ſine admixtione linearum rectarum ſint proportionales partibus areæ propoſitæ. Si Vir Cl. methodum ſuam ad hunc perfectionis gradum perducturus eſt, tum ſane ingenue profitebor, ab eo præſtitum fore, quod nemini mortalium poſſibile cenſebam & etiamnum cenſeo. Peto ex. gr. curvas algebraicas A, B, C, &c. ita ut arcus primæ A, ſint proportionales logarithmis abſciſſarum ipſis arcubus reſpondentium; arcus ſecundæ B, proportionales

nales logarithmis - logarithmorum; arcus tertiæ C proportionales, logarithmis – logarith – logarithmorum & ita porro.

§. 7 Hoc interim monitum volo; quando dixi, ſolutionem hujus problematis, in præmemorato ſenſu ſumpti, *non eſſe in noſtra poteſtate*, patet utique, ſi conferatur cum præcedentibus & conſequentibus, me hic loquutum fuiſſe de me ſolo, etſi in numero plurali, quod præſertim linguæ Latinæ genius facile permittit, & qua licentia ipſe Cel. Hermannus in ſuo Schediaſmate & alibi ſæpiſſime utitur. Neſcio itaque, cur Vir Cl. quod de me tantum intelligebam, nullius præterea mentione facta, id de pluribus Bernoulliis dictum eſſe interpretetur, atque omni cura id agat, ut Lectori perſuadeat, de pluribus intelligendum eſſe, quod non niſi ad me referebam. Etenim in eadem pagina 173 bis idem ſollicite injungit; ſub initium paginæ *Ab illo multum*, inquit, *præſtari judicant Cel. Bernoullii, qui vel partem tantum ſolveret problematis*. Deinde ſub finem ejuſdem hæc habet: *Quid dicent aut ſentient Sagaciſſimi Viri, ſi ſolutionem mei ſecundi problematis eo ſtrictiſſime ſenſu ſumti, quo non modo ſibi ſed reliquis mortalibus omnibus inſolubile & impervium crediderunt, exhibuero?* Pag. 179 finem verſus, *Atque hoc ipſum eſt*, ingeminat, *quo Cl. Bernoullii multum præſtitum iri judicant*. Sed non addit rationem, cur plures complicet Bernoullios, nec exprimit, quinam illi ſint. An aliquid ſiniſtri lateat ſub affectata hac repetitione, quod nimirum majus pretium mercibus ſuis conciliari crederet, ſi ſollicite moneat, eas in plurium aliorum officinis non reperiri, de eo judicent alii. Ego quidem ſancte affirmo, me nullum alium noviſſe Bernoullium, qui huic problemati tum temporis multum incubuerit, nedum qui dixerit, id ſibi inſolubile & impervium fuiſſe. Quo autem ſenſu illud nemini poſſibile pronunciaverim, jam expoſui in §. præced. Unde quamdiu illud in eo ſenſu non eſt ſoluturus Cl. Problematis Autor, contendere non poteſt, ſe aliquid præſtitiſſe, quod tanquam impoſſibile conſiderabam, etiamſi ceterum ſint pulchra, quæ elapſis quatuor annis poſt problematis ſui promulgationem demum exhibuit; quibus utique docuit, quomodo determinanda ſit curva algebraica, cujus indefinita rectificatio

Digitized by Google

ctificatio utcunque dependeat a Curvæ datæ algebraicæ quadratura.

§. 8. Si verum eſt, quod dicit Vir Cl. circa medium Paginæ 172, ſe jam *pluries* problemata a Geometris in publicum miſſa ſoluta dediſſe; ex adverſo fatebitur, opinor, ſe plura quoque eorum intacta & inſoluta reliquiſſe. Exemplum unum alterumve tantum ut referam, expectamus ab eo hodienum ſolutionem Problematis Riccatiani de Separatione Indeterminatarum propoſiti in Actor. Suppl. T. VIII Sect. II p. 73, quod a Bernoulliis ſolutum eſſe cognoſcere poteſt ex ſubnexo fratris mei Schediasmate pag. 74. Problema egregium ab Anglo quodam Anonymo propoſitum de invenienda curva algebraica omnium poſſibilium ſimpliciſſima, quæ ſe ipſam in ſitu inverſo poſitam & hinc inde motu parallelo delatam in angulo dato conſtanter ſecat, ſolutum quidem a Patre meo extat, ſub anagrammate latens, vid. Act. 1723 M. Febr. p. 78. Sed nullam ejus ſolutionem Hermannianam videre hactenus licuit, quamvis alias in hanc materiam de Trajectoriis reciprocis, ſe etiam miſcuerit. Quod vero attinet ad Problema propoſitum in Actis 1720 p. 278, ubi petuntur *innumerabiles curvæ algebraicæ, quarum ſingularum rectificatio indefinita dependeat a rectificatione cujuscunque curvæ datæ algebraicæ, licet algebraice non rectificabilis, quæ ſingulæ nihilominus habeant arcus innumeros algebraice rectificabiles*. Miror Cel. Hermannum de hoc problemate ita loquentem p. 180 §. XI, quaſi ejus ſolutio contineretur in eo, quod dedit §. VIII, cum tamen, quod hic dedit, toto cœlo differat ab eo, quod dare debuiſſet. Nam problema noſtrum poſcit Curvam algebraicam indefinite non rectificabilem, habentem tamen arcus algebraice rectificabiles numero (NB) infinitos: verum curva, quam invenit Vir ſagaciſſ. per ſuum §. VIII, non habet infinitos arcus rectificabiles, ſed tot tantum, quot ſunt radices reales in æquatione, quam profert pag. 179, $1 + a - bx + cxx - ex^3 + \&c. = 0$. Quarum utique radicum numerus non poteſt eſſe infinitus, ſecus enim æquatio non foret algebraica. Donec igitur aliam dederit ſolutionem, quæ conditioni primariæ arcuum numero infinitorum ſatisfaciat, ægre ferre non poteſt,

 ſi di-

ſi d cimus, propoſitum problema ab eo nequaquam eſſe enodatum.

§. 9. Redeo ad partem eam ſecundi problematis Hermanniani qua quæritur curva, connexionem habens cum quadratura curvæ alicujus propoſitæ; vidimus Virum Cl. *Nondum dediſſe ſolutionem problematis eo ſtrictiſſime ſenſu ſumti, quo non modo mihi ſed reliquis mortalibus omnibus inſolubile & impervium credidi*, & adhuc dum credo; quod reſponſi loco dare volui ad interrogationem, quam non ſine aliqua inſultatione dirigit ad *Viros*, quos vocat *Sagaciſſimos* pag. 173 in fine; *quid dicent*, inquit, *aut ſentient Sagaciſſimi Viri - - - an non aliquid ſi non multum præſtitero?* Pag. ſeq. 174 reperit problema, *ad cujus ſolutionem* aſſerit, *unicam patere viam, extra quam fruſtraneus ceſſurus ſit omnis conatus;* hæc via conſiſtit in Theoria inclinationis rectarum ad lineas curvas & in natura evolutionis curvarum; huncque modum utut alienum & peregrinum vocat *facilem, planum & evidentem.* Sed liceat nunc mihi viciſſim interrogare; quid dicet *Vir Sagaciſſimus*, ſi quod audio, Parens meus aliam tradiderit viam directam & genuinam, nulla inclinatione rectarum, nulla evolutione curvarum nixam, quæ ad quadraturas transcendentes non primi tantum gradus ſed ad alias cujuscunque gradus transcendentes applicabilis eſt, ad cujus inventionem non quadriennio opus habuit? Statim quippe ut vidit, quo ſenſu ſumpſerit Vir Cl. dependentiam rectificationis quæſitæ a quadratura curvæ propoſitæ, id ſibi negotii dedit, ut aliam & naturalem indagaret methodum, quam etiam ſine diuturno labore invenit, licet eam citra hanc occaſionem fortaſſis nunquam quæſiviſſet, quod moneo, ut æquius judicare diſcamus, de illo, qui aliquid non invenit, ideo tantum, quia nunquam quæſivit; aliud quippe eſt *non inveniſſe*, aliud *invenire non potuiſſe.*

§. 10. Solent nonnulli, ut inventis ſuis majorem ſplendorem concilient, operoſas demonſtrationes nectere, rerum, quæ ſunt vel levioris momenti vel jam alibi demonſtratæ. Exempla aliquot habemus in hoc ipſo, quod diſſerendi materiam nobis præbet, ſchediaſmate; ecce ea pag. 174. Lemma primum, quod

quod pompoſe ſolvitur, potuiſſet ſimpliciter ſupponi, tanquam res dudum cognita & tritiſſima: nihil enim eſt aliud, quam propoſitio converſa ejus quæ habetur in *Analyſi infinite parvorum p. 78.* Ita pariter veritas Lemmatis ſecundi pag. 177 nulla demonſtratione opus habet, patet enim ex ipſa figuræ inſpectione; eoque magis, quod id ipſum jam extat in *Analyſ. Inf. parv. pag. 92* applicatum ad corollarium 1 p. 104. Quod deinde peracta demonſtratione monet Cl. Schediaſmatis Autor, *potuiſſe ſcilicet hoc idem ex natura evolutionis curvæ propoſitæ deduci, ſed ſe maluiſſe demonſtrationem ex Geometria elementari petere, quam longius conquiſita principia accerſere;* non videtur attendere, niſi forſan diſſimulet ipſam quam facit demonſtrationem ſupponere tacite evolutionis naturam; utpote qua leviter conſiderata res ipſa, ut dixi, ſponte in oculos incurrit; & ſane quævis alia demonſtratio potius dicenda eſſet longius conquiſita. Interim Virum Cel. alienum puto ab illorum more, qui in quibuslibet minutiis myſteria quærunt, admirationem & auram popularem captantes.

§. 11. Unum tamen eſt quod præterire non poſſum, quin Virum Cel. qui feliciſſima alioquin pollet memoria, meminiſſe faciam inventi alicujus jamdudum alibi extantis, quod nunc ex oblivione, ut credo, veluti rem oppido novam ſibi vindicat; id monitum volo, ne malevoli anſam captent, pro plagio interpretandi, quod nullo ſtudio factum eſſe reor. Loquor de formula illa $r = xdx : mdx + xdm$, quam pag. 175 l. pen. dicit *ſuggerere canonem plane novum* pro radio evolutæ inveniendo in Curvis, quarum applicatæ in polum convergunt, quem canonem poſtea immediate, ut memorabile quid, verbis diſtinctis exprimit. Eum autem plane nihil novi eſſe, intelliget, ſi in mentem ſibi revocare dignabitur, quod reperire eſt in *Analyſ. Infin. parv. pag. 79 l. 2*, ubi eadem omnino formula, ſub aliis tantum literis, traditur; nempe hæc (poſito conſtanti Elemento curvæ) $MC = ydydu : dxdy + yddx$; in qua lineæ & literæ MC, y, dy, du, dx, ddx, idem prorſus ſignificant, quod Cl. Hermanno ſuæ, $r, x, dx, ds, mds, dmds$, ita ut his ſcriptis pro illis in formula ex *Analyſ. Inf. parv.* deſumta hæc ipſa, $MC = ydydu : dxdy$

 $+ yddx$,

$+ yddx$, ſine ulla alia operatione migret ſponte in formulam Hermannianam $r = xdxds : mdsdx + xdmds = xdx : mdx + xdm$.

§. 12. Neſcio an fortaſſis aliquam novitatis gratiam in eo conſiſtere velit, quod ad vitandum differentio-differentiale ddx poſuerit mds pro dx ſeu BD; ſed neque hoc inuſitati quid eſt, idem cum & a Patre meo jam olim adhibitum fuerit, vid. Act. Lipſ. 1701 p. 137, ubi ſine longo verborum circuitu tanquam rem levem atque vix animadverſione dignam exponit, demonſtrans radium oſculi in curvis ubi applicatæ ſunt parallelæ, exprimi per differentiales primas nempe $r = dt^3 : dy^2du$, poſito curvæ elemento $= dt$, & curvæ æquatione $dx = udy$. Verum ex ſola literarum ſignificatione percipitur iſtud $dt^3 : dy^2du$, idem eſſe cum Hermanniano $dx : dm$, neque hoc ſimplicius cenſendum, quia ſimplicibus literis exprimitur: unica enim litera m, quæ denotat rationem inter BD & Bb, reapſe duos complectitur terminos, qui a Parente meo ſejunctim ſunt denominati. Unde in praxi inveniendorum radiorum evolutæ pro omnis generis Curvis ambæ formulæ eadem operatione opus habent, neque adeo majori labori parcitur per unam, quam per alteram. Sed piget diutius immorari hiſce trivialibus; ſunt enim trivialia, quæ a longo jam tempore ſunt pervagatiſſima.

§. 13. Ordo nunc poſtulat, ut aliquid dicam de modo conſtruendi curvas algebraicas indefinite irrectificabiles, quæ tamen habeant tot, quot libuerit, arcus algebraice rectificabiles. Patet utique ſuppoſita reductione quadraturæ cujuscunque propoſitæ ad rectificationem curvæ algebraicæ, problema ſecundum Hermannianum, ſicuti in Actis 1719 p. 361 extat, ex hoc altero pendere problemate, jam olim Patrem inter aliosque agitato, *Invenire curvam algebraicam indefinite inquadrabilem, quæ tamen ſpatia habeat, quot libuerit, quadrabilia.* Hujus quæſtionis ſolutionem aliquam, datam a Cl. Hermanno in literis ad Patrem meum ſcriptis 4 Sept. 1716, huc refero, quæ ita ſonat: *Poſita abſciſſa x, ordinata y, erit æquatio generalis curvæ quæſitæ $y = z + \theta u$, ubi z eſt quantitas data per x & conſtantes & , t, ſimilis quantitas, ſed data per u & eaſdem conſtan-*

Digitized by Google




Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.



Fig. 4.

conſtantes ac denique $\theta = dt : dx$ *& poſita, ut libet,* x^{m+1} $+ ax^m + bx^{m-1} + cx^{m-2} + \&c. . - u = o$, *Curva iſta tot ſpatia quadrabilia habebit, quot ſunt radices reales & veræ hujus æquationis* $x^m + ax^{m-1} + bx^{m-2} + \&c. - 1 = o$.

§. 14. Hæc vero ſolutio cum non ſatis naturalis Parenti viſa eſſet, utpote differentialibus præter neceſſitatem innixa, communicavit aliam concinniorem in reſponſione ad Cl. Hermannum d. 12 Dec. 1716, his verbis: *Ecce hujus problematis ſolutionem meam generalem & facilem ex pluribus unam nullis differentialibus expreſſam: ſit abſciſſa x, ordinata y erit æquatio generalis curvæ quæſitæ* $y = z + \sqrt[p]{} \, (ax^m + bx^{m-1} + cx^{m-2} + \&c. \ldots + b)$, *ubi z eſt quantitas data per x & conſtantes ope hujus æquationis* $x^p - az^m - bz^{m-1} - cz^{m-2} \ldots - b = o$. *Curva iſta tot gaudet ſpatiis quadrabilibus, quot ſunt radices reales & veræ in hac æquatione* $x^p - az^m - bz^{m-1} - cz^{m-2} \cdots - b = o$. *Demonſtrationem ejus facile ipſe erues, ſi quid attentionis adhibere libuerit.*

§. 15. Ex ſubſequentibus interim literis Cl. Hermanni intelligens Pater, mentem ſuam ab ipſo non recte eſſe perceptam, conſtituit pro ea qua eſt facilitate in communicandis inventis ſuis Viro Clar. aperire methodi ſuæ fontem, ipſamque adeo analyſin; id quod præſtitit in literis ad Cel. Hermannum exaratis medio anni 1718 ex quibus, quæ huc ſpectant, tranſcribo:

Joh. Bernoulli Methodus inveniendi curvas algebraicas indefinite non quadrabiles, quæ tamen admittant ſpatia abſolute quadrabilia quotquot libuerit.

„Sint duæ rectæ ſibi invicem normales *AK*, *AG*; & ſuper„ *AK* tanquam axe deſcripta ſit curva algebraica *AFBCD*,„ ejus naturæ ut abſciſſa *AH* exiſtente *x* applicata *HB*, ſit $= \sqrt[p]{}$„ $(ax^m + bx^{m-1} + \cdots + b)$, occurret hæc curva, ut liquet, rectæ„ *AD* angulum *GAK* biſecanti in tot punctis *C*, *D*, &c. quot„ ſunt radices poſſibiles in hac æquatione $x^p - ax^m - bx^{m-1} -$„ $cx^{m-2} \cdots - b = o$ (intelligo per *m* & *p*, numeros ad lubitum„ aſſumptos.) Jam in recta *AG* ſumantur partes *AE* ipſis *AH*,„ æquales & ad ſingulas applicentur *EF* ipſi *AK* parallelæ, quæ„ vocentur *z*. Quo peracto fiat ſuper axe *AK* nova curva alge-„ braica„

TAB. II. Fig. 1.

„braica *ALMN*, cujus applicatæ *HL*, quæ dicantur *y*, ſint æqua-
„les aggregato ex *BH* & *EF* ſimul; unde per ejus naturam hæc
„emerget æquatio $y = z + \sqrt[p]{(ax^m + bx^{m-1} + cx^{m-2} \cdots + b)}$;
„dico hanc curvam ſatisfacere quæſito. Nam ex ejus conſtru-
„ctione ſequitur ſpatium *AHL* æquari aggregato *AHB* &
„*AEF*, hoc eſt mixtilineo *AEFBH*; hoc vero mixtilineum,
„abeunte puncto *H* in punctum *I* vel *K* vel &c. patet degenerare
„in quadratum rectæ *AI* vel in quadratum rectæ *AK* vel &c.
„Ergo Curva algebraica *ALMN* talis eſt, ut ejus area indefini-
„ta *ALH* ſit inquadrabilis (ſuppono enim numeros *p* & *m*,
„quamvis integros & affirmativos, facere tamen, ut quantitas
„$dx\sqrt[p]{[ax^m + bx^{m-1} + cx^{m-2} \cdots + b]}$ non ſit integrabilis) ſed
„quæ interim tot habeat areas quadrabiles *AIM*, *AKN*, &c.
„quot libuerit, ex quot nempe radicibus poſſibilibus componere
„placuerit æquationem $x^p - ax^m - bx^{m-1} - cx^{m-2} \cdots - b = o$.
„Quod autem tandem z detur in *x* per hanc æquationem $x^p - az^m$
„$- bz^{m-1} - cz^{m-2} \cdots - b = o$, liquet ex eo, quod per naturam cur-
„væ *ABCD* abſciſſa *z* exiſtente $= EF$, applicata ſit $= \sqrt[p]{(az^m}$
„$\overline{+ bz^{m-1} + cz^{m-2} \cdots + b)} = AE =$ (per conſtr.) $= x$. Elevan-
„do utrumque membrum ad potentiam *p*, & reducendo omnia
„ad unam partem provenit dicta æquatio $x^p - az^m - bz^{m-1}$
„$- cz^{m-2} \cdots - b = o$. pro determinatione valoris ipſius *z* in *x*.
„Quæ omnia erant facienda & demonſtranda.

„*Schol. 1.* Si *AE* accipiatur æqualis multiplo ſubmultiplove
„cuilibet ipſius *AH*, ita ſcil. ut *AE* ſit $= nx$: & deinde recta *AD*
„ſecet angulum *GAK* ut tangens anguli *DAK* ſit ad ſinum to-
„tum ut *n* ad 1; ceteraque conſtruantur ut ante, orietur alia
„curva *ALMN*, quæ pro diverſitate numeri *n* infinitis modis va-
„riatur, ſemper tamen gaudens ſpatiis quadrabilibus *AIM*, *AKN*
„&c. quorum tot erunt, quot ſunt radices poſſibiles in hac æqua-
„tione $n^p x^p = ax^m + bx^{m-1} + cx^{m-2} \cdots + b$. Notetur autem,
„faciendam jam eſſe $HL = BH + nFE$; unde æquatio naturam
„curvæ *ALMN* exprimens erit hæc $y = nz + \sqrt[p]{(ax^m + bx^{m-1}}$
$+ cx^{m-2}$

$+ cx^{m-2} \cdots - x b$) ubi z datur in x per hanc alteram $n^p x^p - az^m$,,
$- bz^{m-1} - cz^{m-2} \cdots - b = o$.,,

Schol. 2 Poſſunt hæ ſolutiones infinities generaliores red-,, di, ſi nempe pro *AF* ſumatur functio quælibet ipſius *AH*, & lo-,, co rectæ *ACD* adhibeatur Curva, cujus applicatæ exprimant ſi-,, miles functiones ſuarum reſpective abſciſſarum. Fiat e. gr.,,

$AE = \sqrt{\alpha \times AH}$ ſumaturque $HL = BH + \frac{\alpha}{2AE} \times EF$; Pro re-,,

cta *ACD* ſubſtituatur parabola ſuper axe *AK*, cujus parameter,, $= \alpha$. Secabit hæc parabola curvam *AFBCD* in tot punctis C, D,,, &c. quot ſunt radices poſſibiles in hac æquatione $\alpha^p x^p = (ax^m$,, $+ bx^{m-1} + cx^{m-2} \cdots + b)^2$; Curva proin *ALMN* totidem ha-,, bebit arcus quadrabiles *AIM*, *AKN* &c. Datur vero *EF* ſeu z in,, x per hanc æquationem $\alpha^p x^p = (az^m + bz^{m-1} + cz^{m-2} \cdots + b)^2$.,, Suppetunt alii adhuc ſolvendi modi, ſed de his ſatis.,,

§. 16. Quandoquidem pro recta *ACD* aſſumere licet curvam quamlibet: poſſumus viciſſim curvam *ABCSDT* ſupponere tanquam datam & quærere priorem, ita ut conſtruendo *ALMN* non tantum indefinite ſit inquadrabilis & habeat partes quadrabiles numero datas, ſed cujus inſuper indefinita quadratura dependeat a quadratura curvæ propoſitæ, quod ſic demonſtratur. Sit curva propoſita quæcunque *AFBSDT*, cujus axes conjugati ad ſe invicem normales *AV*, *AG*; per verticem *A* & puncta quotcunque *C*, *D*, &c. in illa ad libitum aſſumta deſcribatur curva qualiscunque algebraica ex. gr. ex genere Parabolarum *AOCPDR*, id quod fieri poteſt per lemma Neutonianum, vid. *Princip. Philoſop. Nat. p. 446 edit. ſec.* ejusque *Methodum*, quam vocat, *Differentialem prop. 3 & 4.* Per quodvis hujus curvæ punctum *O* ductis & productis, ſi opus, applicatis *HO*, *EO*, quæ propoſitam ſecent in *B* & *F* ductaque tangente *OQ*, accipiatur quarta proportionalis ad *HQ*, *HO*, & *EF*, quæ vocetur *L*, conſtituatur denique applicata *HL*, æqualis *HB* + *L*: hoc ſi fiat pro ſingulis punctis *O*, orietur nova curva *ALMN*, cujus area quælibet *ALH* = *AFBH* + *AFE* = mixtilineo *BFEAH*, ac proin dependebit a quadratura curvæ propoſitæ *ABCSDT*, ſed ſimul

TAB. II. Fig. 2.

etiam

etiam habebit partes numero datas abſolute quadrabiles, nam cadente puncto O in C vel in D &c. mixtilineum illud mutabitur in rectangulum $AI \times IC$ vel in rectang. $AK \times KD$ &c. Area vero ALH fit area AMI vel ANK &c. quæ ſingulæ per conſequens admittunt quadraturam abſolutam: ut & zonæ inter ſingulas, qualis eſt $MIKN$, quæ etiam ſunt quadrabiles. Q. E. D.

§. 17. His quidem volui methodum a Parente traditam illuſtrare, cujus me eo minus pœnitebit, quod video, eam usque adeo placuiſſe acutiſſimo Hermanno, ut ſuam, quam ſupra §. 13 ex literis ejus produxi, deſeruerit & nunc Paterna utatur, uti liquet ex Schediaſmate ejus, de quo hic agitur, p. 179 art. VIII, modum enim ibi uſurpatum, nihil plane in eſſentialibus diſcrepare ab allata ex literis paternis methodo cognoſcet, qui alteram cum altera conferre voluerit.

§. 18. Rationem illam, quam pag. 180 art. X adducit Vir Cl. ad perſuadendum, ſolutionem ſuam infinitas curvas ſuppeditare, quia nempe in locum Directricis rectæ AP potuiſſet innumeras diverſas curvas aſciſcere, & quæ in eam rem dicit alia, non ſufficere omnino mihi videntur; ex iis enim nondum patet, mutata directione neceſſario aliam curvam EF a priori diverſam prodire; ſiquidem conſtat, unam eandemque curvam infinitarum curvarum diverſiſſimarum eſſe evolutam; ejusque tangentes ab infinitis aliis lineis directricibus tam rectis quam curvis trajici poſſe.

§. 19 Quod reliquum eſt, aliquid dicere habeo de Problemate, quod Cl. Hermannus p. 180 art. XI huic materiæ ſubnectit, his verbis. *Datis quotcunque curvis algebraicis A, B, C, &c. communem abſciſſam x habentibus, invenire curvam algebraicam z, ita ut* $z = A + B + C + \&c. +$ *quantitate data, ita ut hæc data etiam poſſit eſſe* $= o$; quod ſua methodo ſolvi poſſe affirmat; ſed non addit, quid hic proprie intelligendum per *quantitatem datam*, an intelligi debeat indefinite quævis quantitas dabilis, quam quis proponeret ante ſolutionem problematis, aut tantum ea, quam ſolutio monſtraret, quæ utique quantitas caſualiter poteſt eſſe $= o$: ſicuti revera evenit ut $\int p\,dx - z \pm$ quantitate data, ſed *data* ex conſtructione, non *data* ex ſuppoſitione.

ſitione. Melius feciſſet, ſi rem exemplo illuſtraſſet. Det verb. gr. curvam algebraicam *Z*, quæ ſola æqualis ſit aggregato duorum arcuum ellipticorum diſſimilium *A* & *B*; quocunque vero ſenſu ſolverit Hermannus ſuum problema, non minus quoque a Parente meo per methodum ſuam noviter detectam ſolutum iri, confido.

§. 20 Quod attinet ad motum reptorium, inventum ſane cedro dignum, ob ingentem utilitatem, quam habet in reductione curvarum ad circulares per approximationem ſtupenda velocitate convergentem, cujus ſpecimen dedit Pater pro Ellipſibus, ceu prodromum integri opuſculi ea de re in publicum edendi, ſi Deus vitam & vires conceſſerit. De præſtantia hujus inventi, quod ipſe magnus Neutonus cum reliquis ſanioribus Angliæ Mathematicis ſatis admirari non potuit, teſtibus literis Celeb. Moivræi, non perinde ſentire videtur Cl. Hermannus, quando in præmemorato loco aſſerit: *Se ſcire, jam pridem a Cel. Joh. Bernoulli oſtenſum eſſe, quomodo ope motus reptorii quotlibet curvæ algebraicæ in unum addi poſſint, ſed methodum ejus huic reſtrictioni obnoxiam eſſe, quod curvæ addendæ non minus quam quæſitæ debeant eſſe æqualis amplitudinis.* Judicium hoc arguit, Virum Cl. non probe intelligere naturam hujus methodi, nollem enim credere, illud latum eſſe ex animo extenuandi: fallitur certe in opinione ſua, cum ſibi perſuadet, methodum hanc obnoxiam eſſe ei, quam memorat, reſtrictioni, ſiquidem clarum eſt, locum habere, etiamſi curvæ addendæ non ſint ejusdem *amplitudinis*, modo earum amplitudines ſint commenſurabiles. Secentur, ut rei veritas evincatur, ſingulæ curvæ in arcus æque amplos ſecundum numeros rationis amplitudinum, id quod in curvis algebraicis ſemper algebraice peragi poteſt: deinde omnes iſti arcus ex methodi præſcripto in unum addantur, quo facto habebitur curva quæſita, ſed aliud præſto eſt adminiculum, quo ſuccurri queat inæqualitati amplitudinum, ſive ſint commenſurabiles ſive incommenſurabiles; datur namque modus, de quo forſan Cl. Hermanno nil conſtat, mutandi datam curvam algebraicam in aliam algebraicam ejusdem longitudinis, & quæ habeat datam amplitudinem. Sic itaque curvæ addendæ

mutari poſſunt in totidem alias æque amplas, & poſtea per methodum reptoriam in unum colligi; quæ proin methodus, contra quam ſentit Vir Cl. generaliter ſuccedit, adhibita quadam prævia modificatione.

§. 21. Superſunt nonnulla monenda circa alterum problema, quod Cl. Proponens vocat *minus principale*, ubi ſcilicet quæruntur curvæ reſpondentes huic æquationi $\int y\,dx = axy + bx^c y^e$. Dedi in Actis 1720 varias hujus problematis ſolutiones generaliſſimas ipſi ejus Autori approbatas, addita analyſi a priori procedente: notulas quasdam aſperſi, quæ reſpiciebant conditiones, quibus ex mente Viri Clariſſimi Curvæ quæſitæ poſſint vel non poſſint eſſe algebraicæ; ſed contra has notulas nunc excipit, quare ad uberiorem veritatis illuſtrationem ſequentia reponere viſum eſt.

§ 22. Dixerat, æquationem curvæ quæſitæ *ſemper* fore algebraicam, ſi *a*, *c* & *e* fuerint rationales, ego vero oſtendi, excipiendum eſſe caſum, quo $c = e$, qui curvam reddit transcendentem: admittit nunc exceptionem, quam autem ut eludat, regerit p. 181 art. XIII, *ſe tacite jam ſuppoſuiſſe c & e inæquales eſſe*, non cogitans, hujusmodi tacitam ſuppoſitionem non poſſe ſubintelligi: propoſitio erat generalis de quibuscunque numeris *c* & *e*, ergo etiam de æqualibus; exceptio non habet locum in aſſertionibus geometrice univerſalibus, niſi ſponte ſe offerat: excluſiſſet Vir Clar. numeros æquales *c* & *e*, ſi animadvertiſſet, æqualitatem eorum non poſſe dare curvam algebraicam.

§. 23. Largior ſane, quod ſubdit, *in caſu æqualitatis eorundem fere abſque calculo ſtatim apparere, quod curva reſultat, cujus conſtructio a quadratura hyperbolæ dependet*; ſed hoc non probat, quod id jam tunc animadverterit, cum problema proponeret, neque id evincit, eo, quem adducit, calculo; qui licet ſit perbrevis, eſt tamen idem, quem ego jam expoſui in Actis 1720 p. 277 §. XIII, ubi hæc extant verba: „Æquatio propoſi„ta per differentiationem huc redit; $\overline{1-a}\,.\,ydx - axdy$ „$= bcx^{c-1}y^e dx + bex^c y^{e-1}\,dy$, quæ diviſa per xy dat $\frac{1-a}{x}$ „$dx - \frac{ady}{y} = bcx^{c-2}y^{e-1}\,dx + bex^{c-1}y^{e-2}\,dy$; membrum prius „integra-

integratur per logarithmos, alterum abſolute &c.„ Servatis nunc iisdem verbis ſcribatur cum Cl. Hermanno, R pro xy & A pro $\int ydx$, enunciatum noſtrum ita pariter ſonabit: *Æquatio propoſita per differentiationem huc redit*: $dA - adR = bcR^{c-1}dR$, *quæ diviſa per R dat* $\frac{dA}{R}\left(\frac{ydx}{xy}\ \text{ſeu}\ \frac{dx}{x}\right) - \frac{adR}{R} = bcR^{c-2}$ dR; *membrum prius integratur per logarithmos, alterum abſolute.* Atque hoc plane idem eſt, quod nunc facit doctiſſimus problematis Autor, quando dicit: *vocando* $xy = R$, *erit* $A = aR + bR^c$, & $dA = adR + bcR^{c-1}dR$, *ac* $\frac{dA}{R} = \frac{ydx}{xy} = \frac{dx}{x} = \frac{adR}{R} + bcR^{c-2}dR$, *quæ æquatio eſt ad curvam tranſcendentem.* Non puto, reſponderi poſſe, ſcribendo R pro xy rem ipſam mutari; quocirca perbrevis hic calculus ex noſtro formatus neutiquam probat, Cl. Hermannum *tacite jam ſuppoſuiſſe c & e eſſe inæquales.*

§. 24. Miror excuſare volentem id quod dixerat, ſemper dari Curvam algebraicam, ſi *a*, *c*, & *e* ſunt ſemper rationales, poſtquam ego oſtendi, conditionem rationalitatis numeri *a* eſſe ſuperfluam: dico enim, non neceſſe eſſe ut *a* ſit rationalis, modo *c* & *e* ſint rationales & inæquales, quo caſu curva ſemper dabitur algebraica. Sane tantundem eſt, ac ſi dixiſſet: *Parabola, cujus æquatio* $ax^c = y^e$, *erit ſemper algebraica, ſi a, c & e fuerint rationales*: qui ita loqueretur, annon reprehenſione dignus eſſet, ſiquidem *a*, ſive ſit rationalis ſive irrationalis, algebraicitati curvæ nec prodeſt nec officit: Parabola erit algebraica, ſi *c* & *e* fuerint rationales; erit vero tranſcendens, ſi *c* & *e* irrationales fuerint, ipſa interim *a* nullius hic eſt conſiderationis. Res eſt perſimilis in curva Hermanniana $\int ydx = axy + bx^cy^c$, ubi incongruens eſt dicere, *Curvam ſemper fore algebraicam, ſi a, c, e fuerint numeri rationales*; cum Geometris accuratius res ita fuiſſet enuncianda, *Curvam ſemper dari algebraicam, ſi c & e fuerint numeri rationales & inæquales, qualiscunque ſit a.*

§. 25 Rectius ſe habet, quod Vir Cel. ibidem monet de caſu,

 quo

quo $a = e - 1 : e - c$; fateor enim, me, cum ſolutionem meam in cartam conjicerem, attendiſſe tantum ad curvas tranſcendentes, quæ huic caſui conveniunt, ſed nunc monitus inveni quoque haud magno labore curvas algebraicas eidem inſervientes; ſed neſcio, quid myſterii hic ſubſit, cujus revelationem in aliam occaſionem rejiciendam putet, quodque fundamentum ſit, ut inquit initio pag. 182, inſignis alicujus ſcientiæ incrementi. Ego vices ejus ſupplens, rem paucis abſolvo ſequentem in modum: in æquatione generali, quam exhibui in Actis 1720 p. 275 l 6 & 7, ſuppoſita $a = e - 1 : e - c$ adeoque vi præcedentis ſuppoſitionis p. 274 factæ $\alpha = \infty$ & $\beta = \frac{-\infty}{ec - e - c + 1}$, quibus ſubſtitutis æquatio mutatur in hanc $g = (-be + bc)\, x^0 y^0 + 0x^{-c+1} y^{-e+1}$; hoc eſt $g = -be + bc + 0x^{-c+1} y^{-e+1}$, adeoque $\frac{g + be - bc}{0} = x^{1-c} y^{1-e}$: quia vero g eſt arbitrariæ magnitudinis, ponatur illa $= bc - be$, & habebitur $\frac{0}{0}$ hoc eſt qualiscunque conſtans $G = x^{1-c} y^{1-e}$, vel quod eodem recidit, $G y^{e-1} = x^{1-c}$, quæ æquatio eſt iterum ad Curvam ex parabolarum genere, qualem dedi in Schediaſmate meo modo memorato p. 271 art. IV, hoc tantum diſcrimine, quod ibi Parameter ſit determinatæ magnitudinis, hic vero ad arbitrium ſumenda.

§. 26. Ad id quod ſciſcitabar, cur Cl. Hermannus ſubticuerit curvas tranſcendentes, problemati ſuo ſatisfacientes (præter eas, quæ ex irrationalitate exponentium oriuntur) reſpondet quidem p. 182, hoc ſe feciſſe, quia ultro ſeſe offerant illi, qui problema ſolvere & algebraicarum æquationes eruere noverit: ſed cogitare debuiſſet, ei, qui problema ſolvere novit, etiam algebraicas ſponte ſeſe offerre, imo poſſet aliquis algebraicas omnesque finitis terminis conſtantes eruere, qui tamen tranſcendentes alias elicere nequaquam potis eſſet. Quid enim impediret, quo minus ille incideret in duas priores methodos, quas deſcripſi loco citato art. IV & V, per quas utique omnes poſſibiles algebraicæ inveniuntur, ſed nullæ ex tranſcendentibus niſi eæ tantum,

Digitized by Google

tantum, quæ ex irrationalitate exponentium oriuntur, qui has duntaxat methodos poſſideret, ſolvere certe poſſet problema & æquationes algebraicas eruere, neque tamen ei ſeſe ultro offerent tranſcendentes.

§. 27 Innuit Vir Cel. ex octo aut decem diverſis problema ſolvendi modis, quos habeat, vix unum eſſe, qui cum aliquo ex Bernoullianis coincidat; tres tamen tantum attingit, nonniſi quædam indicia tradens, ex quibus cognoſci nondum poteſt, quousque eorum calculi excurrant, aut an præterquam in prolixitate a noſtris multum diſcrepent. Vidimus ſaltem ſupra modum illum, quo uſus eſt in caſu æqualitatis *c* & *e* ponendo *R* pro *xy*, non quidem cum Bernoulliano coincidere, ut vere loquitur, ſed prorſus cum eo unum eundemque eſſe.

INVITATIO AD OBSERVATIONES Meteorologicas communi conſilio inſtituendas; a JACOBO JURIN, M. D. Soc. Reg. Secr. & Colleg. Med. Lond. Socio, ſeorſim impreſſa hoc Anno 1724 Londini, & ad Collect. Act. Er. transmiſſa.

Cœli & aeris, quem ſpiritu ducimus, conditiones varias, frigoris, puta, & caloris, ſudi, vel humidi commutationes & viciſſitudines, magnas præſertim atque ſubitaneas, ad humani generis valetudinem pertinere merito cenſetur. Operam itaque & laborem in iisdem obſervandis minime contemnendum poſuerunt non Medici ſolum, ſed & alii quoque ab omni ævo naturæ rerum contemplandæ ſtudioſi. Superiore tandem ſæculo Inſtrumenta etiam & Machinæ Philoſophorum ingenio & diligentia repertæ ſunt, quibus ponderis, caloris, humiditatis, & elateris aerii momenta & mutationes ſimul oculis repræſentantur, ſimul ad menſuram ac trutinam, & quidem ſubtilem admodum illam atque accuratam, exiguntur. Nec hic etiam ſubſiſtendum judicarunt eximii illi Viri, ſed ſtudio & ſciendi amore incitati ad cauſas harum mutationum, qua licuit, indagandas contenderunt. Quem in finem Obſervationes Inſtrumentorum recens inventorum ope factas de pondere, humiditate, & calore

Digitized by Google

aeris ambientis diligenter in Diariis notabant; iiſque multa alia adjiciebant ad Tempeſtatem ac Cœli faciem, Ventos, & Pluviæ copiam pertinentia, quod in Actis Philoſophicis & alibi ſparſim videre eſt. Methodo iſta & obſervandi ratione meliorem facile non reperias. Quodſi fuiſſent Obſervatores & numero idoneo, & commodis locis per magna terrarum ſpatia diſpoſiti; ac tandem unus aliquis omnium Diaria, quid inter ſe convenirent aut diſcreparent, contuliſſet; profecto jam a multis annis eam haberemus Aeris Hiſtoriam, qualem hoc tempore vix animo & votis fas eſt concipere. Id etenim compertum habemus, ut quod maxime, ſubitas Tempeſtatum commutationes Ventis præcipue acceptas referendas; cumque ſcire liceret per talem obſervandi rationem, qualem ſupra expoſuimus, quibus in locis orti, quem curſum, quo tempore, & per quanta terrarum ſpatia Venti tenerent; his cognitis, forſan ad originem etiam & cauſas Ventorum aſſequendas via patuiſſet. Unum hoc ſaltem, quod ipſum non leve momentum ad has diſquiſitiones attuliſſet, quodque jam, ut plurimum, pro conjectura veriſimili habetur, potuiſſemus certiſſimis oſervationibus ſive veri, ſive falſi arguere. Opinionem dico ſagaciſſimi Viri, *Edmundi Halleji* *, qui Hydrargyrum ideo cenſet in Barometro aſcendere, quod Venti ex contrariis regionibus utrinque eodem ſpirantes Aerem cogant & quaſi in cumulum attollant; ut contra Hydrargyri deſcenſum Ventis, ex eodem loco verſus oppoſitas partes Aerem deferentibus, & quaſi exhaurientibus, attribuit. Rogantur itaque Eruditi, qui ad excolendam hanc partem Hiſtoriæ Naturalis operam ſuam conferre voluerint, ut quotidie ſemel minimum, vel utcunque ſæpius libuerit, notare dignentur in Diario Barometri & Thermometri altitudinem, Venti Plagam cum aliqua virium æſtimatione, Cœli faciem, & pluviæ vel Nivis quantitatem, quæ tempore poſt obſervationem ſuperiorem elapſo deciderit. Quod ſi quis Obſervationes Hygroſcopii cujuslibet, ſive Acus Magneticæ ope factas adjicere voluerit, non erit ingratum. Quoties ingruerit Procella vehementior, utile fuerit,

* V. Philoſ. Tranſact. N. 181.

fuerit, ortum ejuſdem, incrementum, ſummam violentiam, remiſſionem & exitum notatis temporibus accuratius deſignare; uti & altitudines Barometri, quæ dictis temporibus reſpondeant. Monendum cenſemus, ut, qui Barometri replendi & conficiendi modum callent, Barometro vulgari, ſive aperto, quod vocant, utantur. Sit autem Tubus quartam, ut minimum, vel etiam tertiam digiti partem latus; quum in Tubis anguſtioribus Hydrargyrus infra juſtam altitudinem ſubſidere deprehendatur.** Ciſternæ vero, ſive vaſi Hydrargyrum excipienti tribuetur diameter octonis ſaltem, vel decem partibus major Tubi diametro, idque eum in finem, ut aſcendente, vel ſubſidente Hydrargyro in Tubo, altitudo Hydrargyri in Cyſterna invariata permaneat, aut certe quam paululum immutata. Qui vero Barometro clauſo, ſive portatili uti malunt, ejuſmodi Barometra magna diligentia fabricata comparare poterunt apud laudatum Artificem *Franciſcum Hauksbejum*, in Area vulgo dicta *Crane-Court*, *Londini* degentem; qui Thermometra etiam ſubminiſtrabit ad eam ſcalam, ſive graduum notationem exacta, quæ jam per multos annos, exquiſitis ejus Thermometris inſculpta, innotuit Eruditis. Qui Thermometro utuntur alia quacunque ratione conſtructo, rogatos volumus, ut in Diario Thermometri ſitum, diſpoſitionem graduum in Scala, & nomen etiam Opificis, ex cujus officina prodiit, apponere ne graventur. Situm Thermometro commodiſſimum cenſemus in conclavi ad Septentriones obverſo, ubi focus aut nunquam accenditur, aut ſaltem quam rariſſime. Quo facilius inter ſe conferri poſſint Diaria, commodum fuerit omnia in hujusmodi formam diſponere. Columna prima indicet diem & horam obſervationis; ſtylo autem ut omnes Juliano, ſive Vetere, in Diariis utantur, Obſervatores rogamus. Secunda altitudinem exhibeat, ad quam attollitur Hydrargyrus in Tubo Barometri ſupra ſuperficium Hydrargyri in Vaſe, per digitos, ſive partes duodecimas Pedis *Londinenſis*, & per partes decimales eorundem digitorum notatam. Habet autem Pes *Londinenſis* ad *Pariſienſem* eam

** V. Philoſ. Tranſact. N. 363.

eam rationem, quæ eſt inter 15 & 16 proxime. Columna tertia gradum monſtret, & partes gradus decimales, quas ſpiritus in Thermometro attingit. Quarta Venti plagam & ſpirandi vires repræſentet; quæ vires ſemper denotari poterunt per aliquem ex numeris ſequentibus, 1, 2, 3, 4: ex quibus 1 ſignificet leniſſimum aeris motum vix arborum folia agitantem, 4 vero ſummam Venti violentiam, numeris 2 & 3 intermedias inter haſce Ventorum vires exponentibus, & denotante cyphra, ſive o, perfectam Malaciam. Quintam occupet Cœli facies, & ſuccincta Tempeſtatis hiſtoria. Sexta & ultima altitudinem pluviæ, vel nivis in aquam reſolutæ, quæ poſt ſuperiorem obſervationem deciderit, per digitos *Londinenſes* & eorum partes decimales metiatur. Hæc facile æſtimari poterit ope Infundibuli duos circiter, vel tres pedes ampli, Vaſis alterius aquam ex Infundibulo defluentem excipientis, & Menſuræ Cylindricæ cum Regula in digitos & partes decimales diviſa. Infundibulum ita ſitum ſit, ut, quicunque ventus flaverit, nulla tamen pluviæ pars ſive ædificii interventu, ſive quocunque alio impedimento intercipi queat. Sit autem vas aquam continens undique probe clauſum, ne quid in vapores attollatur, anguſto ſolum foramine, ad aquam deſuper ex Infundibulo excipiendam, relicto. Menſuræ porro Cylindricæ Diameter decem partibus minor Diametro Infundibuli tribuetur: quo fiet, ut aqua digitum unum alta in menſura ad altitudinem centeſimæ partis digiti in Infundibulum, atque adeo in reliquam terram, cecidiſſe intelligatur; & ſimiliter pro partibus digiti decimalibus. Ad finem vero Menſis & Anni cujusque apponatur media altitudo menſtrua, vel annua, Barometri & Thermometri, uti etiam ſumma omnium altitudinum Pluviæ, quæ Menſe, vel Anno integro deciderit. Habebitur autem dicta media altitudo, redigendo in unam ſummam omnes Barometri altitudinum obſervationes mane factas, Thermometri vero ſive matutinas, ſive totius diei maximas, (quæ nempe circa horam tertiam, vel quartam pomeridianam contingunt) & ſummam iſtam per numerum dierum dividendo. Omnes rogamus, qui ſupra ſcriptas Obſervationes, vel univerſas, vel aliqua ex parte volent inſtituere, ut Diariorum exempla,

exempla, ad finem anni cujusque continuata, ad Secretarios Regiæ Societatis tranſmittere dignentur; ut cum Diario, quod *Londini* juſſu Societatis Regiæ conficitur, conferri poſſint. Conſilium vero eſt, ut quicquid ex Diariorum iſtorum collatione colligi poterit, ſingulis annis in Actis Philoſophicis cum publico communicetur.

Diarii Forma.

Dies & Hora 1723. St. V. Novembr.	Barom. alt. dig.dec.	Therm. alt. gr. dec.	Vent.	Tempeſtas.	Pluvia. dig. dec.
1. 8 *a. m.*	29. 75	49. 6	S.W. 1	Cœlum nubibus obduct.	0.035
4 *p. m.*	29. 56	47. 3	S.W. 2	Imbres interrupti. Sol per vices intercurrens	0.043
2. 7½ *a. m.*	29. 24	48. 5	S. 1	Pluvia fere perpetua	0.725
3. 9 *a. m.*	29. 95	49. 7	N. 1	Cœlum ſudum	0.032
5 *p. m.*	30. 4	49. 2	N. 1	Cœlum ſudum	0.000
4. 7 *a. m.*	29. 9	47. 0	S.W. 1	Nubes ſparſæ	0.000
10	29. 7	46. 2	S.W. 2	Imbres intercurrentes	0.103
12	29. 4	45. 0	S. 3	Cœlum nubibus undique fere tectum	0.050
3 *p. m.*	28. 8	46. 0	S. 4	Nubes ſparſæ	0.000
5	28. 6	47. 2	S.W. 4	Eadem Cœli facies	0.000
7	28. 9	48. 0	S.W. 2	Pluit	0.000
9	28. 9	48. 2	0	Pluvia fere perpetua	0.305
5. 7 *a. m.*	29. 7	53. 4	N. E. 1	Sudum. Gelu.	0.250

AD RESPONSIONEM, QUAM JO. RIZZETTUS contra Opticam Newtonianam dedit G. FRID. RICHTERO (vid. Suppl. T. VIII Sect. III p. 127, & Sect. V p. 226 & Sect. VII p. 303) Appendix, Autore eodem RIZZETTO.

Cum in epiſtola ad Nob. Virum Chryſtinum Martinellum ſummi Newtoni ſyſtema de colorum diverſa refrangibilitate impugnaſſem, ratione ductus, quod experimenta, quibus innititur, mihi viſa fuerint partim falſa, & partim minus idonea, unum ex his in medium attuli, nempe illud ſecundum Opticæ Newtonianæ Part. I. Lib. 1, cujus eventum diverſum ab illo, quem Autor refert, inveniſſe pronunciavi. Newtonus bipartitus eſt quadrangulam chartam oblongam *DF*, mediam *EF* colore rubro, alteram *DE* cœruleo delinivit. Huic poſtea ſerici nigerrimi filum ſæpius ſuperinduxit, & candelæ flammæ admovit. Ex adverſo chartæ, ſex pedum intervallo, erexit Lentem vitream *AB*, uncias $4\frac{1}{4}$ latam, quæ radios ex diverſis punctis fluentes ad totidem alia puncta ex altera parte eodem ſex pedum intervallo ultra Lentem cogeret. Cùm tandem altera charta *MI* imaginem chartæ coloratæ excepiſſet, lineas nigras (filorum ſpectra) diſtinctas vidit in parte cœrulea *GI*, confuſas in parte rubra *MG*. Charta antem *NL* longius a Lente remota, partem rubram *NH* vidit diſtinctam, & cœruleam *HL* confuſam.

Hoc experimentum ego quoque in iiſdem omnibus circumſtantiis mihi exhiberi curavi, ac in illa diſtantia, in qua diſtincta apparebat pars imaginis cœrulea, æque diſtincta videbatur etiam rubra, vel in illa diſtantia, in qua erat una pars imaginis confuſa, æque confundebatur & altera. Si igitur Newtonus elicuit ex ſuo experimento, colorem cœruleum eſſe refrangibiliorem rubro, adverſus hoc ex meo experimento collegi, æqualem eſſe utriusque coloris refrangibilitatem.

Cum hæc in Anglia audita fuerint, actum fuit de experimento iterando, ac menſe Decembris 1722 (teſtibus in Regia

Societa-

Digitized by Google

Societate bis habitis) eventum Newtonianæ ſententiæ reſpondiſſe adverſus id, quod a me dictum fuit, in Transactionibus Anglicanis tradidit Clariſſ. Deſagulierius. Ego quoque experimentum iterandum eſſe conſului, ac ejus eventum in reſponſione ad Clariſſ. Richterum data Actis Eruditorum Lipſiæ demandavi. Animadverti autem poſtea id, quod a me de hoc experimento expoſitum fuit, teſtium ſolemnitate deficere. Ut igitur omnia, quæ in mea poteſtate ſunt, veritati præſtarem, plures inveni Doctiſſ. Viros hujusmodi materiæ peritiſſimos, ac experimento coram illis debite, tum ordine, tum accuratione inſtituto, teſtes ego quoque adhibere decrevi. Charta colorata (ut Newtono mos fuit) cœrulea in *DE*, rubra in *EF*, verticaliter erecta a flamma plurium candelarum illuſtrabatur. Huic parallela erat altera charta *MI*, quæ imaginem excipiebat, intervallo pedum octo inter utramque intercedente. Lens *AB*, cujus latitudo erat unciarum quatuor, locum medium inter utramque chartam tenebat, ipſa quoque verticaliter erecta; ac in foramine latioris tabulæ collocata.

Eventus experimenti diverſus fuit, is enim ſententiæ reſpondebat aliquando Newtonianæ, aliquando meæ: in imagine nempe *MI* videbatur interdum pars una diſtincta, altera confuſa; deinde geminæ æquali diſtinctione perſpicuæ. Ut autem hoc vel illud contingeret, ſatis erat inclinationem Lentis pauliſper mutare.

Dum pars cœrulea *GI* videbatur diſtincta, & rubra *MG* confuſa, ſi charta longius a Lente diſtabat (puta in *NL*,) pars cœrulea *HL* in confuſionem incidebat, ac pars rubra *NH* diſtinctionem lucrabatur, ut in ſuo tradidit experimento Newtonus.

Dum geminæ partes, cœrulea & rubra, æqualiter diſtinctæ apparebant, ſi charta diſtabat a Lente longius vel propius, geminæ quoque æqualiter confundebantur, ut ego in meo experimento affirmavi.

Newtonus ex imagine partim diſtincta & partim confuſa elicuit in ſuo experimento inæqualem colorum refrangibilitatem;

tem; ego vero ex imagine æqualiter ubique vel diſtincta vel confuſa collegi in meo experimento, colores eſſe æqualiter refrangibiles. Ut autem conſequentia tam Newtoniana quam mea nulla exceptione elidi poſſet, æquales eſſe debebant in utroque experimento inclinationes, quibus radii tam cœrulei quam rubri in lentem incidebant. Aliter lentis axe paulifper detorto, quamvis eſſet æqualis colorum refrangibilitas, propter tamen inæqualem ipſorum incidentiam poterat in experimento Newtoniano una pars imaginis apparere diſtincta, & altera confuſa. Iterum quamvis eſſent colores inæqualiter refrangibiles, attamen radiis inæquali inclinatione incidentibus fieri poterat in meo experimento, ut (vitium inæqualis refrangibilitatis altero inæqualis incidentiæ corrigente) ubique æqualiter imago diſtingueretur. Si igitur Newtonus in ſuo experimento arbitratur, radios utriusque coloris eſſe æqualiter incidentes, & inæqualiter refrangibiles, oppoſitum ego ſuſpicari poſſum, nempe illorum incidentiam eſſe inæqualem, & refrangibilitatem æqualem. Iterum ſi in meo experimento opinor æqualem ipſorum radiorum incidentiam ſimul ac refrangibilitatem, ipſe quoque Newtonus poteſt oppoſitum cogitare, ſcilicet incidentiam ac ſimul refrangibilitatem eſſe inæqualem.

Ut de hoc judicium ferrem, omnibus in ſua poſitione manentibus, hoc ſolum immutatum fuit, ut color ruber tranſiret in illum ipſiſſimum locum in quo prius erat cœruleus, & hic in ipſiſſimum illum, in quo erat ruber. Hujus experimenti talis exitus fuit: cum imago partis cœruleæ eſſet diſtincta, & imago rubræ confuſa (ut in experimento Newtoniano;) coloribus permutatis imago partis rubræ eam diſtinctionem lucrata eſt, quam prius obtinebat illa cæruleæ, & hæc incidit in eam confuſionem, quam prius altera exhibebat. Cum auten colorum rubri & cœrulei imagines cernerentur diſtinctæ (ut in meo experimento ;) ex colorum permutatione nullum in diſtinctione oriebatur diſcrimen.

His omnibus præſentes fuerunt Clariſſ. ac Doctiſſ. Viri Jo. Jacobus Riccati, in rebus Phyſicis ac Mathematicis ſummus, Bernardinus Zendrini, Mathematicus Ser. Reipublicæ Venetæ, Ludovi-

Digitized by Google

Ludovicus Ripa, Meteororum ac Aſtronomiæ in Gymnaſio Patavino Profeſſor, Rev. Patres Johannes Crinelli, & Jacobus Stellini, Geometræ, Johannes Philippini, Machinator, Franciſcus Maria Preti, Acuſticus, Rev. Joſeph Zuzzi, celebris Geometra, Cæſar Marangoni, in Medicina ac Phyſica illuſtris, Dominicus Offi, Opticus, Paulus Zamboldi, Geometra, Jacobus Brochi, in Philoſophia ac Mathematica erudìtiſſimus.

Quibus habitis ita loquor: inclinationes, quibus incidunt radii fluentes ex coloribus *DE*, *EF*, in experimento Newtoniano dicuntur inter ſe æquales, ſi tales ſunt hujusmodi inclinationes, ſequitur, quod coloris cœrulei tranſeuntis ex *DE* in *EF* non eſt mutanda incidentia, nec imaginis cœruleæ transeuntis ex *GI* in *GM* mutanda eſt diſtinctio. At oppoſitum ſuadet experientia; dum enim color cœruleus tranſit ex *DE* in *EF*, ejus imago tranſiens ex *GI* in *GM* mutatur ex diſtincta in confuſam; itaque coloris cœrulei tranſeuntis ex *DE* in *EF* mutatur incidentia, & cum ita ſit, æquales eſſe non poſſunt in experimento Newtoniano inclinationes colorum *DE*, *EF*. Iterum dici poſſunt hujusmodi inclinationes in meo experimento inæquales. Si hæc ita ſunt, ſequitur, mutandam eſſe diſtinctionem imaginis cœruleæ tranſeuntis ex *DE* in *EF*, ac mutandam eſſe diſtinctionem imaginis cœruleæ tranſeuntis ex *GI* in *GM*. At ex *DE* in *EF* cœruleo colore transeunte ejus imago tranſiens ex *GI* in *GM* diſtinctionem non mutat; itaque coloris cœrulei transeuntis ex *DE* in *EF* non mutatur incidentia; & cum ita ſit, nec inæquales in meo experimento eſſe poſſunt inclinationes colorum *DE*, *EF*. In experimento igitur Newtoniano cum hujusmodi inclinationes ſint inæquales, ex inæquali imaginis diſtinctione Autor colligere nequit inæquales colorum refrangibilitates. Profecto in meo experimento cum ipſæ inclinationes ſint æquales, ex æquali imaginis diſtinctione colligere poſſum, colores eſſe æqualiter refrangibiles. TAB. II. Fig. 3.

Porro, mutato colore lineæ *DE* ex cœruleo in rubrum, dubitandum non eſt, incidentiam coloris rubri tam in experimento Newtoniano, quam in meo, eandem fore quæ prius fuerat cœrulei. Si in hoc igitur caſu imago rubra eandem exhibet diſtin-

Digitized by Google

ctionem, quam prius exhibebat cœrulea, nec utique dubitandum eſt, æqualem eſſe utriusque coloris refrangibilitatem. Cum prius igitur eventus experimenti alius Newtono, alius mihi viſus fuerit, in Anglia ſtatim judicandum non erat de facti ſpecie, certum illum fuiſſe, me autem deficiente accuratione deceptum, ſi enim vera, quæ Newtono, nec quidem falſa, quæ mihi viſa ſunt, judicandum eſt utique de concluſionis ſpecie me certum eſſe, illum autem præjudicio ſuadente deceptum; ego enim æquali colorum refrangibilitati in meo experimento adſcripſi æqualem imaginis diſtinctionem, quæ inæquali colorum incidentiæ non erat adſcribenda. Ille autem inæquali colorum refrangibilitati in ſuo experimento tribuit inæqualem imaginis diſtinctionem, quæ tribuenda erat inæquali colorum incidentiæ.

VITA DEL SIGNOR COMTE CAMILLO SILveſtri, Nobile di Rovigo e Patre della Romana erudizione. hoc eſt,

VITA COMITIS CAMILLI DE SILVEStris, Nobilis Rhodigini, & Patris Romanæ eruditionis, variis obſervationibus ad Muſeum ejus, Hiſtoriam item Criticam, remque literarium pertinentibus inſtructa.

Patavii, apud Joh. Baptiſtam Conzatti, 1720, 4.
Plag. 20.

EX Biographiæ hujus eleganter eruditeque conſcriptæ dedicatione, ad illuſtres urbis Rhodiginæ Deputatos directa, patet, Autorem illius eſſe *Michaelem Angelum Lorzi*, Italum, Virum non incelebris in republica literaria nominis. Quumque, ut ipſe in opella hac ſua docet, ea, quæ in re imprimis antiquaria ſibi comparavit, doctrinæ ornamenta a Celeberrimo hoc Viro, cujus vitam deſcribit, acceperit, in hac quidem expoſitione digniſſimum tanto magiſtro diſcipulum ſe præſtat. Ut alia multa omittamus, vel illud unum ſatis hanc opellam commendat, quod circa finem ejus vitam atque ſcripta virorum, ſeculo noſtro ſcien-

Digitized by Google

ſolentiæ gloria in Italia aliisque provinciis florentium, ſuccincta brevitate enarrat. Ceterum Clariſſimo Autori in exponenda Nobilis Rhodigini Vita licuit eſſe eo accuratiori, quod non tenuit ſolum locum amici apud eum prope ſingularis, ſed & omnia fere, quæ de eo memoratu digna affert, ut pag. 136 ipſe memorat, ſub oculis ipſius geſta ſunt. Priusquam autem deſcriptionem ipſam ingreditur Cl. Autor, Camilli de Silveſtris effigiem præmittit, addita hac inſcriptione: *Camillus de Silveſtris, Patritius Rhodiginus, Sereniſſ. Senat. Venet. Comes*. una cum Virgilii illo Æneid. lib. I v. 613: *Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt*. Præter alias inſignes Viri dotes incredibilem in eo promtitudinem ac ſagacitatem antiqua explicandi ſuisque tenebris evolvendi marmora collaudat, unde & ab illuſtribus Diarii Veneti autoribus temporis noſtri Oedipi elogium tulit; tantaque eruditionis illius fuit exiſtimatio tota in Italia, ut cunctis fere ejus Academiis ſocius adſcriptus ſit. Muſeum habuit rariſſimis antiqui ævi numis, marmoribus ac lapidibus, aliisque monumentis admiratione dignis copioſe inſtructum. Inter alia deprehenditur hic cochlear, quo ſorbiles eſcas haurire ac liquamina ſumere ſolebant veteres. Ex deſcriptione Cl. Autoris adjectaque ejus pag. 40 effigie, quantum colligitur, ſimile eſt noſtris cochlearibus ex ea parte qua juſcula capimus, ex altera vero parte, quam manubrium dicimus, tenui admodum mucrone eſt productum. Quo cum veteres furculæ inſtar uſi, cochleas præſertim teſtis ſuis exemerint, a cochleis cochlear derivari commode poſſe, Cl. Autor putat. Hincque locum iſtum Martialis lib. XIV Ep. 121 ſcite illuſtrari autumat, qui ſic habet:

Sum cochleis habilis, ſed nec minus utilis ovis,
Numquid ſcis potius cur cochleare vocer?

Rariſſimum autem ſine dubio, quod Silveſtri noſtri muſeum ornavit, monumentum exſtitit moneta illa Familiæ Horatiæ p. 53, ſine nota reſtitutionis, hactenus antiquitatis ſtudioſis ignota. Merito igitur ab Autore pretioſiſſimus antiquitatis theſaurus vocatur. Argentea eſt, ordinariæ magnitudinis, cujus in prima facie feminæ galeatæ caput conſpicitur, binis alis orna- TAB. II. Fig. 4.

tæ,

tæ, quæ pro capite Victoriæ aut Romæ vulgo habetur. Pone caput conſpicitur notum illud ſignum X, quod valorem decem aſſium ſignificat. Ante faciem legitur vox *Cocles*. In averſa Caſtor & Pollux currentibus equis vecti porrectisque lanceis muniti apparent, a Græcis Διόσκοροι h. e. Jovis filii vocati. Hinc Cl. Autor eos refutat, qui Deos Cabiros filios Vulcani faciunt, cum in multis antiquis lapidibus Dioſcori h. e. a Jove prognati vocentur. Celeberrimus quidem Patinus, antiquariæ rei decus, hujus generis numum poſſedit, ſed cum nota reſtitutionis, hoc eſt, a Cæſare Trajano reſtitutum: de quo notum eſt, quod imperium tenens omnes illas monetas, quæ temporis injuria perierant, cudendas denuo curaverit. Cum eadem hac reſtitutionis nota alius dicitur numus in copioſa Parmenſis Ducis collectione extitiſſe, ſed furto ſubinde ablatus, cujus quidem accuſatus Patinus, peculiari in ſcripto ſuſpicionem a ſe removit. Pag. 63 Cl. Autor ad dilucidandam ſeriem trium Valerianorum duorumque Gallienorum, de qua nihil certi apud ſcriptores extat, ſequens ſchema exhibet:

P. Licinius Valerianus I.

P. Licinius Valerianus II. *P. Licinius Gallienus I.*

P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus III. *Q. Julius Saloninus Gallienus II.*

Communis quidem tum veterum tum recentiorum ſcriptorum eſt opinio, P. Licinium Gallienum I fratrem Valeriani I eſſe, non vero filium, at contrarium aſſerit pag. 64 Autor Cl. filium ejus fuiſſe probans, neque minus p. 66 eorum ſententiæ occurrit, qui putant Valerianum II & Gallienum I uterinos fratres fuiſſe, demonſtrans conſanguineos, alterum nempe ex Mariana prima conjuge Valeriani, alterum ex ſecunda uxore, cujus nomen ſcriptores latet, ſuſceptum. Ceterum lubet hic inſcriptionem concinnam Camilli de Silveſtris ſepulchrali marmori a Civitate Rhodigina illi donato inciſam Viri Cl. Juſti Fontanini, Clementi XI P. a cubic. calamo exaratam, communicare cum Lectore:

CAMIL-

CAMILLO DE SILVESTRIS
COMITI ET PATRITIO RHODIGINO I. U. D.
QUI
LITERARUM STUDIIS
MAGNI COELII CIVIS SUI SECUTUS
PATRIAM
CUJUS GLORIÆ COMMODISQUE SUMMA
PIETATE ET PRUDENTIA CONSULUIT
ÆRIS ET MARMOREIS PRISCI ÆVI RELIQUIIS
UNDIQUE CONQUISITIS ORNAVIT
SCRIPTIS ETIAM ET NOMINIS SUI FAMA
CLARIOREM REDDIDIT
IO. PAULUS CASILINUS } II VIRI
IO. DOMIN. RONCALIUS }
CIVI OPTIMO
CIVITATIS DECRETO
GRATI ANIMI H. M. P. P.
OBIIT ANNO SAL. M DCC XIX DIE VI JAN.
VIXIT AN. LXXIII M. VI. D. XXIII.

Unum tantum librum typis exſcriptum ipſe edidit, Juvenalem ſcilicet & Perſium, in Italicam linguam converſos notisque illuſtratos, Patavii 1711, 4to. Ejus vero Interpretatio poſthuma in Anaglyphum Græcum, eodem,quo hæc Vita, anno 1720 Romæ prodiit,quam a nobis Act.Er. 1723 p.83 recenſitam,Biographus quidem noſter inter anecdota refert. Præter hos extant hi ejus libri manuſcripti: 1) Series annorum mundi collatis olympiadibus, annis Romæ, annis Julianis, & indictionibus, in tres partes diviſa, & in Diario Veneto recenſita; 2) Hiſtoria Agraria urbis Rhodiginæ, de qua itidem Diarium hoc conferatur; 3) Epiſtolæ ad ſummos in omni ſcientia ſeculi noſtri Viros datæ, de quibus Cl. Autor dicit, tot contineri in illis diſſertationes eruditiſſime conſcriptas, quot ſunt epiſtolæ. Et eorum quidem, cum quibus Ill. Comiti eruditum in vita interceſſit commercium, catalogum Autor noſter a pag. 92 ad finem fere ſuppeditat, ſimulque vitas ac monumenta literaria, quibus nomen ſuam æternitati commendarunt, perſequitur. Quando inter

ſcripta doctiſſimi Pauli Pedruſii in ejus Nummotheca Parmenſi recenſenda occupatur, erudite de nummo Homeri diſſerit, planeque eſt perſuaſus, nullum Homeri nummum nunc genuinum exiſtere; 1) quia a diverſis Græciæ civitatibus cuſi diverſam formam exhibeant; 2) quia jam ſuo tempore Plinius lib. XXXV c. 2 de formæ ſinceritate dubitaverit; 3) quia aliis Homeri nummis nomen ejus per ο, aliis per ω exprimitur, littera vero ω, teſtante Plinio aliisque, a Simonide Ceo, qui DLX annos ante Chriſtum, hoc eſt, CCCCLXVI poſt Homeri mortem vixit, demum inventa & alphabeto Græco addita ſit. Nam etſi Homeri incerta ſunt tempora, fatente Cicerone, tamen multis ante Romulum annis eum vixiſſe, nemo negabit.

DISSERTATIO DE TEMPORE ESTHERIS.

QUam in Diſſertatione mea de Regno Medo-Perſarum (in Acta hæc pag. 270 anni 1723 relata) pollicitus ſum enarrationem de Eſthere, exhibeo tibi B. L. promiſſi me fide exſoluturus. Utile id omnino & difficillimæ horum temporum Chronologiæ conducens ratus, ut, poſtquam Darii Medi & Cyri tempora ſuæ integritati reſtituta, tollantur etiam, quæ circa Eſtheris epocham ſuperſunt dubia. Plane enim cum præcedentibus cohærent, & mutuo inter ſe nexu conſtringuntur. Sit itaque

Th. I.

Chronologiam Eſtheris maximis difficultatibus implicitam eſſe plangunt Interpretes, & quidem non immerito, ut videtur, ſi antiquitatem libri & penuriam ſcriptorum circa ea tempora conſideremus. Autor enim ille ſupplementorum Eſtheris nullius ponderis eſt, & inter Apocryphos omnes viliſſimus, ſuam fere per omnia prodens ἀνιςορισίαν. Tempore quoque longe poſterior, & remotus non ab Aſſveri ſolum & Artaxerxis, ſed ab ipſis Ptolemæi temporibus, ſub quo ſcripſiſſe fingitur. Quis enim, niſi rerum Macedonicarum plane imperitus, ſcribere poterat *Amanem Amadathi filium Macedonem fuiſſe & Perſarum*

rum ἐπικράτησιν *ſive Monarbiam ad Macedones transferre voluiſſe*, cum exigua tunc temporis & nullius nominis Macedonia eſſet. Defendit tamen Harduinus in Chronologia V. T. p. 559 Opp. Sel. ſtatuens, Macedones eſſe antiquum Lydorum & Ionum nomen, adeoque Autorem fragmentorum hoc velle, quod regnum ad Crœſum Lydorum Regem, & non ad Macedones transferre ſtuduerit. Sed Synchroniſmus Regum Lydiæ & Mediæ, ut in Herodoto exſtat, non permittit, ut Crœſus tempore Cyaxaris de Perſico regno occupando cogitare potuerit. Interea Harduino difficile erit probare, Lydos & Iones antiquitus Macedones dictos fuiſſe. Plinius enim, quem citat, inter Lydiæ gentes Macedones recenſet, ſed aliud eſt recenſere ita, aliud Macedoniam vetus nomen Lydiæ dicere, quod Plinius nunquam edidit, & contra rei ipſius veritatem eſt. Macedones enim, ut Macedonum coloniæ, inter Aſiæ populos habitare poterant, nec aliud evincunt rationes ab Harduino adductæ, cum Plinius ipſe longe poſterior temporibus Alexandri M. ſit, & numiſmata, quæ Harduinus citat, ſub M. Aurelio & Philippo juniore cuſa. Strabo l. 13 p. 625 ſatis monſtrat, novum in Aſia Macedonum nomen eſſe. De Lydia enim loquens ait: *Urbs eſt Thyatira, Macedonum colonia*, & inde de Tmolo loquens: *circum accolunt Lydi & Macedones*. Ut enim Perſæ, ita poſt illos Macedones loca hæc occupaverunt, & novas ibi colonias erexerunt. Tam facile ergo erit Harduino probare, Lydiam olim Macedoniam dictam, quam Galliam Ciſalpinam & Galatiam ita ante Gallorum in illas adventum appellatas fuiſſe. Hic autem ſupplementorum Eſtheris Autor, ſub Artaxerxe Rege Perſarum contigiſſe hiſtoriam Eſtheris tradit, & ſive ab illo, ſive ab alio deceptus Joſephus eadem pronuntiat, cui quidem in hiſtoria & chronologia antiqua fides tuto haberi nequit.

Th. II.

Fateor me diu hæſiſſe ancipitem, qua ratione tempus Eſtheris adeo ignotum eſſe poſſit, & tot velut inextricabilibus nodis implicitum, cum (1) originem nobis feſti *Purim* tradat, cujus initium, æque ac cauſa, omnibus notum eſſe debebat, (2)

tot doctiſſimorum virorum ſcrutinium ſubier::, & nihil fere videatur omiſſum, quod aliqua ratione dici poſſit. Unde mihi ea dubitatio ſæpius injecta, nonne nodum in ſcirpo hic quærant Doctorum plurimi, & quæ in conſpectu ſunt, ſollicite inveſtigent, & in meridiana luce nil videant, nunc profanos Scriptores evolvendo, ubi Scriptura ipſa lumen accendit, nunc in conciliatione Autorum ea ſtatuendo, quæ nunquam probata, & quidvis impune fingendo. Duplici enim præjudicio Interpretes plurimos cohiberi video, quo minus veritatem aſſequantur, quæ mihi omnino excutienda video, antequam rem ipſam aggredi poſſim.

Th. III.

Primum præjudicium eſt: *Polyonymos fuiſſe Perſarum Reges, ideoque non mirum, ſi Darius & Artaxerxes plura habuerint nomina, inprimis cum Aſſveri nomen a multis ſtatuatur Perſarum Regibus commune fuiſſe.* R. Caute enuntiatum hoc accipiendum eſſe, nam (1) habuiſſe quosdam Perſarum Reges, dum privati, alia nomina, non nego, ſed in ſolio poſitos fuiſſe binomines, nunquam probari poteſt. Diſtinguenda omnino Regia nomina a privatis. Aſſverus, Darius, Artaxerxes nomina Regia ſunt, ſed Arſicas, Oarſes & Codomannus nomina privata, quæ depoſuerunt in thronum evecti. Si quis Scriptor nomine adhuc veteri inſigniat, vel conſuetudinis veteris memor peccat, vel poſt longa temporum intervalla ſcribens, ita ab aliis diſtinguit. Sed autores coævi vel proximi, nunquam niſi unico Regio nomine appellant, & ſi vel unum proferatur diverſum exemplum, manus dare paratus ſum. Jam vero liber Eſtheris Canonicus, ut coævus conſiderari debet, adeoque Regem illum Aſſverum, de quo mentionem facit, non habuiſſe niſi unicum in ſolio nomen. Ita & qui ex Scriptore antiquo demonſtrare poterit, Darium fuiſſe vocatum Aſſverum, vel Aſſverum Artaxerxem, illi palmam libenter concedo. Sed certus ſum, nunquam futurum. Aſſverum autem commune Perſarum regnantium nomen fuiſſe, miſerum κρησφύγετον plurium Commentatorum eſt, cum nomen proprium eſſe ſatis inde pateat, quod Darius Medus Aſſveri filius vocetur. Dan IX. (2) Per corruptionem nomina veterum Regum mutari poſſe non nego, ut in Catalogis variis Regum

gum Mediæ factum, ubi primus Autor Perſica nomina ad regulas Græcas exprimere voluit, inde longinquæ nationes nomina ipſa imperite pronuntiarunt, tandem ipſa temporum vetuſtas immutavit. Sed integre, & non corrupte, in Scriptura legi nomina Aſſveri, Darii & Artaxerxis, id nemo jure negare poteſt.

Th. IV.

Alterum præjudicium eſt: *Illum Regem, qui maritus Eſtheris fuit, debere eſſe Regem aliquem Judæis omnino benignum, quod Dario Hyſtaſpi & Artaxerxi Longimano convenit, adeoque unum ex his neceſſe eſſe, ut Aſſverus ille ſit. Unde fit, quod Artaxerxi plures Interpretum faveant. Ille enim, quæ non beneficia in Judæos contulit? quantam erga Eſdram & Nehemiam clementiam exhibuit? Illi Regina (vel potius pellex) aſſidens, quam Eſtherem credunt eſſe.* R. nil niſi merum hoc eſſe præjudicium. Ea enim ratione & Cyrus poterat eſſe maritus Eſtheris, quod tamen nemo, quod ſcio, ſtatuit. Præter Darium & Artaxerxem poterat & alius Regum Perſicorum benignitatem in Judæos exercere, imo diverſis temporibus diverſus & ipſe fuiſſe, durus primum, inde clemens, odiſſe, & poſt ad meliorem mentem rediens beneficiis affeciſſe. Nec opus, ut benefacta a Regibus Perſarum Judæis exhibita, interventu Reginæ cujusdam ſemper procurata ſint, aliis enim mediis divina miſericordia uti poterat. Diſſipatis itaque his præjudiciis, aliam omnino viam mihi inſiſtendam judico, quæ quo minus ambagum habeat, eo clarior, quo ſimplicior, eo evidentior erit.

Th. V.

Eſtheris tempus ſi noſſe vis, diſquirendum omnium primum, quis ille Aſſverus, qui eam in thalamum duxit? Negari non poteſt, fuiſſe aliquem ex Cyri ſucceſſoribus, qui Perſis & Medis imperaverit. Non ſolum magnates Perſiæ & Mediæ ejus ſubjecti memorantur, & geſta ejus in Chronicon Regum Mediæ & Perſiæ relata dicuntur, ſed &, quod rem extra omnem dubitationem ponit, termini imperii ejus ab India ad Æthiopiam extenduntur. Tantum imperium ante Cyrum nemo habuit. Non Cyaxares, qui Babyloniam nondum ſubjugarat: non Darius Medus ſeu Aſtyages, qui 120 Satrapas ut plurimum conſtituere

poterat, poſtquam Babylonem regno ſuo adjeciſſet. Septem autem provinciæ in libro Eſtheris huic numero adjectæ monſtrant, Regem Dario Medo poſteriorem, qui regni terminos novis victoriis amplificavit. Præterea Darium Medum hunc Aſſverum eſſe non poſſe, ſimpliciſſimis & evidentiſſimis rationibus probo. Nam (1) non erat nomen ejus Aſſverus, ſed Darius Aſſveri filius, adeoque illi cum libro Eſtheris nil commune; (2) Regnorum conjunctio ſub Dario tam brevi tempore duravit, ut ad duodecimum annum non perveniret æræ imperii Babylonici. (3) Suſis nunquam reſediſſe legitur, ſed in Mediam rediiſſe, ut ipſe Joſephus narrat.

Th. VI.

Cum ergo Aſſverus nomen proprium ſimul & Regium ſit, quæramus in Scriptura, quot ibi Aſſverorum mentio fiat. Et tribus in libris invenitur. Primus Aſſverus ſine dubio eſt Danielis, qui Darii Medi Pater. Hunc Cyaxarem eſſe demonſtravi, & ejus imperium anguſtioribus limitibus circumſcriptum, quam ut Aſſverus Eſtheris eſſe poſſit. Secundus Aſſverus in libro Esdræ legitur. Cyri hic ſucceſſor fuit, & Rex inter Cyrum & Darium medius. Nec ſolus tamen, ſed ſucceſſit illi Artaxerxes, quem ſecutus Darius. Jam vero Darius ille, qui cap. 5 & 6 Esdræ memoratur, alius quam Hyſtaſpis eſſe nequit. Sola id evincit Zorobabelis ætas, qui anno Cyri primo regni Babylonici dux reducis turbæ fuit, ideoque ad tempora Darii II vel III vitam extendere non poterat. Cum ergo Darius ille Hyſtaſpis fuerit, patet quoque ex Scriptura, duos inter illum & Cyrum Reges fuiſſe, Aſſverum & Artaxerxem. Nam qui duos hos Reges in unum binominem conflant, næ illi tota via aberrant. Proferant modo unicum Scripturæ exemplum, ubi uno fere verſu, uni eidemque Regi duo nomina tribuuntur, nulla adjecta ratione diverſitatis. Non autem quadrat huc exemplum Achaziæ 2 Par. XXII, qui tripliciter nominatur, *Abazias*, *Jehoachaz* & *Azarias*. Non enim eſt niſi unius ejusdemque nominis tranſpoſitio. *Achazias* & *Jeoachaz* idem nomen eſt, quando uni viro tribuitur. *Azarias* autem quod appelletur, non ortum niſi ex tranſpoſitione literarum, & *Ajin* pro *Aleph*, *Reſch* pro *Cheth*. Unde triplex nomen

men colligi nequit, ſed ſaltem triplex mutatio nominis a Scriptore adhibita. Sed *Aſſverum* & *Artaxerxen* duo diverſa nomina eſſe, nemo negare poteſt. Deinde inſpiciamus rem ipſam, videbis tria regna. Ponitur intervallum temporis Esd. c. IV, ſiniſtri Judæis, quo templi fabrica impediebatur, idque in tria intervalla diſtinguitur; 1 *omnibus diebus Cyri*; 2 *in regno Aſſveri, initio regni ejus*; 3 *in diebus Artaxerxis*. Initium regni Aſſveri dicit, illum longius regnaſſe, & circa primordia regni Judæis non faviſſe. Dies autem Artaxerxis aliud regnum denotant, quale Magorum erat. Nam illud *in diebus* non ad ſolum initium reſtringi poteſt, ſed notat indefinite tempus regiminis ejus. Jam vero in tertio libro Scripturæ, nempe Eſtheris, Aſſverus nominatur, & ulterius deſcribitur.

Th. VII.

Quæritur E. an Aſſverus libri Eſtheris diverſus a prioribus, adeoque tertius fuerit, an vero cum alterutro illorum idem ſit? R. Diverſum a prioribus ſtatuere non poſſumus, niſi tertius aliquis Aſſverus nobis ſe vel in Scriptura, vel in Scriptoribus antiquis manifeſtis indiciis proderet, id quod nuſquam fit. Fabuloſos enim Harduini Aſſveros credo me ſatis exploſiſſe. Præterea a Cyro ad Darium III nota adeo & trita ſunt Regum Perſicorum nomina & ſucceſſiones, ut latere nos non poſſet, ſi tertius unquam Aſſverus Rex Perſarum fuiſſet. Si autem Aſſverus Eſtheris idem ſit cum alterutro priorum, non certe pater Darii Medi eſſe poteſt, propter rationes modo allatas. Sequitur E. quod idem ſit cum Aſſvero Cyri ſucceſſore.

Th. VIII.

Quam certum autem e Scriptura eſt, Aſſverum Cyro ſucceſſiſſe, tam certum ex Herodoto, Thucydide, Cteſia aliisque Scriptoribus antiquis, Cambyſen Cyri ſucceſſorem in regno fuiſſe. Fallere non poterat Herodotus, qui non adeo longo tempore a Cambyſis imperio remotus, parentes inſuper habuit, qui Cambyſi ſervierant, ideoque omnia probe noſſe poterat. Et publice in Olympicis ludis recitans Hiſtoriam, ſi tam clare mentitus, a multis redargutus fuiſſet. Ut Græcus, Perſarum Dynaſtias optime callebat Thucydides. *Ex omnibus enim Barbaris Perſa no-*

ſæ notiſſimi fuerunt Græcis, quod nulli Græcis imperaverint eorum, qui Aſiam tenuerunt, præter eos, nec illi Græcos, nec Græci eos antique norant, niſi quantum fama exili percepiſſent, ajente Strabone l. 15. Cteſias ipſe ſemper fere Herodoto adverſans, in re tam manifeſta abire ab illo non eſt auſus. Cambyſen autem in ſola Media regnaſſe, merum Harduini commentum eſt, jam antea ſatis refutatum. Cyrus in regno non niſi unicum Succeſſorem habuit, Regis titulo gaudentem. Is ipſe in Scriptura Aſſverus, ab Herodoto Cambyſes appellatur. E. Aſſverus & Cambyſes duo nomina ſunt, uni eidemque Regi convenientia. Ita tamen ut Aſſverus, nomen Regium, Cambyſes gentilitium fuerit: nempe avi (qui privatus vixerat) nomen Cyri filio impoſitum. Illud in ſolio nomen, & quidem unicum, hoc, dum privatus adhuc & hæres ſaltem regni, geſſit. Cum autem mores perditiſſimi nomen ejus exoſum plurimis redderent, inprimis illis, qui commercia cum Ægypto exercebant, factum, ut mortuo illo, cum timere deſinerent populi, verſa in contemtum & odium veneratio, & nemo illum amplius magnifico & Regio nomine appellare, ſed Cambyſen tantum dicere. Herodotus, & qui illum ſecuti, Græci origine, non alio nomine uti, quod forte nomen Aſſveri poſt plures annos in oblivionem venerat. Esdras autem beneficiorum Cyri memor, Regium adhuc nomen illi tribuit, ut qui in aula Perſarum Regis notus verum nomen callebat, tanto major & fide dignior Hiſtoricus, licet pauciſſima illa ſint, quæ de Aſſvero ſcripſerit, & non niſi res Judæorum ſpectantia. Aſſverus E. Eſtheris eſt Cambyſes & alius eſſe nequit.

Th. IX.

Patebit ulterius, ſi ſucceſſores Cambyſis, Darium Hyſtaſpin, Xerxen & Artaxerxen Longimanum ſpectes. Dico neminem illorum Aſſverum Eſtheris eſſe poſſe, nam (1) nemo illorum Aſſveri nomen habuit, & qui binomines volunt fuiſſe, numquam probare potuerunt. (2) Mardochæi & Eſtheris ætas nulla ratione permittit, ut Aſſveri tempora infra Cambyſen detrudantur. Erat Mardochæus patruelis Eſtheris, & pater Mardochæi Eſtheris patruus. Deportatus erat cum Jechonia Mardochæus.

Eſth. II,

Eſth. II, 6. Sunt hic Commentatores, qui dicunt, non deportatum cum Jechonia Mardochæum, ſed Kis ejus proavum. Sed ut alia argumenta taceam, falſitatem hujus explicationis demonſtrantia, ſolum hoc ſufficiat. Conjunge ſaltem v. 5, 6, 7. *Vir Judæus erat in Suſanis palatio, & nomen ejus Mardochæus, filius Jair, filii Simei, filii Kiſh, vir Jemini, qui captivus abductus ab Hieroſolyma cum deportatione, quæ abducta eſt cum Jechonia Rege Judæ, quem captum abduxit Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ. Et erat enutriens Adaſſam, illa Eſther, filiam patrui ejus, nam non erat illi pater vel mater.* Quinam jam erat ille, qui enutrivit Eſtherem? Mardochæus ſine dubio. E. ſequitur ex contextu, illum, qui enutrivit, fuiſſe illum ipſum, qui cum Jechonia abductus, Mardochæum & non Kiſh. Pone jam Mardochæum nuper natum, cum deportaretur, ſequitur illum anno Cambyſis duodecimo 74 annos ad minimum habuiſſe. Eſtheris autem patrem, qui patruus Mardochæi, pone 30 annos natu minorem fuiſſe fratre ſuo, qui Mardochæi pater, & circa eadem fere tempora, quibus Mardochæus, genitum, & Eſtherem filiam genuiſſe anno ætatis 54, jam annus Eſtheris 20 cum regni Aſſveri duodecimo coincidit, & 15 ejus annus cum anno Regis ſeptimo, quo in thalamum ducta. Si autem Darius Hyſtaſpis foret ille Aſſverus, jam ſeptimo ejus anno Mardochæus 86 annos & Eſther 32, & duodecimo Mardochæus 91 compleviſſet & Eſther 37. Si ad Xerxis vel Artaxerxis tempora Aſſverum Eſtheris deſcendere velis, eouſque tandem progredieris, ut biſecularem fere Mardochæum habeas & Eſtherem vetulam, id quod abſurdum plane eſt. Illi ergo ex his quatuor Regibus, Cambyſe, Dario, Xerxe & Artaxerxe Eſther convenit, cujus ætate juvencula erat, forma ſpecioſa, & puellari ætate amabilis. Convenit E. Cambyſi & non ſucceſſoribus.

Th. X.

Sed expendamus ſigillatim ſucceſſores Cambyſis, ut veritas ſententiæ noſtræ eluceſcat. Darii Hyſtaſpis uxores ab Herodoto expreſſe nominatæ, Atoſſa & Artyſtona, filiæ Cyri, & Parmis, neptis Cyri, una cum Otanis Perſæ filia, quarum nulli Eſtheris genus convenit. Quod autem Artyſtonen præ reliquis

amaverit, inde non ſequitur Eſtherem fuiſſe. Plures quidem habuit, nam has ſtatim a conſcenſo ſolio duxit, & quidem Perſicas, ut dicitur l. III, 88. Sed ſi inter illas Eſther fuiſſet, celari non potuiſſet, cum ſæpius illuſtres Græci in aulam ejus commea.ent. Ut prætermittam illum a ſecundo anno Judæis ſaviſſe, & quomodo veriſimile foret, illum anno duodecimo vendidiſſe illos, ut nationem, cujus nullam rationem habebat. Xerxes autem Darii filius, ignotus in ſacro Codice Rex: nihil illi cum Judæis ſingulare fuit negotium, ut opus foret nomen ejus in Scriptura memorari. Quod autem Ameſtrin ejus uxorem, crudeliſſimam fœminam, quidam cum Eſthere eandem faciant propter quandam nominis ſimilitudinem, tam futile eſt, ut refutatione mea non indigeat. Artaſchaſtes autem (ita potius *Artaxerxes* nomino) adeo a Jechoniæ temporibus remotus *eſt*, ut nulla ratione Eſtheris ætas cum ejus regno convenire poſſit. Multa quidem in Judæos contulit beneficia hic Artaſchaſtes, ſed divino inſtinctu, ut non opus interventu Eſtheris. Si, ut quidam volunt, Eſther in thalamum hujus Artaxerxis ducta anno regni ſeptimo, procuraſſet Esdræ iſta privilegia, de quibus mentio Esd. VII, oportuiſſet notum tunc Regi fuiſſe Eſtheris genus, quod Scriptura clare affirmat, non niſi anno duodecimo factum. Et cum anno vigeſimo Hieroſolymam mitteretur Nehemias, ſi Eſther tunc Regi aſſidens & Mardochæus in aula Regis (jam per octennium) potens fuiſſet, nonne nationis ſuæ curam geſſent, ut non opus foret queri Hananiam Neh. I, *relictos ex Deportatione eſſe in provincia in magno malo & contemtu.* Neque Sanballato tunc fuiſſet inſolitum, veniſſe aliquando unum virum, qui Judæorum curam gereret. Nonne iſtius modi verba ſatis monſtrant, Judæos ſub regno Artaxerxis talibus patronis deſtitutos, quod de temporibus Mardochæi & Eſtheris dici non poteſt.

Th. XI.

Sed & alia argumenta in promtu ſunt, quæ clare demonſtrant, libri Eſtheris res geſtas ante tempora Darii Hyſtaſpis contigiſſe. (1) *Provinciarum diviſio in 127.* Nam Herodotus expreſſe refert, primam hanc in Darii regno curam fuiſſe, regnum

gnum in partes dividere. *His apud Perſas actis, viginti conſtituit Principatus, quas ipſi Satrapias vocant.* III, 89. Hic ergo plures provinciæ ſeu *Medinoth* in unam redactæ, ita ut 127 provinciæ minores in 20 majores coaleſcerent. Et quidem hanc diſtributionem provinciarum factam eſſe, antequam inſulæ maris Ægei, & quæ in Europa ſunt, ſubigerentur, patet ex III, 96. Unde patet, Aſſverum regnaſſe, antequam hæc nova diviſio regni fieret & Darium vel ſucceſſorum aliquem iſtum Aſſverum non fuiſſe. Joſephum enim nil moror, qui Ant. l. XI c. 4 & 6 Dario quoque & Artaxerxi veterem illam diviſionem attribuit. Non enim niſi ex meris conjecturis agit. Artaxerxen enim Xerxis filium credit eſſe maritum Eſtheris, & Darii ſympoſium ex fabuloſo Scriptore libri tertii Esdræ repetit: ut cuivis oculato ſatis pateat, Joſephum non niſi fabulas hic texere, Herodotum autem tanto vetuſtiorem & curioſiſſimum ſtatus Perſici exploratorem fidem præ illo mereri. (2) *Tributorum remiſſio*, quæ *quies* appellatur, & ab anno ſeptimo Aſſveri Regis conceſſa tempus Regis cujusdam Dario prioris exigit. Ille enim *κάπηλος* ſeu licitator tributorum fuit, adeoque pro lubitu remittere non poterat tributa, ſi etiam voluiſſet, aliis pacto vendita. Ab initio regni ejus conſtitutum aliquid certi circa tributa, Cyri autem & Cambyſis temporibus *ὐδὲν ἦν καλεςηκὸς*, dicente Herodoto. Dona ſaltem portabant, quæ non remiſit ſolum Aſſverus, ſed & ipſe Regia dona ſubditis dedit.

Th. XII.

Ex his omnibus ſatis perſpicitur, quam inique plures Scriptorem libri Eſtheris obſcuritatis vel negligentiæ accuſent, quaſi non ſatis aperte temporis characterem deſignaſſet, cum expreſſe nominet, & digito quaſi monſtret. *Hic ille Aſſverus erat, qui regnabat ab India ad Cush.* Quo lecto, omnes omnino Perſiæ Regis ſubjecti norant ad unguem, Cyri filium & ſucceſſorem deſignari, nam inter ſequentes Perſiæ Reges nemo ejus nominis erat, & inter anteceſſores Mediæ Reges nulli hi limites conveniebant. Sed quod tot viri docti in meridiana luce palpent, id Scriptori Sacro vitio non vertendum.

Digitized by Google

Th. XIII.

Sed reſtat objectiones illas ſolvere, quæ contra hanc ſententiam moventur, quæ quidem non exigui momenti, cum doctiſſimos viros tali terrore impleverint, ut veritatem, licet tot ſe criteriis prodentem, eruere auſi non ſint.

Obj. I. *Indis dicitur regnaſſe Aſſverus, cum Indi primum a Dario Hyſtaſpe ſubjugati.* R. Non dicitur Aſſverus Indis regnaſſe, ſed ab India, ſeu terminis Indiæ uſque Cush. Cyrum autem expeditionem in Indiam ſuſcepiſſe, nemo, quod ſcio, negat, licet infelicem, & fuga ſalutem quæſiviſſe, ſeptem tantum hominibus comitatum, ut autor Strabo l. 15. Indiam autem invadere non poterat, niſi terminis imperii antea ad Indiam uſque prolatis. Hinc clarum eſt ab India uſque regnaſſe filium ejus, & ad Cush terminos regni extendiſſe, ſc. ad Æthiopiam uſque.

Obj. II. *Aſſverus Eſtheris Judæis maxime (ſi non nimis) favit. Sed Aſſverus Cyri ſucceſſor contrarius illis fuit, templi ſtructuram impediendo, ut legitur Esd. IV, 6.* R. Contrarius illis fuit, ſed initio ſaltem regni ſui. Ita Esdras: ***Quin etiam in regno Aſſveri, in initio ejus, ſcripſerunt accuſationem contra habitatores Judæ & Jeruſalem.*** Sic etiam Aſſverus Eſtheris admiſit Hamanis calumnias, & totam nationem in excidium illi tradidit. Vergente autem imperio, anno primum duodecimo, favere incepit. Exacte itaque conſiderandum hoc Aſſveri initium, non ſine cauſa ab Esdra notatum, ut a ſubſequente tempore diſtinguatur. Hamane enim & aliis ejusdem farinæ hominibus in aula Aſſveri pollentibus, non mirum libellos diffamatorios contra Judæos ſcriptos in aulam Regis admiſſos & fidem inveniſſe.

Obj. III. ***Aſſveri duodecimus annus in Scriptura memoratur, cum Cambyſes non niſi annos ſeptem & quinque menſes regnaverit.*** R. Poſt obitum Cyri non diutius regnaſſe, concedo. Sed cum Cteſias Cambyſi 18 annos tribuat, Clemens Alexandrinus 19 annos, concludere facile eſt, illum a Patre Cyro in regnum aſſumtum (id quod Petavius ipſe vidit) & aliquot cum Patre annos regnaſſe. Non credo tamen, duos hos autores præciſe & ad unguem exactos in Chronologia eſſe. Nam ut nulla ratio

ratio Cyro erat Cambyſen filium in conſortium imperii aſſumendi ante Babylonem captam, ita capta illa, variæ ſuberant. Tot enim provinciarum acquiſitio & expeditiones Cyri longinquæ conſortem imperii poſcebant. Oportet enim juxta Legem Perſarum, Regem in longinquam expeditionem proficiſcentem regni ſucceſſorem deſignare, ut Briſſonius ex Herodoto refert. A Babylone capta ad Cambyſis mortem 16 anni cum dimidio fere elapſi, adeo, ut non dubitem affirmare, ſtatim poſt expugnatam urbem diadema Cambyſi a Cyro patre impoſitum. Duplex æra erat regni Cambyſis. Priorem ab aſſumtione in regiam auctoritatem adhibet Scriptor libri Eſtheris. Poſterior a morte patris, quam Esdras ipſe c. 4 innuit, cum initium imperii Aſſveri poſt finitos omnes dies Cyri patris memorat. Hanc æram ſequuntur Græci Scriptores plures, & autor Canonis, qui ſub Ptolemæi nomine exſtat. Juxta priorem æram anni Cambyſis priores cum Cyri poſterioribus conveniunt, ita ut ſi a capta Babylone numerentur, convivium, quod inſtruxit Aſſverus, tertio anno regni, Eſtheris in thalamum ductio anno ſeptimo, Patre Cyro adhuc in vivis contigerint. Sed quod anno duodecimo impio Hamanis petito ſubſcripſerit, & mox revocaverit, id anno tertio vel quarto poſt mortem Cyri factum. Ita & ſatis temporis relinquitur reliquis ejus geſtis, inprimis bello Ægyptio, quod circa finem regni geſtum eſſe conſtat, ut adeoque nulla in Chronologia difficultas amplius ſuperſit. Verum indicia varia receptionis hujus in ſocietatem regni ſuperſunt. Primum enim clarum eſt, longinquas expeditiones poſt captam Babylonem ſuſcepiſſe Cyrum, & quidem, ut plurimum, adverſa fortuna. Hinc rumores orti, qui Herodoto anſam dederunt ſcribendi, quod in Maſſagetis occiſus, & Cteſiæ, quod in Derbicis ex vulnere occubuerit, cladem Cyri ſemper extollente fama inter nationes longinquas, & veris ficta addente, quaſi ipſe Cyrus occubuiſſet. Quod autem redierit, id non Strabonis modo, ſed & Alexandri Magni temporibus jam notum erat, cum ſepulchrum ejus Paſargadis inviſeretur, licet direpto inde a latronibus, cadaver nuſquam compareret. Hæ E. longinquæ & diuturnæ expeditiones conſortem imperii poſcebant. Deinde Lucianus

Digitized by Google

cianus in Macrobiis narrat, quod *valde ſenex Cyrus* (*centenarius*, ut ille ait, quod tamen neque cippis, neque Oneſicrito credo) *quæſiverit unumquemque amicorum, comperiens autem quamplurimos a filio Cambyſe peremtos, ſub prætextu quod juſſa Patris ſecutus, mœrore confectus ob crudelitatem filii in ſui probrum redundantem, & illum tanquam violatorem Legum accuſans, vitam finiverit.* Unde hæc quæſtio? unde Patris juſſa a Cambyſe prætexta? unde libertas hæc relicta impune in amicos Patris graſſandi? niſi ex diuturna abſentia Patris, & imperio, quod tenebat. Nimirum Cambyſis regia auctoritas usque eum provexit, ut quæcunque vellet, ageret, & Patrem amplius timere deſineret, quod niſi in ſolio poſito nunquam ſucceſſiſſet.

Obj. IV. *Dicitur Aſſuerus cap. 10 impoſuiſſe tributum terræ & inſulis maris. Jam vero inſulæ Phœniciæ & maris Ægei primum a Dario ſubactæ, id quod & Thucydides & Plato in Menexeno clare indicant.* R. Illi de inſulis maris Ægei Græciæ propinquis loquuntur. Sed an ideo nullæ circa Perſiam in Oceano Indico & mari Erythræo inſulæ, quibus tributum imponere poterat Cambyſes? Eſt phraſis hæc disjunctiva, regnum Cambyſis in terram & inſulas dividens, quales & aliæ in Scriptura locutiones. Sed alia cauſa poterat ſubeſſe, cur & ipſis maris Ægei inſulis tributum imponeret. Expeditionem enim in Ægyptum parans claſſe opus habebat, & naves, nautas & quæ ad apparatum navalem ſpectant, exigendo poterat dici *tributum illis imponere.* Nam מס in Scriptura non ſaltem tributum quod ex pecuniis conflatur, ſed & alia quæ ſubditis imponuntur, ſignificat, ut notum eſt. Jam vero ex Herodoto conſtat, Cambyſen Phœnicibus & Cypriis, qui dediderant ſe, naves ad hoc bellum injunxiſſe, & a Polycrate Samiorum tyranno nauticas copias poſtulaſſe. Quidni etiam reliquis inſulis, licet nondum ſubactis, imperare potuerit idem, cauſam non video. Quod autem, ſecundum Herodotum, nihil certi conſtitutum erat circa tributa tempore Cambyſis, id huic negotio non officit. Quæ enim ad bellum conferuntur, extraordinaria ſunt tributa, ſine quibus miles neque ali, neque educi poteſt.

Obj.

Obj. V. *Sed Cambyſes uxores alias habuit, & inter eas ſororem utramque, Atoſſam & Meroen.* R. Neque Aſſverus una uxore contentus, quod ſatis ex Scriptura patet. Unam quidem inter alias honoravit, diadema imponendo, reliquis tamen uti non deſiit. Sed quod matrimonium Cambyſis cum ſororibus attinet, illud ſine dubio non diu ante tempora expeditionis Ægyptiacæ contigit, & quidem poſt regnum anni duodecimum. Diu enim non convixiſſe ſororibus Cambyſen ſuſpicari quis poterat, cum nullam ex eis prolem reliquerit. Et quod ex Perſarum Regiis Judicibus quæſiverit, num tales nuptiæ permiſſæ, indicio eſt poſt mortem Cyri celebratas. Sorores enim ſub juris ſpecie in matrimonium pellecturus, nunquam id ſub Cyro Patre tentaſſet, mandata quidem ficta ad occidendos Proceres præferre poterat, ſed ſi jure res aggredienda, opus, ut præter ipſum nullus alius juris vindex ſupereſſet, ſi negotium ſuccederet, quod Cyro Patre vivo & familiam ſuam curante, eſſe non poterat. Nec veroſimile eſt, ſororibus unquam Eſtherem prætuliſſe, diadema imponendo, quamdiu & illæ uxores erant, unde poſt duodecimum annum factas facile eſt concludere. Neque Eſtherem puto diu in contubernio Regis manſiſſe, ſanctam fœminam & Cambyſis moribus minus congruentem, cum Mardochæus (non abſque omine forte) dicat: *quis ſcit an non ob tempus hujusmodi perveneris ad Regem?* Ipſe quoque Mardochæus, qui *Miſchneh* Regis c. X factus (quod nomen dignitatis magis quam ordinis) poterat in Judæa Satrapa conſtitui, in qua provincia ad minimum ſecundus a Rege erat. Iviſſe enim illum in provinciam, ex Esd. II, 2 clarum eſt, ſed pro certo affirmare non auſim, quod ſub Cambyſe & non potius ſub Cyro factum. Quicquid ſit, ire & redire poterat, ſub Cyro ſaltem ut unus ex primariis, ſub Cambyſe autem ut Satrapa. Nec obeſt, quod Nehemias de avaritia anteceſſorum ſuorum c. V, 15 dicit, cum inter tempora Cambyſis & ea Artaxerxis Longimani, quibus Nehemias Judææ præfuit, tot interceſſerint anni, ut facile de aliis præfectis loqui poſſet. Accedit quod nihil de templo Judæorum ædificando ab hoc Aſſvero decretum, cum tamen indubie Cyro ſucceſſerit, cujus ratio reddi non poteſt alia, quam Eſtheris brevem fuiſſe auctoritatem, & Regis ipſius inſecutam mortem, Mardochæo inſuper

in pro-

in provinciam profecto. Qui tamen forte ad Darium redire, resque provinciæ & Judæorum procurare poterat.

Th. XIV.

Palmariis itaque objectionibus ſolutis (reliquæ enim nullius momenti ſunt) ad rem redeo & Aſſverum non alium, quam Cambyſen fuiſſe, ex ſimilitudine morum probo. Temulentus & mentis non compos Cambyſes erat, & an aliter de Aſſvero judicari poteſt, qui in convivio Hamani nationem integram exſtirpandam vendidit? Verum quidem eſt, quod Summi Rectoris arbitrio mutatum ſit ſanguinarium hoc decretum, ſed quis inde Aſſvero honos? qui non jure, non pudore motus, ſolius juvenculæ amore pellectus, non in Senatu, ſed in convivio acta reſciderit & Amanem merito ſupplicio affecerit. Durus & auſterus Cambyſes, & an melius de illo ferri judicium poteſt, qui legem tulerat, ut occideretur quicunque in regiæ veſtibulum interius introiviſſet non vocatus. Fuit quidem Lex inde a Dejocis temporibus lata, ne cuiquam Regem coram aſpicere liceret, ſed ideo non morte ſtatim multabat. Et ſufficiens crudelitatis Aſſveri indicium timor Eſtheris eſt, quæ, deamata licet, inter ſpem vitæ metumque anxia hæſit. *Et ſic ingrediar ad Regem, licet non ſecundum Legem, & ſi periero, periero.* Plura autem inter utrumque parallela non dubito invenienda, ſi plura nobis ex Hiſtoria ſacra de Aſſvero nota eſſent.

Th. XV.

Fateor, minimam Commentatorum partem in hac ſententia eſſe, quod Aſſverus Eſtheris fuerit Cambyſes, & præter antiquum illud Judæorum Chronicon *Seder Olam Rabbah* non citari fere niſi Genebrardum & Vatablum, qui poſterior ex mente ſaltem Ebræorum pronuntiat in Commentario ad Eſtherem. Sed ſi Chronicon illud vetus *Rabbi Joſe Ben Chelpeta* attribuendum, ut Bartoloccius vult, & ut doctiſſimus Wolfius in Bibliotheca Ebræa probabile judicat, ad minimum quod primam ejus compoſitionem, eam ſane ætatem fert, ut non parum huic ſententiæ opituletur. Quicquid demum ſit, liceat mihi tritam minus ſemitam ingredi, quamdiu illi, qui alias inveſtigarunt vias, gloriari non poſſint ſe acropolin perveniſſe, ſed potius omnia incerta, & ſibi invicem contraria nobis tradiderint.

Digitized by Google

ACTORUM
ERUDITORUM,
Quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tom. VIII Sect. X.

LES VIES DES PLUS CELEBRES JURIS-conſultes &c.

h. e.

VITÆ CELEBRIORUM JURE CONSULTORUM, omnium nationum, tum veterum, tum recentiorum, prope quingentorum, ex optimis Autoribus collectæ.

Pariſiis, apud L. Seveſtre, 1721, 4.
Alph. 3 pl. 8.

COmmentarios hos *Petri Taiſand* de Vitis JCtorum, nondum quidem, ut videtur, plane abſolutos, dignos tamen putavit filius *Claudius Taiſand*, Ciſtercienſis, quos in publicum emitteret, quoque melius de cineribus paternis mereretur, vitam autoris præmiſit, cujus ſummam hic repetere non gravabimur. Natus eſt Petrus Taiſand Divione d. 7 Jan. 1644, patre Joanne, Præfecturæ Divionenſis Conſiliario, & matre Margareta, Antonii Valloti, celebris cauſarum Patroni, ſorore. Ingenii fertilitatem mature prodens, ita mox, tum Matruelis Valloti, tum Toloſæ JCtorum inſtitutione profecit, ut nondum octodecim annos natus in Academia Aurelianenſi ſummos in Jure honores omnium plauſu capeſſeret. Cauſas inde multas Divione, imo & Pariſiis egit, ubi cognati ſui Benigni Boſſueti, ut & Moignonii Præſidis, apud quem tum conven-

tus eruditorum inſtituebantur, & Scuderiæ familiaritate uſus, quibus humaniorum literarum ſtudium apprime probavit. Redux tamen Divionem factus, 1673 uxorem duxit Marcellinam du Boys, e qua duodecim liberorum parens non niſi unicum reliquit filium Claudium, Ciſtercienſibus, & filiam unicam, Urſulinis Divionenſibus adſcriptam. Ceterum dum Regi a Conſiliis, apud Burgundos Sebuſianosque Quæſtoris munere fungeretur, ſimul ſtudiis continuo operatus eſt, quo factum ut & ederet nonnulla & alia affecta relinqueret in manuſcriptis. Eminent in illis Hiſtoria Juris Romani 1678, & Commentarius in conſuetudines Ducatus Burgundici 1698 editus, cui Noſter multum affundi poſſe luminis ſperat, ubi proxime, quod pollicetur, e ſchedis paternis edet *Obſervations & Maximes, Queſtions & Arrêts ſur le Droit Romain, Coutumier & François, avec un Traité des Decrets & Criées*; tacemus opuſcula ejus theologica, librum precum peccatoris pœnitentis, de humiliatione vera & ficta, atque alia. In ſcriniis exſtant præter plura alia, Jus Canonicum & Civile; Collectanea apophtegmatum, axiomatum, obſervationum tum aliarum tum phyſicarum, poematum Latinorum æque ac Gallicorum &c. ſeptuaginta Voluminibus in forma 12 digeſta, e quibus grande opus ſub *Taiſandianorum* titulo concinnari poſſet; Proverbia Hiſpanica ex Italicis, Latinis & Gallicis illuſtrata; Regulæ Artis Heraldicæ; Epiſtolæ varii argumenti, aliaque. Sed his demum Vir varia eruditione & præclaris animi dotibus conſpicuus immortuus eſt A. 1715 d. 22 Mart. Quod ad Vitas noſtras attinet, nemo forte in iis quæſiverit Solonem, Lycurgum, Numam Pompilium, Juſtinianum, Gregorium IX, Innocentium quartum & ſimiles, quos inter Legum-latores potius quam Legum conſultos referre ſatius fuerat, ſed deſiderabuntur forte etiam nonnulli, quorum nimirum nullum apud Fichardum, Bertrandum, Pancirolum, Guil. Grotium, Heneliun, in Indice item Labitti & ſimilibus ſcriptis, quibus ſæpiſſime utitur, veſtigium invenerat Autor. Laudanda tamen eſt inprimis ejus induſtria, quoties de civibus ſuis commentatur: ita enim e. g. *Antonii Fabri (Fabre)*, qui A. 1557 d. 4 Oct. natus, deceſſit menſe Martio 1624, Viri

Viri magnæ dignitatis & exquiſitæ in Jure doctrinæ, quam Codex Fabrianus & ſcripta alia produnt, vita ac teſtamentum, ſuppeditatis a propinquis ejus monumentis, fuſe admodum inde a p. 187 ad 246 deſcribitur, ubi etiam de filio ejus, non ſexto, ut eſt in Hiſtoria Academiæ Francicæ, ſed ſecundo natu, Claudio Vaugelaſio, multa habentur lectu digniſſima. Nec forte alibi quam apud Noſtrum vitam *Caroli Fevret*, die 16 Dec. 1583 nati & pridie Idus Sextilis 1661 mortui, tam luculenter enarratam invenias, cujus Viri, opere egregio *de Abuſu* aliisque incluti, ſymbolum memoratur: *Conſcientia virtuti ſatis amplum theatrum eſt*, monumentum vero a filio Divione poſitum hoc: *D. O. M. Hic jacet clariſſimus Carolus Fevret, Senatorum filius & parens; Senatoriam tamen dignitatem haud geſſit, quippe qui a Rege ultro bis oblatam recuſavit, & in Patronorum ordine ſtare maluit. Orator enim ut in Foro, ſic in Aula maximus, & Ludovicum XIII patriæ offenſum exoravit; & Condæos Principes pro Senatu ſæpe adiit, nunquam ſine laude dimiſſus; ſacri prophanique Juris ſcientiſſimus, Pontificiæ ac Regiæ poteſtati editis de Abuſu libris metas poſuit utrimque probatas; claros temporis ſui autores poſteritati commendavit; Pybracum Gallum Latino ſplendori reddidit; doctrinam in eo pietas, pietatem doctrina illuſtravit; Vir immortalitate dignus. Poſuit gratus & mærens patri Petrus Fevret Senator MDCCI monumentum.* &c. Tacemus, quæ de *Gabriele Gueret*, qui inter alia libellum edidit ingenioſum *La Guerre des Auteurs*, de *Benigno Milletoto Dn. de Villi*, *Stephano Paſquierio* aliisque non ubivis obvia collegit Autor induſtrius. p. 188. 257-266.

JOANNIS STRAUCHII, JCTI SUMMI, Vitæ aliquot Veterum Juris Conſultorum: conquiſivit, recenſuit, Indice inſtauravit & Præfationem præmiſit CHRISTIANUS GOTTLIEB BUDER, Bibliothecarius Ducalis Saxon. in Academia Jenenſi.

Jenæ, apud Adolph. Chriſt. Bœttigerum, 1723, 8.
Plag. 9.

POſt editam Decadem vitarum JCtorum, de qua diximus in Actis A. 1722 M. Aug. p. 413, pergit de JCtis bene mereri Cl. *Buderus*, qui utique non parum ſibi obſtrinxit eruditos, dum Celeb. *Strauchii*, qui Jenenſium & poſtremo Gieſſenſium ingens decus fuit, programmata in promotionibus Candidatorum Juris inde ab A. 1671 ad 1674 Jenæ exarata omnia (quindecim vero tantum exſtare putat, niſi forte Gieſſam A. 1677 delatus inſtitutum proſecutus fuerit, ubi tamen vix ultra biennium ſuperſtes fuit) in unum faſciculum collegit & ab interitu vindicavit. Qua re non modo veterum JCtorum, verum & recentium, in quibus eminent *Jo. Schilterus* & *Jo. Phil. Slevogtius*, magna nomina, memoriæ optime conſuluit. Ita enim rem inſtituit *Strauchius*, ut JCtorum veterum vitis ſubjungat, comparatione quadam inſtituta, vitas Candidatorum, quæ cauſa fuiſſe videtur, ut in illis recenſendis ordinem ab aliis Biographis ſervatum minime attenderit. Exhibentur vero ſigillatim vitæ *Salvii Juliani*, *Celſorum* Patris & Filii, *Hermogeniani*, *Caſſii Longini*, *Æmylii Pauli Papiniani*, *Lucii Voluſii Mæciani*, *Africani*, *Auli Caſcellii*, *Servii Sulpitii*, *Pegaſi*, *Martiani*, *Julii Pauli*, *Titi Ariſtonis*, *M. Cocceji Nervæ* & *C. Aquilii Galli*. In his tantum abeſt, ut Rutilii, Bertrandi, Hottomanni, Panciroli aliorumque ſcrinia compilaverit Autor, ut potius errores eorum ſubinde indicaverit, & ſententias erudite vel impugnaverit, vel confirmaverit; præterea Legum inſcriptiones emendavit, diverſasque leges elegantiſſimæ doctrinæ luce colluſtravit. Nos cum ſpeciminibus dandis ſuperſedeamus, temperare tamen nobis non poſſumus, quin hic transſcribamus e Præfatione elogium Cel. Strauchio ab Ill. *Jo. Phil. Slevogtio*, diſcipulo ejus haud impari, jam pridem poſitum, quod ita ſe habet: *Quantus in Strauchio quondam noſtro non juris modo civilis & ſacri, privati ac publici, ſed litteraturæ omnis & reconditiſſimæ Philoſophiæ, juncta inſigni χειλικῇ δυνάμει, paratus? Quanta Latiniſſimi ſtyli, ad Salluſtii & Plinii junioris exem-*

plum

plum accedentis, gravitas & robur? Quanta in ſtrictiſſima brevitate ubertas ſententiarum? Taceo majeſtatem, & quendam, ut ſic loquar, faſtum ſermonis, quotiens Oratoris ſuſtinendæ partes erant: teſtisque locuples eſt plena generoſi ſpiritus dedicatio Kalendarum Januariarum. Taceo Epigrammata, mirifico vigore atque acumine præſtanſtiſſimos ævi hujus Poetas provocatura, ut una in ſede tam diverſas ingenii dotes conveniſſe, unum eundemque Virum cum Philoſophis certaſſe ſubtilitate, cum Criticis Polyhiſtoria, cum aliis oratione tam vincta quam ſoluta, &, quamcunque partem Jurisprudentiæ aggrederetur, in ea ita excelluiſſe, ut nihil aliud egiſſe videretur, parum a prodigio abſit. Sane atteſtantur illæ in publico Jure Controverſiæ, illæ de Imperio maris, de centum lapidibus urbicariis, de Kalendis Januariis, itemque ad Deciſiones Juſtiniani diſſertationes; quas poſtremas Veneri Apelleæ jure compares; tandemque & Juris Canonici amœnitates; ſi ſuo vivere arbitratu, ſolisque ſtudiis vacare Strauchium contigiſſet, neminem eodem priorem facile futurum.

CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI OPUſcula ſelecta Illuſtr. & præſtantiſſ. JCtorum de ratione & methodo ſtudiorum Juris.

Jenæ, ex officina Hartungiana, 1724, 8.
Plag. 22.

NOvam nec minus utilem Erudito Orbi collectionem dedit Cl. *Buderus*, dum non ſine ſtudio ſingulari conquiſivit opuſcula, quibus idonea diſcendi juris via aperitur. De antiquis hujus generis methodologis, quos ita vocemus, nihil attinet plura dicere. Satis noti illi ſunt, & ſuccincte enarrantur tum a Noſtro in præf. tum a Celeberr. *Struvio* in Biblioth. Juris Select. c. VII; quam ipſam bibliothecam ſuis auxit acceſſionibus, & novis curis locupletaturum ſe pollicetur Buderus. Hac quidem collectione præſenti recentiorum exhibet Jureconſultorum libellos, qui hoc fere ordine diſpoſiti ſunt. Sectione

prima: I *Joannis Barbeyracii* Oratio de ſtudio Juris recte inſtituendo; II *Ulrici Huberi* Dialogus de ratione Juris docendi, & diſcendi; III *Jacobi Maſtertii* diſſert. de imminuendo labore ſtudii Juridici; IV *Joannis Henrici Bergeri* Manuductio ad ſtudium Juris; V *Joannis Schilteri* Curſus ſtudiorum civilium. Altera Sectione exhibentur: I *Jo. Philippi Slevogtii* Progr. de Philoſophia Juriſconſultorum; II *Joannis Barbeyracii* Oratio de conjungendis Jurisprudentiæ & Hiſtoriarum ſtudiis; III *Antonii Schultingii* Oratio de Jurisprudentia hiſtorica; IV *Ulrici Huberi* Orationes tres de ſtudiis (Jurisprudentiæ) rite prudenterque inſtituendis, & cum elegantioribus literis conjungendis; V *Emundi Merillii* Oratio de prorogando Juris ſtudio, ex *Gundlingianis* P. VIII p. 247 ſq. hic recuſa. Minime dubitandum, permultum utilitatis a Juris ſtudioſa juventute ex hac collectione depromi poſſe, etſi negare vix liceat, non uno omnes has de Jurisprudentiæ ſtudiis præceptiones loco numeroque habendas videri. De Schilteri certe conſiliis, quæ hic extant, fatetur doctiſſ. Collector, eorum eventum hac Academiarum conditione vix ſperandum eſſe. Idem ex *Franciſco Duareno* rectiſſime in fine præf. ſubjicit: „videndum eſt, ne „facilitate illa tractandi Juris, quam ipſis demonſtramus, in „perniciem ſuam abutantur, & ea re freti laborem diſcendi re„mittant. Fallitur enim, quisquis putat, viam ullam excogi„tari poſſe, qua ſine labore, ſtudio, cura, vigiliis, ad plenam Juris ſcientiam pervenire liceat." Ceterum promittit perinduſtrius Collector alterum faſciculum de Juris publici, Feudalis, Canonico-Eccleſiaſtici ſtudiis recte inſtituendis.

JOH. DANIELIS SCHOEPFLINI, IN ACAdemia Argentor. Hiſt. & Eloqu. P.P. Antiquitates Alemannicæ.

Argentorati, apud Joh. Reinh. Dulsseckerum, 1723, 4.
Plag. 8.

IN concinnandis his Alemannorum antiquitatibus, muneris ſibi publice demandati rationem habuit Celeberr. Autor, quaque

Digitized by Google

quaque induſtria *de Origine, fatis & ſucceſſione Navarræ* A.
1710 eſt commentatus, tali nunc quoque, illuſtrandis antiquæ
gentis Franciciæ & Argentoratenſium ſuorum rebus accom-
modam ſcriptionem perfecit. Eleganti brevitate integra Ve-
terum Alemannorum fata, ab origine gentis usque ad extin-
ctam eorum Remp. deducta, memorabilemque trecentorum
annorum hiſtoriam, ex ſolidioribus ſcriptorum monumentis
erutam, *duo capita* complectuntur. *Priori de origine, ſitu
& moribus Alemannorum* docet Noſter, Alemanniam veterem,
Rheno, Danubio, Mœnoque fluminibus diſtinctam, magnam p. 3.
olim Magnæ Germaniæ partem comprehendiſſe, ſed, mutatis
ſubinde ejus terminis, decreſcente paulatim occidentali Roma-
norum Imperio, demum, verſus meridiem, per Helvetiam ad
lacum Lemannum extenſam videri, poſtquam, ſuperato Rhe-
no, Alemanni maximam Sequanorum, Galliæque adeo Belgi-
cæ, partem armis occupaſſent. Originem gentis dubiam & ob-
ſcuram eſſe, nec de nominis ratione magis conſtare. Relictis
aliorum variis conjecturis placere Agathiæ Scholaſtici ſententi-
am, ex vetuſtiori Hiſtorico, Aſinio Quadrato, perhibentis, A-
lemannos, quaſi *Allerley Männer, Allmänner, vel Allemann*,
dictos, quod convenæ ex variis nationibus collecti populum il-
lum ab initio conſtituiſſent. Et primam quidem Alemannorum
mentionem ſub Imp. Caracalla, in ejusque cognomento, oc-
currere. Novum plane, circa iſta tempora advenam, populum
Gallis, qui deſertas a Marcomannis inter Rhenum & Danubi-
um occupaſſent regiones, ſeſe junxiſſe, inde nova & varia
multitudine ex gentibus Rhetiæ, Pannoniæ Germaniæque au-
ctum, mox certam Reip. formam ſibi induxiſſe, eamque di-
ſcrepantem a plerisque Germaniæ Galliæque populis. Hinc me-
morari ſub Valeriano & Gallieno Alemannorum Reges, quos
plures ſimul diverſis pagis præfuiſſe, conjectari liceat. Pagos 14.
hos, in quos Alemannia diviſa fuerit, (de quibus jam Sec.
XVI ſcriptor, *Henr. Bebelius*, peculiari diſſertatione egit, No-
ſtro quidem non citatus,) atque civitates etiam per illos pa-
gos, ex Geographo Ravennate enumeratas, cernimus. Inge-
nio, moribus, corporisque habitu Alemannos a Germanis vix
diſcer-

diſcernendos fuiſſe, communem quoque utrique populo religionem, communes Deos, communem auſpiciorum & vatici-
p. 19. niorum morem fuiſſe. Hoc loco Kruzmanni, quem ab Alemannis acceptum Deaſtrum Argentina ſuperſtitioſa coluiſſe fertur, mentionem facit, eumque pro idoli alicujus Græci aut Romani ſtatua certiſſime habet. De Jure Alemannorum ſatis conſtare, quid circa illud, ſubjugata Alemannia, Francorum Reges, Theodoricus, Childebertus, Chlotarius II & Dagobertus fecerint. Ceterum lingua a Germanis non alienos fuiſſe Alemannos, ex variis antiquitatis fragmentis, partim ex nominibus Regum Alemannicorum, originem German. referentibus, conſtare. Genti vero populoſiſſimæ bellisque gerendis natæ nunquam defuiſſe materiam bellandi, imprimis cum Romanis eorumque Imperatoribus, labeſcente Romana potentia, & Gallici ſoli ubertate ſubinde Alemannos, una cum remotiſſimis
22. Germaniæ populis, alliciente, initio *Cap II* oſtenditur, quod *de rebus Alemannorum geſtis usque ad extinctam eorum remp.* inſcriptum eſt. Itaque juſta bellorum, quæ Alemanni Romanis Imperatoribus moverunt, hiſtoria contexitur, initio facto ab infelici Alemannorum cum Baſſiano Caracalla prœlio, circa a. ær. Chriſt. 213 ær. Capitol. 966 ad Mœnum commiſſo. Quam infeſta, quamque pervicacia fuerint illa bella, quantis copiarum cædibus partæ Romanis victoriæ conſtiterint, quæ vaſtitas a Barbaris irruentibus Galliæ Italiæque inducta, quoties debilitati opibusque exhauſti Alemanni, velut a Maximino Thrace, Probo, Maximiano Herculeo, Conſtantio Chloro, Conſtantino M. Juliano, Theodoſio M. & Honorio, tamen arma ſubinde reſumſerint, ex occiſorum ſanguine quaſi novis exercitibus enatis, utque pacem ſuppliciter impetratam, velut a Conſtantini M. filio, Conſtantino, Julianoque, mox immani ferocia
37. iterum perruperint, juxta ſeriem temporum exponitur. Nec minus Argentorati veteris inclutæ in illis bellis memoriæ ſtudioſus, Noſter inter illas 45 ad Rhenum urbes, a Barbaris per Julianum Cæſarem receptas, Argentoratum fuiſſe docet, celebre
43. in campis Argentoratenſium cum ſeptem Alemannorum Regibus conſertum prœlium, victoriamque ab eodem Juliano obtentam,

tam, deſcribit, ſimulque conjecturam, quaſi Argentoratum ex vico oppidi formam ab hoc victore acceperit, erudite confutat. Sed ad oppreſſionem Alemannorum, a Francis demum factam, ſe convertens, tum occaſionem bellorum, tum ipſa cum Francorum Regibus bella, demum inclutam ad Tolbiacum pugnam, fatali Alemannorum occidione non magis, quam Chlodovæi R. ad Chriſtianorum ſacra converſione memorabilem, porro initiationem Regis, ejusque vulgo tradita miracula, exponit. Ceterum, totam fere Alemanniam Francici juris factam, poſtea per Duces a Francicis Regibus conſtitutos regi cœpiſſe, inde Ducatum Alemanniæ exortum, ipſam quoque Alſatiam tractu temporis complexum eſſe, ſaltem attingit, & cum fine libertatis populi Alemannici finem commentationi ſuæ imponit, cujus meritis quidem laudibus nihil officiat, ſi, reſtare adhuc non pauca, dicamus, quæ ſolertis alicujus Antiquitatum Alemannicarum indagatoris curas mereantur, qualis ut propediem ſeſe offerat, ac veſtigiis Autoris noſtri doctiſſimi inſiſtat, amor harum literarum exoptare nos jubet.

p. 55. 58.

GOTOFREDI MASCOU EXERCITIO INauguralis de Sectis Sabinianorum & Proculianorum in Jure Civili.

Altdorfii Noricorum, typ. J. G. Kohleſii, Acad. typogr. 1724, 4. Plag. 11.

NOn ſine magna lætitiæ ſignificatione recenſita eſt nuper his ipſis in Actis M. Jun. 1724 pag. 258 ſqq. doctiſſima Jo. van NISPEN diſſ. inaug. juridica de ſepulchro violato, meritoque in fine ejus recenſionis, crebrior hujusmodi Diſſ. inaugur. voluminibus quorundam præferendarum, transmiſſio exoptatur. Ac omnino nobis gratulamur, quod eidem nunc jungere liceat hanc, cujus modo titulum dedimus, eruditam certe exercit. inaug. haud ita multo poſt, quam *Cl. van Niſpen* ſuam edidit, publice Altdorfii ſolemniterque excuſſam, cujus Nobiliſſimus Autor, qui Celeberrimi Fratris docta veſtigia ſollicite premit, dignus ſane eſt, cujus laudibus elegantiſſimus ille

Scazon, a feliciſſimo juxta & undecunque doctiſſimo Academiæ Altdorf. Poeta & Oratore adjectus, deſtinaretur. Recenſebimus, quoad fieri poteſt breviter, & ipſis fere Cl. Autoris verbis, laudatam Diſſert. quæ Capitibus omnino VIII abſolvitur. De ſingulis pauca delibabimus.

Cap. I *de Origine Sectarum & primis earum autoribus*, exponit, ac paulo fuſius de *C. Atejo Capitone*, & *Q. Antiſtio Labeone* tractat, quos *pacis decora* Tacitus appellet, quique originem dederint ſectis, quibus *Sabinus* & *Proculus* deinde nomen adjecerint.

Cap. II *de Primoribus Sectæ Sabinianæ* inſcriptum eſt, oſtenditurque in eo ſtatim ab initio, *Maſſurium Sabinum*, qui *Capitoni* ſucceſſit, Scholæ ſuæ nomen *Sabinianum* reliquiſſe hæreditarium. Prolixe hic de eodem *Maſſ. Sabino*, *C. Caſſio Longino*, (a quo Caſſianæ Scholæ nomen deductum,) *M. Cœlio Sabino*, (Caſſii ſucceſſore, qui extinctum fere, Caſſii fama, Sabinianorum nomen Scholæ quaſi poſtliminio reddidit,) *Priſco Javoleno*, *Aburnio Valente*, *Tuſciano*, *Salvio Juliano*, ultimo Scholæ Sabinianæ antiſtite, agitur, fitque tranſitus ad

Cap. III, *de Primoribus Sectæ Proculianæ* inſignitum. Obſervat Clar. Autor, Cujacium Obſerv. Lib. XVII cap. 28 monuiſſe, in optimo quodam codice regularum Ulpiani conſtanter legi, *Proculejanos*, uti & in Pandectis in L. 2 de O. J. ſcriptum legatur hoc nomen; ſe tamen ipſam vocis analogiam ſequi malle, quam & Imperator in §. 25 Inſt. d. D. R. ſit amplexus. Inter *Labeonis* ſectatores primum apud Pomponium in enchiridio obtinere locum *M. Coccejus Nerva*, *pater*, hic memoratur, qui Cæſari Tiberio familiariſſimus, ſecundum eundem Pomponium, fuerit, obſervaturque, *filium* habuiſſe M. Coccejum Nervam, JCtum, qui ipſi cum Proculo ſucceſſerit; *nepotem* Nervam Imperatorem. Subjungitur *Sempronius Proculus*, ex cujus nomine, honorificum duxerint diſcipuli, *Proculiani* dici. Eodem tempore vixiſſe *Coccejum Nervam*, *filium*, probat Cl. Autor, eique comitem addit *Longinum*, a Caſſio Longino diverſum; *Pegaſum* deinceps producit, de quo cum nonnihil dubitanter ſcribere videatur Cl. Autor, nobis infra

pauc[is]

paucis de eo diſſerendi occaſio erit. Hunc ordine excipere videmus *Celſum*, *patrem*, cui *Juventii* prænomen gentilitium, & ita cum filio commune fuiſſe, Grotio fuit perſuaſum; quem ſequitur continuo *Juventius Celſus*, *filius*, qui Proculianam deinde Scholam nobilitaſſe fertur; denique *Neratius Priſcus*, qui agmen Proculianorum apud Pomponium, cujus teſtimonio Conſul fuiſſe probatur, claudit. Horum omnium vita & merita ſtrictim percenſentur.

Cap. IV titulo gaudet: *de Sabinianis & Proculianis quibusdam ſecundi ordinis.* Memorat Cl. *Maſcov*, ſe, poſtquam ad ductum Pomponii in enchiridio, de iis JCtis, qui utriusque Sectæ antiſtites & quaſi primarii vindices extitiſſent, dixerit, eos nunc JCtos, qui alterutri Sectæ ab interpretibus accenſentur, ab iis ſeligere velle, qui poſtea media via incedentes, HERCISCUNDORUM numero habendi ſint. Ac primum eos in ſcenam producit, quos *Proculi* partibus addictos reperit, in quibus ætatis ordine primas tenet *Atilicinus*, qui non infimi ordinis JCtus Juſtiniano audit: hunc excipiunt *Urſejus Ferox* & *Titus Ariſto*, Plinii elogio condecoratus. *Ulpium Marcellum* & *T. Cajum*, quos nonnulli Proculianis annumerant, veriſimiliori conjectura, media jam via inceſſiſſe, alibi ſe probaturum ſpondet Autor. Pergit hinc ad *Sabinianos ſecundi ordinis*; nominatim ad *Minicium Natalem*; *Sextum Cæcilium Africanum*; *Terentium Clementem*; *Voluſium Mæcianum*; denique *Vindium Verum.* Addit, *Cervidio Scævolæ* non ſine ratione inter *Herciſcundos* locum ſe dediſſe. Atque ita progreditur ad

Cap. V, agitque in eo *de cauſis*, *progreſſu & exitu ſectarum in Jure Civili.* Culpam omnem unius hominis ambitioni tribuendam putat, *Antiſtii* nimirum *Labeonis*, qui ingenii æſtu & doctrinæ fiducia ſublatus, extra veterum traditionum fines longius evagari cœperit, neque Sectatoribus deſtitutus fuerit, preſſus vero ſimul ſit invidia *Ateji Capitonis*, in iis, quæ ei a Præceptoribus tradita eſſent, perſeverantis. Horum deinde magiſtrorum veſtigiis inſiſtentes diſcipulos, qui *Labeonem* ſequebantur, in alto vehi, & Philoſophorum ratiocinia liberrime juri civili immiſcere; qui *Capitonis* placitis inhærebant, preſ-

Digitized by Google

ſius diſputare, & morem civitatis Philoſophorum argutiis præferre voluiſſe, ait, ſecuros, ſi ſub veterum autoritate deliteſcerent. Hinc *Auguſtum*, qua ex cauſa, incertum, conſtituiſſe, ut ex autoritate ipſius reſponderent JCti; ſubfuiſſe forſan occultam firmandæ dominationis rationem, qua incertum hac ratione jus redderet, cum contraria diverſæ Sectæ JCtorum reſponſa mire diſtraherent civium animos. *Sabino* inter reliquos hanc poteſtatem a *Tiberio* conceſſam legi, ceteris, ut *Sabini*, ſic *Proculi* aſſeclis, idem beneficium & autoritatis incrementum datum, conjectura veriſimili concludit Nobil. Autor. Sic ſectas ſub Auguſto, Tiberio, Nerone, Veſpaſianis & Trajano, ceterisque, ſletiſſe, donec jam ſuetum tyrannidis populum, primum jure certo ſibi devinciret *Hadrianus*, dein ipſius explicationem antiquo more peritis promiſcue concederet, eoque tolleret *Sabinianorum* & *Proculianorum* diſſidia, fiduciæ ac peritiæ id tribuens, quod antea ſectæ & autoritati concedebatur. Placuit hæc ipſius Cl. Autoris verbis recenſere, qui ea deinceps ulterius deducit.

Cap. VI *Reſponſa prudentum*, *vigentibus Sectis*, conſiderat. Ex autoritate Principis reſpondiſſe Juris peritos, eorumque reſponſa eam autoritatem habuiſſe, ut judici ab iis recedere non liceret, ex inſtitutis patere, ait, diſquiritque deinde, apud quos Judices reſponſorum prudentum maximus fuerit uſus.

In Cap. VII *reſolvitur Quæſtio: an diverſam Philoſophiam ſecutæ ſint Sectæ? Proculianos*, *Servium Sulpicium*, qui primus Philoſophiam Stoicam Juri Civili adjunxit, *Stoicorum* placita Jurisprudentiæ immiſcuiſſe; *Sabinianos* quoque *Stoicorum* præceptis faviſſe, contra *Emundum Merillium*, qui eos Academicis adſcribere voluit, evincitur.

Caput denique VIII, idque ultimum, *præcipuis diſſenſionum inter Sectas*, *quæ ſuperſunt*, *veſtigiis* indagandis deſtinatum eſt. In hoc capite, quod omnium eſt prolixiſſimum, poſtquam generatim, pleraque Sectarum diſſidia jam ante Juſtinianum compoſita fuiſſe, monitum eſt, ſigillatim complura diſſidiorum, quæ inter Sabinianos & Proculianos olim agitata ſunt,

Digitized by Google

ſunt, capita evolvuntur, & nervoſa eorundem recenſio hiſtorica ſuppeditatur, cui diſquiſitioni XXIX §. §. ſunt dicati.

Ceterum *Caput nonum*, in quo de HERCISCUNDIS agere voluit, Cl. Autor, ob ſpatii præfiniti anguſtiam, in præſens omittere, & MISCELLIONES ſuos alii tempori aſſervare decrevit; quibus promiſſis ut, quamprimum fieri poſſit, ſtare velit, omnino eſt exoptandum. Obiter vero in hac elegantiſſ. Diſſ. & alia quædam præclara ſunt obſervata. Ita e. g. p. 251 ſq. memorabile illud *Enchiridion Pomponio* adſcribit, putatque, Lud. Charondam & Franciſcum Hotmanum carpendi impetu ductos fuiſſe, quando ille id a Triboniano, e variis juris autoribus, ſub Pomponii nomine confictum exiſtimavit; hic illud inter fabulas & deliria Triboniani retulit. P. 36, 37 digreſſio de *Edicto perpetuo* reperitur.

Atque hæc eſt brevis, ſed ſufficiens forte Diſſ. hujus inaug. doctiſſimæ recenſio, cui hoc unum addere liceat, dolendum utique eſſe, Cl. Autorem, ubi cap. III p. 21 inter Sectæ Proculianæ Primores PEGASUM quoque numeravit, non inſpexiſſe eruditiſſimum Viri, dum viveret, longe clariſſimi, Jac. Haſæi, de Berytenſi Jureconſultorum Academia, Librum ſingularem, (*) utpote in cujus Capite IV multa, quæ huc pertinent, reperire licet, neque tantum ille locus Juvenalis, in Sat. IV v. 76 ſqq. qui & a Cl. Maſcovio eſt adductus, in quo expreſſis verbis de Pegaſo loquitur Satyricus, hic excitatur, ſed & in Sat. III v. 114 ſqq. de eodem PEGASO agi, perquam ingenioſe oſtenditur. Cum feliciſſimum conjectorem ſe demonſtraverit aliquoties in hac Diſſ. Cl. Maſcov, forte præter rem non acturus foret, ſi nonnulla, quæ in Capite laudato doctiſſime ab Haſæo ſunt diſputata, ulterius in promiſſo hujus ſuæ Diſſ. Supplemento expenderet, ſuamque ſententiam exprimeret

 de

(*) **Occupat is primum locum in quinto Faſciculo novæ Librorum rariorum collectionis. Obiter notamus, in hoc libro p. 112. Cap. XI §. 4 *P. Egnatium Celerem*, cujus occaſione de PEGASO in antecedentibus egit, in Catalogo Philoſophorum Stoicorum Cel. Jo. Alb. Fabricii omiſſum eſſe, notari, quem nec in Supplemento ejus HEUMANNIANO reperimus.**

de iis, quæ p. 46 contra doctiſſ. Bœkelen ſcripſit Cl. Haſæus; & ſi forte de patria Pegaſi, quam ſibi non exploratam eſſe, p. 48 Haſæus fatetur, certiora interim cognoverit, ſimul paucis traderet, iisque adjungeret ea, quæ ſibi viderentur de ingenioſa laudati Haſæi explicatione locorum, quæ ex Juvenalis Satyris ſibi interpretanda ſumſit. Quam felici enim copula, quicquid eſt literarum politiorum & humaniorum, cum Jurisprudentiæ ſtudio conjungere ſatagat Cl. Maſcov, vel hæc ipſa Inaug. Diſſ. cultiſſimo quoque dicendi genere conſcripta, cuivis faciet manifeſtum, ut nequaquam dubitandum videatur, eum multa præclara in his ipſis argumentis, ad quæ expendenda felix ipſius ingenium induſtriamque provocare auſi modo ſumus, eſſe allaturum.

TRAITE' DES FORCES MOUVANTES PAR Mr. de Camus, Gentilhomme Lorrain.

hoc eſt,

TRACTATUS DE VIRIBUS MOTRICIbus, Autore CAMUSIO, Nobili Lothar.

Pariſiis, apud Claudium Jombertum & Laur. Contium, 1722, 8.
Alph. 1 plag. 11, Tabb. æn. 8.

CL. Autor populari modo proponit, quæ in Mechanicis hodie demonſtrari ſolent & machinas nonnullas atque inſtrumenta mechanica breviter deſcribit. In duas igitur opus ſuum diſtribuit partes, quarum priore de æquilibrio corporum gravium, de vulgo ſic dictis potentiis mechanicis, de percuſſione, cum in genere, tum gravium cadentium atque elaſticorum, & de motu corporum agit; poſteriore machinas a ſe potiſſimum inventas, ut ait, e. gr. machinam ad conterenda corpora, veluti herbam Nicotianam, in pulverem ſubtilem, geranii quoddam genus ad onera facile elevanda, machinam ad palos celeriter infigendos, machinam parallacticam ad aſtrum in centro teleſcopii conſtanter retinendum, novos remos navigiis majoribus applicandos, ut aere tranquillo progrediantur, embolos antliarum

antliarum facillime agitandos, horologium nonniſi ſex rotis conſtans, horologium exiguum minuta ſecunda monſtrans, horologium exiguum portatile ſonitu campanulæ horas & ejus quadrantes indicans, etſi ipſum nonniſi unico elatere animetur, carpenta & currus varii generis ab ordinariis diſſidentes. Ceterum parti etiam priori theoreticæ practica immiſcet, cum magis praxis, quam theoria ipſi curæ cordique eſſe videatur. Huc pertinent, quæ de inceſſu hominum, de motu navium, de affrictu corporum, de fornicibus, de natura aeris & ſoni, de natura aquæ & venti in uſum motus navium &c. habet. Non tamen diſſimulandum eſt, pleraque uberiorem mereri diſcuſſionem, & figuras, qnibus machinæ repræſentantur, eſſe admodum imperfecte delineatas.

DELLE SEZZIONI CONICHE DEDOTTE nuovamente in Piano dal Cerchio &c.

i. e.

CONI SECTIONES NOVA RATIONE IN plano a Circulo deductæ, & ſpeciminis loco propoſitæ, ut exinde de reliquis, quæ ab eodem deduci poſſunt, judicium fiat; Autore VINCENTIO SANTINI, *Florentino.*

Lucæ, apud Dominicum Capurri, 1722, 8.

Plag. 6 Fig. æn. 28.

DEbetur opuſculum hoc Conicum Nobili Florentino, qui ut ipſe in dedicatione ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dominum Falconerium, almæ Urbis Gubernatorem, & Typographus in Proſphonemate ad Lectorem dedicationi ſubjuncto teſtatur, diſcipulus eſt Famiani Michelini & Jo. Alphonſi Borelli. Cardinali Baſadonnæ in negotio Legationum quondam ab epiſtolis fuit, ipſoque ſuadente & ex mandato Reginæ Sueciæ Chriſtinæ impreſſioni pulcherrimi operis de motu animalium præfuit; jam vero ab annis plusquam viginti Saliſani, Abbatiæ Furfenſis, haud procul Roma commoratur. Hyperbolam, a qua incipit,

Digitized by Google

cipit, conſtruere docet, circuli Diametrum ſumendo loco Diametri Transverſæ, capiendo abſciſſas in ejus productione, & ordinatas æquales Tangentibus circuli ductis ab extremitatibus abſciſſarum. Poſtquam hoc modo Æquilateræ (hanc enim ſub Hyperbolarum nomine ſolam conſiderat) generationem abſolvit, & definitiones ſubjecit Lateris Transverſi & Recti, Centri, Diametri, Aſymptotorum, Foci, Applicatarum & Abſciſſarum, nec non generationem Oppoſitarum & Conjugatarum Sectionum; proprietates aggreditur Hyperbolarum. Prima propoſitio oſtendit rationem inter Ordinatas & Abſciſſas; & poterat corollarium eſſe perfacile ipſius generationis. Secunda cum corollariis Aſymptotiſmum attingit. Tertia Tangentes determinat. Quarta exhibet rationes Segmentorum, quæ fiunt in Diametro ab Ordinata, Tangente, & vertice Hyperbolæ. Quinta probat, Tangentem productam Aſymptotis occurrere. Sexta de æqualitate agit portionum Tangentis inter contactum & utramque Aſymptotum interceptarum. Septima demonſtrat biſſectionem rectæ ad Aſymptotos terminatæ, & parallele incedentis Tangenti; a recta per centrum & contactum. Octava ſuſcipit idem reſpectu rectarum ad hyperbolam terminatarum, conditionibus reliquis poſitis, ut ante. Nona hujusmodi eſt: invenire Hyperbolæ Focum, ad quem applicata poteſt quartam partem ejus, quod fit ſub latere Transverſo & recto. Et hic cum de Hyperbola finiat, nihil etiam eſt quod addamus, niſi quod pleræque demonſtrationes non ex generatione, vel proprietate inde deducta, uti conveniebat, ſed ex aſſumtione ejus, quod probandum eſt, & figura ad ejus tenorem quomodocunque ſuppoſita, ducantur; unde fit, ut plerisque ſit commune vitium circuli & ut nil probent. Quales cum ſint pleræque per totum opuſculum, ſatis erit indicaſſe quasdam, in quibus res in oculos magis incurrit. Sic in ſexta de Hyperbola aſſumit paralleliſmum rectæ *NK* & Aſymptoti *QA*, a quo præciſe totum negotium pendet; aſſumit, inquam, nam ex conſtructione, cui demonſtrationem illam ſuperſtruit, non ſequitur. In octava ſumit pariter a lineis, quas Aſymptotis parallelas ducit, conſtitui parallelogramma circa eam, quæ per cen-

trum

trum & contactum; uti circa Diagonalem communem. Parabolæ generatio hæc eſt. Abſciſſæ ſumantur ſuper circuli Diametro & ductis ad ipſarum extrema perpendicularibus, capiantur in ipſis ordinatæ æquales chordis circularibus, quarum arcus inde a vertice abſcindunt dictæ perpendiculares. Diametrum circuli vocat Diametrum Parabolæ, eamque proinde cum Latere recto eandem facit. De geneſi reliquæ portionis Parabolicæ, quam circulus ejus non capit, quaque producendum erat crus utrumque parabolicum in infinitum, ne γρῦ quidem. Parabolas, a circulis concentricis vel Diametros in directum habentibus genitas, congruentes vocat. Ubi in Prop. 10 oſtendit, quo modo inter ſe ſint abſciſſæ & ordinatæ Parabolicæ, Tangentes ducit in undecima. Duodecima de Aſymptotiſmo Parabolarum congruentium agit; & hic Geometria Parabolica finitur. Ellipſeos generationem tam parum concinnam affert, ut mirari ſubeat, ex quamplurimis modis, quibus Ellipſin ope Circuli conſtrui nemo non novit, Autorem incidiſſe in interſectionem circulorum, quorum centra ſunt Ellipſeos foci ſeu poli, ſemidiametri autem inter quantitates datas æquales diſtantiis foci cujusvis ab utroque vertice ſic variant, ut, quantum una augeatur, tantum minuatur altera. Sed ſic novum habitum induiſſe ſibi videbatur deſcriptioni vulgari per filum axi æquale & affixum axi in focis, e qua manifeſto deducta eſt aliena illa per circulos generatio. Quicquid ſit, facile quilibet ſibi perſuaſerit, proprietates quasdam vulgo ex una deduci ſolitas, etiam ex altera conſequi. Qualis materies octo corollariis continuis hic implendis inſervit. Hæc ſequitur Tangentis determinatio pr. 13; ratio ſegmentorum, quæ fiunt ab axe, in rectis, ad extrema axis contingentibus parallelis, pr. 14; nec non quæ fiunt a Diametro in rectis parallelis ad contingentes extrema illius Diametri, pr. 15. Decima ſexta hæc eſt: ſi ducta fuerit Tangens utcunque & a Tangentibus Ellipſeos vertices ſecetur, a punctis autem interſectionum ad focos rectæ ducantur lineæ; anguli ſub his comprehenſi ſunt recti. Demonſtrationes decimæ tertiæ & decimæ ſextæ iisdem nævis laborant, quales ad ſextam ſupra notavimus; undecima & decima quinta aliis ſibi

propriis; quod quivis facile deprehendet, ut operæ pretium non ſit, multa ea de re commemorari. Decima ſeptima propoſitio: data Tangente & circulo circa axem Ellipſeos, quæ a focis ad interſectiones circuli & Tangentis ducuntur, perpendiculares ſunt Tangenti. Decima octava, quæ numerum claudit: in ſimilibus & concentricis Ellipſibus, ſeu quarum axes ſunt proportionales & coincidunt, ducta quavis Diametro, quæ ab interſectionibus hujus cum utraque curva ad axem fiunt normales, inter ſe ſunt ut diametri, quarum extrema ad dictas interſectiones conſiſtunt. Ubi difficile eſt aſſequi, quidnam ſibi hic velit hypotheſis ſimilitudinis, & coincidentiæ axium. Neque id ex demonſtratione perſpicitur; non enim hæc magis, quam reliquæ, ex hypotheſi propoſitionis ducitur.

COMPENDIO DELLE SEZIONI CONICHE d'Apollonio &c.

h. e.

APOLLONII DE SECTIONIBUS CONI Doctrina in facile Compendium redacta & recentius inventis proprietatibus aucta; Autore P. GUIDONE GRANDO, *Theologo & Mathematico S. R. C. Magni Ducis Hetruriæ.*

Florentiæ, e Typ. S.R.C. apud Tartini & Franchi, 1722, 12. Plag. 6½ Tabb. æn. 7.

IN tanto numero ſcriptorum, qui tradunt proprietates Sectionum Coni, etiamnum deſiderabatur Liber aliquis mole parvus, materia plenus, in demonſtrationibus brevis, &, quod palmarium eſt, ad Veterum methodum conſcriptus. Rem igitur fecit gratiſſimam & utiliſſimam Geometriæ ſtudioſis Celeberrimus *Grandus*, qui tam eleganter, tam copioſe, & tanta nihilominus brevitate perſequutus eſt hanc partem Geometriæ, quam in Scholis plerique vix hactenus attigerunt, ſpiſſitudine voluminum vel Analyticis characteribus deterriti, & idcirco


ultra Elementa Euclidis raro progreſſi. Generationem Curvarum harum e Cono petit, quam ad eruendas proprietates tam commodam eſſe conſtat ac aliam quamvis. Ex ipſis vero proprietatibus paſſim elicit alias in conſtructione Problematum commodiores, quibus vel per motum continuum, vel per plura puncta Sectiones Coni in plano deſcribuntur. Cum cuilibet notum ſit, quænam in hujus generis ſcriptis locum inveniant, nihil attinet de ſingulis dici. Commemorabimus igitur ſumma capita tantum, eo ordine, quo Sectionum proprietates in ipſis diſpoſitæ ſibi mutuo connectuntur. Principium fit a relationibus, quæ ſunt inter abſciſſas in Axibus & reſpondentes ordinatas: hinc prodit Theoria Tangentium, a qua deinde progreſſus fit ad ordinatas ad Diametros quasvis. Porro Foci determinantur, cum proprietatibus hinc pendentibus, compluribus adjectis, quas recentiores adinvenerunt. Aſymptotiſmus Hyperbolarum etiam plene & pro rei dignitate explicatus comparet. Ubique, quæ generalia ſunt & Sectionibus tribus communia, unicæ propoſitioni inſerta unica quoque demonſtratione firmantur. Sub finem dimenſiones variorum Spatiorum imprimis Parabolicorum & Hyperbolicorum, nec non corporum e ſpatiorum hujus generis revolutione prodeuntium ſubjiciuntur, & plerumque per Indiviſibilia, interdum tamen etiam per ſpatia differentialia, ſed ſynthetice ubique demonſtrantur. Inter dimenſiones etiam locum habent Archimedeæ, quoad Sphæram, Cylindrum & Conum, item Circuli quadratura per Indiviſibilia expedita. Quibus omnibus accurate perfectis, nil ſupereſt aliud, quod addamus, quam Cl. *Chriſtianum Aug. Hauſen*, Matheſeos in hac Academia Profeſſorem, utilitate operis permotum inter perlegendum verſionem hujus opuſculi Latinam adornaſſe, in gratiam auditorum, brevi cum Lectionibus ejus Geometricis prodituram, & ab originali ſuo non differentem, niſi quod rationes & rationum compoſitiones ſymbolis expreſſerit, qualibus in his Actis paſſim utimur, Demonſtrationes interdum breviores & concinniores, interdum, ubi e re Tyronum eſſe videbatur, ſuppletis quibusdam & evidentius expoſitis illationum nexibus, faciliores effecerit, figuras, in quibus

Chalcographus ab Hypotheſi aberraverat, accuratius conſtruxerit, & Indiviſibilium rationibus ſubſtituerit ubique Homogeneorum naſcentium & evaneſcentium rationes primas & ultimas; exemplo propoſitionis XLIV hujus ipſius Tractatus.

EXCERPTUM EX SCHEDA IMPRESSA Lincii apud Jo. Michaelem Feichtinger d. 12 Julii 1724, & Collectoribus horum Actorum inſcripta, ſub Titulo: Novus Practico-Geometricus Cyclomaliſmus, ſive Quadratura Circuli Arithmetico-Geometrice demonſtrata.

INduſtrius hic Quadraturæ Indagator, Rotulæ evolutione Peripheriam dimenſus, teſtatur, ſe reperiſſe rationem ejus ad Diametrum triplam *24 : 23*; proportiones Metii & Hugenii eodem Mechaniſmo ſub examen vocatas in exceſſu peccare. Praxin Mechaniſmi ſui variasque tentativas, quibus in opinione ſua confirmatus fuerit, ſigillatim exponit, & ratione *24 : 23* reducta ad $15 \times 24 : 15 \times 23 = 360 : 345$, Peripheriam ad Diametrum ponit *360 : 115* ſeu $3\frac{15}{115} : 1$, adeo, ut exceſſus Peripheriæ ſuper triplam Diametrum ſit $\frac{15}{115} = \frac{1}{7\frac{2}{3}} = \frac{1}{8-\frac{1}{3}}$ $= \frac{1}{7+\frac{2}{3}}$. Ita enim intelligimus, quando ait, exceſſum, ſeu partem illam, quam vocat differentiam coæquativam Peripheriæ ad triplam Diametrum, *majorem eſſe reſpective una ſui tertia parte, quam ſit una octava; minorem vero duabus ſui ipſius tertiis, quam ſit una plena ſeptima Diametri*; neque hæc aliter intellecta ſibi conſtare poſſunt, quicquid ſit de ſenſu literali verborum. Jam idem demonſtrandum ſibi ſumit Arithmetice & Geometrice, &, ut ait, independenter a rotulatione, ratione convincente. Præmiſſis enim poſtulatis, quæ nihil attinet hic poni, cum vulgo ab omnibus concedantur, enunciat, Periphe-

Peripheriam Circuli circa M radio MA deſcriptam eſſe æqua-„ lem AB datæ (quam in Schemate non expreſſimus). *Demon-„ ſtratio*: ſit enim NQR Iſopleurus; ad NP Diametrum fiat AD Normalis occurrens lateri NQ in K: & intelligatur quædam AB æqualis Peripheriæ. Centro γ Radio $A\gamma$ deſcriptus ſit Circulus $AX\Phi$, ſic, ut $A\gamma = \frac{1}{6} AB$, & inſcribatur *huic Iſopleurus* AXY, *cujus latus* XY *occurret Diametro* $A\Phi$ *in eodem puncto* K, *in quo occurrit* NQ. Quare cum $KA : K\Phi = 3 : 1$ erit $KA = \frac{3}{4} A\Phi =$ (per hyp.) $\frac{3}{4} \times \frac{1}{3} AB = \frac{1}{4}$ Peripheriæ Diametri AD. Igitur AK eſt quarta pars Peripheriæ quæſitæ & proinde datur $AB = 4\, KA$ ſeu Peripheriæ integræ. Sic enim credere par eſt, Autorem voluiſſe inferre, cum independenter a rotulatione ſe demonſtraturum promittat; etiamſi in ſequentibus ipſam AB conſiderare videatur tanquam ex evolutione circuli in quæſtione genitam. Conſulto omittimus expoſitiones numericas, & quæ de ambitu Hexagoni circulo $AX\Phi$ inſcripti, de Trigono ſuper latere $A\Phi$, & perimetro Quadrati ſuper KA afferuntur, & reliqua, quæ vel cum ante dictis coincidunt, vel ad rem haud faciunt, ſi præcedentia ſibi conſtant.



NOTA AUTORIS EXCERPTI PRÆCEDENTIS.

Ex Clavio & Tacqueto, quos citat, conſtare poterit Quadraturæ Indagatori eximio, Demonſtrationes Geometricas e definitionibus & propoſitionibus exſtrui, quæ vel per ſe evidentes ſunt, vel alibi jam demonſtratæ fuerunt. Haud igitur apparet, quo jure Mechaniſmum liceat ipſis fundamenti loco ſubſternere; & adhuc minus, qua evidentia ex iis, quæ in materiali

riali rotula obſervavit, convellere liceat approximationes e circuli natura & inſcriptione Polygonorum oſtenſas: cum Mechaniſmus ejusmodi illico falſitatis convincatur, ſi aberret a determinationibus in neceſſariis propoſitionibus, & immutabili rerum natura fundatis, quippe cujus perfectio in eo conſiſtit, ut ad ſenſum exhibeat easdem menſuras, quas ratio Geometrica comprobavit. Archimedes oſtendit, Peripheriam eſſe ad Diametrum in majore ratione quam $3\frac{1}{7\frac{1}{10}}$: 1; *an hoc convellet Rotula Autoris, peripheriam ad Diametrum in minore ratione videlicet* $3\frac{1}{7\frac{2}{3}}$: 1 *prodens? Hugenius & reliqui iterata inveſtigatione idem invenerunt, & rationem periph. ad Diametrum numeris ad convergentiam cum vera ratione longius productis expreſſerunt. Horum omnium demonſtrationes Autor convellat oportet, indicatis paralogiſmis: id quod nunquam faciet. Quod ad ejus Demonſtrationem attinet: videat, quomodo probare poſſit, interſectiones ipſarum YX & NQ coincidere in idem K punctum Diametri AΦ. Cum enim hic de Demonſtratione Geometrica quæſtio ſit, & AB independenter a rotulatione, ut ait, conſideretur, haud ſufficiet provocare ad experimentum, & quod conſtruendo figuram, ut præcipit, coincidere deprehenſæ ſint.*

EPISTOLA AD AMICUM DE COTESII *Inventis, curvarum ratione, quæ cum Circulo & Hyperbola comparationem admittunt.*

Londini, impenſis Guil. & Joh. Innys, 1722, 4.

Plag. 12.

OPus poſthumum *Coteſii*, quod ſub Harmoniæ menſurarum titulo edidit *Robertus Smith*, in Actis anni 1723 pag. 157 recenſetur. Cum Vir quidam doctus, qui ſub litteris initialibus *H.P.* latere voluit, ab amico ſuo *J.W.* judicium de *Coteſii* inventis expeteret; hanc ad eum epiſtolam exaravit, in qua tum demon-

demonſtrare conatus, quæ *Coteſius* invenit & ſine demonſtratione cum publico communicavit Editor, tum pauca ſupplevit, quibus limandis ut ultimam manum imponeret *Coteſius* ipſe, mors improviſa & præmatura impedivit. Notat autem H. P. omnia *Coteſii* inventa ab iis deduci, quæ ſummus *Newtonus* in eximio de Quadratura Curvarum Tractatu ſcripſit. Tabulam *Coteſii* primam nihil differre a prima forma in Tabula illuſtris *Newtoni*, quæ curvarum menſuram exhibet a circulo & hyperbola pendentium. Secundam Tabulam *Coteſianam* cum ſecunda formarum *Newtoni* convenire, & rationem, qua Tabulæ hujus curvæ metiuntur, a forma memorata *Newtoni* facile deduci. Non ſufficit hæc affirmaſſe, ſed, quod Vir doctus affirmat, opere ipſo oſtendit. Monſtrat nimirum primo loco, quomodo *Newtonus* determinet aream curvæ, cujus abſciſſa eſt z & ordinata $ez^{\frac{1}{2}n-1} : (e+fz^n)$ & quomodo inde, ſi area eſt ad ellipſin, area Curvæ in Tabula *Coteſii* derivetur, cujus ordinata eſt eadem. Idem monſtrat in eo caſu, in quo curvæ quadratura ab hyperbola pendet. Et eodem, quem expoſuit, modo Tabulas quoque *Coteſii* tertiam, quartam, quintam & ſextam a formis *Newtoni* facile derivari monet. Partes ſuperiores ſeptimæ & nonæ, & inferiores octavæ ac decimæ non difficilius deduci a *Newtoni* placitis, e quibus una cum tabulis tertia & quarta, quinta & ſexta reliquæ quoque harum tabularum partes deducantur ope prop. 8 Quadrat. *Newtoni*. Tabulam undecimam eſſe eandem ac formam ultimam *Newtoni*. Tabulam duodecimam inveniri ponendo $k + lz^n = x^r$. Tabulas 13, 15 & 16 easdem eſſe ac formas 5, 7 & 8 *Newtoni*, & curvarum in iis exhibitarum quadraturam haud difficilius deduci a *Newtoni* præceptis, quam a Noſtro tabula ſecunda inde deducta fuit. Quadraturam curvarum in tabulis 14 & 18 inveniri, ponendo denuo $k + lz^n = x^r$. Tabulam denique 17 a proxime ſequente deduci ope prop. 8 Quadrat. *Newtoni*. Progreditur Noſter ad alteram inventorum *Coteſii* partem, quæ ad duos locos generales reducit, quorum alter curvas ordinatas rationales habentes continet; alter autem curvas cum ordinatis irrationalibus

bus

Digitized by Google

bus ſive ſurdis. Curvas ordinatarum rationalium metiendi ratio oritur ex methodo *Coteſii* ad quadraturam omnium curvarum, quarum ordinatæ ſunt fractiones rationales cum denominatoribus binomiis, quam Noſter diligenter excutiendam eſſe cenſet, propter eximiam elegantiam in methodis generalibus raro inveniendam. Quamobrem cum ea pendeat a theoremate, quod *Coteſius* invenit, ad aſſignandos diviſores omnium ejusmodi binomiorum, hoc ipſum ante omnia demonſtrat: quo facto, oſtendit, quomodo inde curvas illas metiamur, quarum ordinatæ denominatores habent binomios vel trinomios, tum etiam quomodo curvæ, quarum ordinatæ habent denominatores rationales multinomios, eodem modo tractari poſſint, reſolvendo denominatores in diviſores binomios & trinomios. Ceterum probat Noſter ex literis A. 1676 cum *Leibnitio* communicatis, quod jam tum *Newtonus* noverit viam conferendi cum circulo & hyperbola curvas ordinatarum rationalium, dividendo earum denominatores in diviſores binomios. Oſtendit porro, quod *Coteſius* rationem partiendi omne trinomium in duo alia derivaverit a regula nota ad dividendam æquationem biquadraticam in duas quadraticas. Enimvero cum etiam detur ratio dividendi trinomium, quando in duo binomia reſolvi nequit, in numerum quemlibet trinomiorum; eandem Noſter quoque exponit. Utitur autem artificio *Coteſii*, quod in arcus circuli diviſione conſiſtit. Poſtquam igitur docuit, quomodo caſus curvarum, quarum ordinatæ habent denominatores trinomios, generatim perficiantur; jam ulterius aperit, quænam *Coteſius* circa curvas ordinatarum quadrinomiarum præſtiterit, monet ſcilicet, denominatorem quadrinomium facile reſolvi in factores binomios & trinomios, ponendo eum $= o$. Nec negligit rationem ſupputandi areas curvarum, quarum ordinatæ denominatores habent ex terminis quinque vel ſex compoſitos, quarumque mentionem facit Cl. *Coteſianorum* Editor. Expeditis iis, quæ ad curvas ordinatarum rationalium pertinent, unum alterumque de curvis ordinatarum irrationalium addit, oſtendens, quomodo *Coteſius* quadraturam dederit eas reducendo ad rationales. Obſervat autem in genere, curvas, quarum ordina-

Digitized by Google

ordinatæ complectuntur trinomia irrationalia, tractari poſſe ſine limitatione reducendo eas ad curvas ordinatam habentes, cujus pars irrationalis nonniſi binomium eſt, idque non tantum, cum pars rationalis denominatoris eſt trinomium, ſed quando ea pars multinomium eſt quodcunque. Denique hanc reddit rationem, cur nihil de theorematis dixerit, quas ad tabulas ſuas continuandas conſtruxerit, quia ſcilicet ſine ulla ſingulari arte à propoſitionibus ſeptima & octava Quadrat. Curv. *Newtoni* deducuntur. Commendat tamen illorum utilitatem ad levandum tædium ſupputandi in ſolvendis problematibus.

Cum Cl. Editor hujus epiſtolæ anno ſuperiori d. 27 Maji alteram accepiſſet, ab eodem amico ſuo H. P. in qua is methodum generalem trinomia in alia dividendi curvasque inde metiendi, quarum ordinatæ fractiones ſunt rationales cum denominatoribus trinomiis, ulterius perſequitur & inde *Coteſiana* ulterius perficit; eam appendicis loco ad epiſtolam priorem publici juris fecit non male de Geometria ſublimiori meritus, quod ea publico impertiri non dedignatus fuerit, quibus ars inveniendi locupletatur.

JOSEPHI VERZALIÆ, CÆSENATIS Epiſtola altera ad Geometriæ & Philoſophiæ Profeſſores atque Studioſos.

NOn me præteribat, *Eruditiſſimi Viri*, cum pro eo, ut illa declararem & demonſtrarem, quæ ſuperioribus litteris ad Vos datis ſum complexus, ingreſſus ſum hanc alteram Epiſtolam texere atque conſcribere; fore, ut ea in varias, eaſque graves reprehenſiones incurreret. Reprehendent *Amici*, qui ægre fortaſſe ferent, me concitatam anno ante maximi re momenti eorum expectationem tam negligenter explere, litteratorumque hominum ſtudia novis ac recentibus ſemper movere; retinere nunquam. Objurgabunt *Æmuli*, qui cum ad hanc uſque diem ſperaſſent, ſe omnibus lætitiis inceſſuros; me, ſuperiora, præcipuam de motu Doctrinam evertentia, ſin mi-

nus ſubturpicula *Palinodia*, ſilentio certe ac oblivione revocantem videndo, inopinato cernentes, novis iiſque majoribus *Mechanicam* ſcientiam pene omnem labefactantibus, inſigniores ſque hujus temporis lucubrationes convellentibus, in publicum iterum prodeuntem; cum res ipſas adhuc ſibi ignotas neque lubentes improbare poſſint, neque inviti probare debeant; conſilium velut inanem ac futilem verborum ac pollicitationum tantum jactationem damnabunt. Arguent *Viri dicti*, qui iniquiſſime patientur, nuntiis ſemper in dubium incertumque apud mediocriter in his ſtudiis verſatos revocari, nunquam demonſtrationibus refutari ac argumentis refelli principia illa, quibus & omnes hactenus communiter uſi ſunt, & ipſi egregia celebrioraque inventa ſua ſuperſtruxerunt; quæ cum ad hanc uſque memoriam & ſummo honore, & maxima reverentia, non modo a *Profeſſoribus* ſingulis, ſed a cunctis Litteratorum hominum Ordinibus ſint excepta, quis ferat, ea nunc nullius nominis ac loci homunculi dictis, atque ſola autoritate elevari? Increpabunt poſtremo & *Indocti*, ſub quo nomine nunc ſignifico quoſdam, non eos quidem omnium rerum ignaros, ſed vulgaribus ſcientiis vel ſupra mediocritatem imbutos; atque *Geometricis* rebus tinctos quoque ac infectos; qui, cum vix, ac ne vix quidem argumentis, ac firmiſſimis rationibus, eo adduci poſſint, ut ea perdenda fateantur, quibus aliquid falſæ Choragium doctrinæ ſibi compararunt; nedum ſine obtrectatione ac contumelia nunc ferent; meris promiſſis ſibi illarum ſcientiarum eripi fundamenta, quorum prædicatione & apud hebetes ac rudes ſtudiorum exiſtimatores doctrinæ & eruditionis famam ſunt conſecuti, & aliquem inter harum rerum Celebres Magiſtros locum ſunt adepti. Adverſus quos omnes, antequam Epiſtolæ argumentum expono, pauca dicere operæ pretium eſſe exiſtimo. Quanquam *Amicis*, ſi qui ſunt, qui cunctationem hanc noſtram querantur, cum ii potius mea, quam cauſa ſua doleant, habendæ immortales gratiæ ſunt, quod tantopere de noſtra exiſtimatione laborent; nec non etiam atque etiam rogandi, ut deſiderium hoc ſuum, quod diuturnum eſſe vix poteſt, leviter ferant; confirmo

confirmo namque eis, fore, ut quicquid moræ nunc interponitur, id Eruditis majori lucro nominiſque mei Studioſis ſummæ voluptati aliquando ſit. Qui vero hac noſtra ingenii mediocritate, noſtriſque qualibuſcunque ad exornandas ac illuſtrandas ſcientias conatibus anguntur ac merent; ii profecto melius quieti, melius famæ, melius & gloriæ ſuæ conſulerent atque proſpicerent, ſi ſtudium ſuum, ſuamque operam in res difficiles, non in vulgus modo ignotas, ſed & hominibus eruditis obſcuras, patefaciendas atque inveniendas conferrent. Magnus eſt, cum in re *Phyſica*, tum in *Mathematica* campus; patet omnibus hic aditus ad gloriam; multa ſunt, quæ incluſa atque abdita latent in occulto; innumerabilia deſiderantur adhuc & ignorantur; ad hæc eruenda, ac in apricum proferenda induſtriam ſuam convertant; in iis habemus omnes, ubi ſtudium noſtrum laudabiliter locemus, quod aliud ſcilicet comitabitur præmium, quam non honeſtum illud gaudium, illiberaliſque illa voluptas, quæ ex aliorum lapſibus percipitur ab Invidis; qui ut quandoque, atque adeo ſæpe, exultationis atque lætitiæ argumenta cauſasque nanciſcantur; ut plurimum tamen, & tum præcipue, cum non plane ſtultorum hominum dicta atque pollicitationes, majus quoddam eſſe, quam inanes verborum jactationes, præter expectationem ac voluntatem ſuam intelligunt; & miſerrime torquentur, & meritiſſimo dies noctesque cruciantur. Quod attinet ad *Viros doctos*; ii, ut accipere graviter non debent, Eruditorum vulgus, vel ſuorum inventorum pretio, erroribus exſolvi, ac præjudicatis opinionibus liberari; ita non video, cur hanc meam agendi rationem, ipſis fortaſſe argumentorum cauſa ingratam, perhonorificam tamen atque decoram, moleſte ferre poſſint: nam ut omittam, quod hoc ipſum leviter aliorum judicium prætentare; cum ſit animi ſibi diffidentis, ac demonſtrationes ipſas, quibus movetur, evidentiſſimas præ illorum argumentationibus, pro fallacibus atque incertis concluſiunculis habentis, ſummam præ ſe fert adverſus eorum lucubrationes reverentiam; quod ſola rerum inventarum ſignificatione contentus, illis abſolutam cogitata emendandi ſua facultatem conceſſerim, atque ita,

 maxi-

Digitized by Google

maximam meditationis hujus gloriæ partem reliquerim; hoc vero, nonne & ſua laude dignum eſt, & aliqua gratiæ particula eſt excipiendum? *Semidoctis* vero iis, qui nullo alio bono, quam maximæ hominum partis harum rerum ignoratione; & *Geometrarum* locum tenent, & quem *Profeſſoris* gradum ſunt aſſecuti, diis hominibusque invitis obtinent; (quando res eo loci eſt adducta ut major prope horum quam eruditorum hominum ratio habenda ſit) autor magnopere ſum ut quam minime poſſunt, non de his modo, quæ a me conſilio, neque ab ipſis quærendo, neque ipſis aperiendo, occultantur atque teguntur, ſed de illis, quæ omnibus patent ac ſunt in promptu, verba faciant ac temere loquantur, ſic fortaſſe fiet, ut, quam magnificis atque glorioſis de rebus longiſſime ab earum intelligentia disjunctis prædicationibus atque ſermonibus famam opinionemque ſunt conſecuti; eam apud aliquos ſui ſtudioſos, quodque magis familiaris rei ſuæ intereſt, apud ſimplices ac infelices Auditores ſuos facilius tueantur ac ſervent. Vos vero, *Viri* omnes *Geometriæ ac Philoſophiæ Profeſſores* atque *ſtudioſi*, qui tametſi, quæ veſtra eſt erga ſcientiarum cultores benevolentia, aliquo forſitan amoris, nullo mecum amicitiæ vinculo eſtis conjuncti; omnique æmulatione ac rivalitate vacui, atque ab imperitorum, ac harum rerum rudium vulgo ſejuncti, ſpartam, quam illi vix tuentur, mirabiliter illuſtratis,& genio laudabiliter veſtro indulgetis; Vos, inquam, rogo, atque etiam oro, ut conſilium hoc meum, ab Eruditorum inſtitutis non alienum, æqui bonique conſulatis; iisque de rebus, in quibus maximæ *Philoſophiæ* partis, totius pene *Mechanicæ*, atque majoris nominis inventorum everſio & pernicies agitur; me ſpatium aliis quoque meditandi ac cogitandi dare; atque dum in manus meas perveniat, ſi quid ipſi quoque invenerint, expectare, æquo animo patiamini.

Ceterum, nemo non novit; quantum afferat *Philoſophiæ* detrimenti, quantum ruinæ, ſi *percuſſionis* corporum *Leges* ſunt falſæ, ut ego quidem non opinor modo, ſed quotidie magis magiſque tam dilucide intelligo, ut mirer, tot *Viros doctiſſimos*, fato neſcio quonam impulſos, in ipſo ea utendi tempore,

tempore, veritatem illam reſpuiſſe, cujus non Patres noſtri modo, ſed & ipſi in operibus ſuis ſemina ſparſerunt. Verum, ut maximum futurum ſit commemoratum *Philoſophiæ* vulnus; nunquam tamen tantum illud fuerit, quantum illud, quod omnis pene *Mechanica*, omnes fere Recentiorum lucubrationes ſuſcipient; cum oſtendero: Principium illud, quo uno illæ nituntur, non modo infirmum, ſed falſum prorſus eſſe; loquor de *Motuum compoſitione*, qua fit, ut corpora, pluribus viribus eodem tempore in varias plagas acta, non eo, quo a ſingulis impelluntur, tendant, ſed viam quandam mediam ſequantur; quæ ubi duæ ſunt vires, quarum altera alteri ad pares angulos occurrat, *Diagonium* eſſe, communiter *Geometræ* ac *Philoſophi* ad hanc diem arbitrati ſunt. Hac a Majoribus tradita, & a priſcis uſque *Geometriæ* temporibus ducta, uſi ſunt, quicunque in *Mechanicis* ſunt verſati: hac pleni ſunt Antiquorum libri; referta Recentiorum opera; hanc prope unam his temporibus loquuntur, atque in ore habent *Indocti* juxta, atque *Docti* in circulis, diſputationibus & ſermonibus omnibus: hac poſita demonſtravit Vir inſignis *Galilæus* noſter, miſſilia in inani, a tormentorum ac machinarum viribus jaculata atque emiſſa, curſu ſuo ambitum vulgaris *Parabolæ* deſcribere; oſtendit Celeberrimus *Newton*, eadem in certæ craſſitudinis pleno, definita lege reſiſtente, curvam lineam peculiarem, cujus ipſe ſimulacrum accuratiſſime ſcriptum ſub oculis ponit, percurrere: huic, velut totius egregii ſui Operis, *Philoſophiæ naturalis Principia Mathematica* complectentis, fundamento, bonam ſuorum inventorum partem ſuperſtruxit: hac virium, quas *Centrales* vocant, menſura, cum in inani, tum in pleno; hac navium volocitates; hac varii, quos variæ figuræ patiuntur, dum in pleno moventur renixus, ſunt conſtituti; quæque ſit illa ex eis, quæ omnium minimum ſuſtinet, eſt definitum.

Errarunt ergo & ſunt decepti Viri harum rerum Conſultiſſimi, *Galilæus & Newton;* errarunt *Carteſius & Hugenius*, & omnes inſignes illi Autores, qui harum & ſimilium lucubrationum editione nominis ſui gloria totum terrarum orbem impleverunt. Noſque (dicet aliquis) ex una tua aſſertione

one tot atque tantarum meditationum fructum, quem capere maximum poſſemus, amittemus; *Philoſophiaque* pene omnis, & mixta, quam vocant, *Mathematica*, priſtino ſpoliatæ atque orbatæ ſplendore jacebunt? credat hoc Judæus Apella. In præſens id credat, qui vult; ego neminem obteſtor, neminem cogo; tantum moneo, illud recipio, extiturum aliquando tempus, cum ego vel ab invitiſſimis (ſi Viri ſupra commemorati non errarunt) erroris hujus vulgaris confeſſionem extorqueam. Sed quod eſt hoc Paradoxum? *Si non errarunt, confeſſionis errorem extorqueam?* quod mihi Paradoxum narratis? quod? purum eſt hoc ac ſimplex enunciatum; quod eo pertinet, ut intelligatis, vel falſa eſſe principia illa, quæ præclariſſimi illi Viri communiter uſurparunt, atque firmiſſima eſſe evidentiſſime demonſtrarunt; vel infirmam eſſe *Motuum compoſitionem*, atque *paralogiſticas* omnes meditationes illas, quæ ex ipſa ad hoc uſque tempus tam unanimi *Geometrarum* conſenſu ſunt ductæ. Verum amplius; doctrina de ponderibus funibus appenſis, viribuſque per eosdem in ſe viciſſim agentibus, ſin minus corrupta, ac eodem *Paralogiſmo* vitiata, certe ejus contagione ſic eſt affecta, ut quamvis experientiis plane reſpondeat, non ab omni tamen falſæ ratiocinationis labe ſit vacua. Quominus cum hæc, tum ea, quæ ſuperiori epiſtola in lucem edidi, in præſens Vobis explicem, atque accurate demonſtrem, non rationes modo ſupra commemoratæ, ſed Opus illud, de quo ibi mentionem feci, impedimento eſt; quod duodecim ab hinc annis jam informatum, atque novis recentibuſque ſemper intervenientibus rebus, ne falſa ſpecie deciperent, diligenter examinandis, neve effluerent, in Adverſaria mature conjiciendis, ſexcenties intermiſſum; jure quodam ſuo aliquam tandem meditationum mearum partem, ſibi poſtulat atque exigit; quod ſi abſolvero, vel potius, ſimul ac abſolvero (lubet enim ominis ſaltem cauſa, fauſta omnia atque felicem curſum hac in re mihi polliceri) aggrediar ad ea digerenda atque exequenda, quæ de his argumentis ſchedis quibuſdam ſolutis ad opportunius ſcribendi tempus conſignavi, atque ea Vobiscum ingenue communicabo. Interea hæc habete:

Digitized by Google

habete: quantitatem (ſic loquuntur *Geometræ*) diviſam per nihilum, ſeu *Zero*;. non poſſe, ut communis fert Recentiorum ſententia, *Infinitum* quid deſignare, hæ duæ *.y. n. dy,* & $y.\overline{n+1}. : \overline{n+1}$ apertiſſime docent; quæ ſit *Ordinata, Subtangens*, ac *Tangens* in illis earum curvarum punctis, ubi mutantur in o: o; cum natura earum, de quibus *Section. IX Part. 1 Infinit. Parvorum n. 164 ſeq.* paulo melius percepta, tum quarundam aliarum accuratior contemplatio aliquando docebit. Quam vero imperite, quam inſcite (ut inter tot celebria Nomina aliquid etiam puerile ponamus) humidorum, cum concretorum ac ſolidorum preſſu confundatur *de Quadrat. Circul. & Hiperbol. per infinitas Hiperbol.* ac *Parabol. Part. 1 c. 3*; nonnullos eoſque inſignes ac exercitatos in derivandis & deducendis aquis, fluminibuſque arcendis & dirigendis Magiſtros, quilibet libellus *Hydroſtaticæ* elementa demonſtrans admonebit. *Serierumque* interminatarum natura, Viris Doctis nota tam & perſpecta, atque a nobis jam pridem in commemorato Opere explicata, & luculenter expoſita; ſuo aliquando Cl. Autori declarabit, non infirmam modo, ſed nullam eſſe vim eam, ex Nihilo, ſeu *Zero* dimidiam procreandi *unitatem*, quam juſto prope Volumine, totque inanibus meditationibus, Infinito tribuere contendit. Valete, Cæſenæ Idibus Junii MDCCXXIV.

MEMOIRES DE LITTERATURE &c.

vel

DISSERTATIONES, EX ACADEMIÆ Regiæ Inſcriptionum & Literarum humaniorum Scriniis depromtæ, ab A. 1711 usque ad A. 1717.

Tomus IV.

Pariſiis, e Typographia Regia, 1723, 4.
Alph. 4 pl. 2 fig. æn. Tabb. 5.

Quam recenſendis tribus prioribus Tomis exorſi ſumus telam, jam quarti Tomi enarratione perteximus. In fronte p. 1.
comparet Diſſertatio *Maſſievii*, quæ Sacramenta Veterum curatius

tius expendit. Sex momentis hujus rei tractationem abſolvit;
1) originem Sacramentorum; 2) Deos, per quos juravere;
3) ritus & ceremonias, quibus majorem Sacramentis ſancti-
tatem conciliarunt; 4) religionis vinculum, quo jurantes ob-
ſtringebantur; 5) uſum, quem ipſorum ſocietatibus jusjuran-
dum præſtabat; 6) odium, quo in ejus violatores ferebantur,
luculenta commentatione exponit. Duo priora capita in primo
p. 2. harum diſſertationum Tomo, quem Acta noſtra A. 1718 M.
Septemb. exhibuerunt, exegit. Quantum ergo ad tertium,
nempe ceremonias, veriſſime judicat Clariſſ. Autor, quod me-
tus, ne ſua ſimplicitate jurisjurandi religio evileſceret, harum
inventioni cauſam & occaſionem præbuerit; uti neglecta mor-
talibus ſimplex fides primum ſacramentorum frenos communi
licentiæ injicere juſſerat. Multum enim obnoxii ſenſibus ſu-
mus, horumque imaginibus maxime tangimur. Hinc fieri ſæ-
pe videas, ut externam ſolemnium pompam magis, quam ipſum
ſacramentum homines revereantur. Omnium antiquiſſimum
ritum, ex Abrahami exemplo, judicat, quo jurantes manum le-
vabant. Inde, cum ſimplicitatis pertæſi quilibet pro ſua dignita-
te diverſos mores ſequeretur, factum eſt, ut Reges ſceptrum,
duces lanceam vel ſcutum, gregarii milites enſem levarent.
3. Poſthac, in templis jurare, altare jurantem tangere invaluit;
quod adeo in ſolemnitatem abiit, ut cum ſacramentum dicturi
remoti nimis degerent, altare portatile ad eos deferretur. Sæ-
pius inter jurandum victimæ & libationes offerebantur, ſole-
mnibus formulis inſuper recitatis. Interdum ſacri horroris in-
4. cutiendi cauſa ſacramento obſtringendi victimarum ſanguine
manus cruentabant, quale quid Æſchylus ſeptem duces Thebis
5. imminentes feciſſe perhibet. Licet vero communes quosdam
ritus omnes gentes ſequerentur, proprii tamen ſingulis erant ad
religionis ſuæ indolem compoſiti. Abrahamus & Jacobus ex
Scripturæ tenore femur ſuum tangere juraturos jubebant. Hinc
Joſephus Hiſtoricus aſſerit, communem Hebræis hunc morem
fuiſſe, quo circumciſioni ſuus inde conſtaret honos. Neque ta-
men in hoc ſuffragantur Patres, ex quorum ſententia, cum bis
ſaltem hujus mentionem injiciant S. Litteræ; ſolis Patriarchis
ille fuit ſolemnis, qui quam certo confiderent, ex ſuis poſteris
Meſſiam

Digitized by Google

Meſſiam proditurum, eo ipſo ſignificabant. Scythæ ceremonias ſuo ingenio multum convenientes ſectabantur. Ex Luciani enim teſtimonio jusjurandum edituri digitum extremum compungunt, promananti inde ſanguine, vaſe excepto, quilibet enſis ſui cuſpidem imbuit, illaque ori admota pretioſiſſimum liquorem exſugit, id ſibi invicem hoc ferali ritu confirmaturi, quod mutuam ſalutem ſinguli ſanguine ſuo redimere conſtituerint. Unde merito Quintus Curtius carpendus videtur, cum legatos Scytharum, quibus Alexander jusjurandum imperaverat, hunc morem ignoraſſe, & fidem colendo eam gentem jurare tradit. In quo ſuo indulſiſſe ingenio videtur, quo lectoribus mira & incredibilia affundere, quam vera eos rerum narratione inſtruere malebat. Græci, dum jurabant, ſæpius candens ferrum in mare projicere ſolebant, iſta aſſeveratione adjecta, promisſa ſe tam diu ſervaturos, donec aquis idem emergeret. Romanis per Jovem lapidem jurare ſolemne erat, cujus formulæ originem varie eruunt Antiquitatum Scriptores. Quidam de ſtatua lapidea Jovi prima ſtatim Urbis ætate in Capitolio exſtructa interpretantur; aliis placet, per lapidem deſignaſſe Jovem antiquos, nomenque inde ſortitum eſſe, cum Rhea mater Saturno Parenti maſculis infeſto in ejus vicem lapidem obtulerit. Plures tamen inde derivant, quod jurantes manu lapidem tenerent, quem inter ſolemnia verba, vel vage, vel in victimam projicerent. Quem ritum Carthaginienſibus quoque non inſuetum fuiſſe quondam, Annibalis exemplo conſtat. In quodam Siciliæ oppido crudelis inhumanusque obtinuerat mos, quo ſacramentum cortici inſculpere, illumque aquis immittere ſolebant; ſique aquis innataret cortex, fidem juranti habebant; ſin ſubmergeretur, ceu perjurii reum ad ignes damnabant. Secundum Sophoclis Scholiaſten in pluribus Græciæ civitatibus uſu receptum erat, ut ſacramento adacti manu ignem tenerent, aut nudis pedibus ferro ignito incederent. Cui ſuperſtitioni diu ſatis ipſi Chriſtiani obnoxii fuere, donec uſu edocti ſunt, hoc innocentiæ experimento ſæpe vel integerrimum quemque in culpæ ſuſpicionem incidiſſe. Quartum hujus tractationis momentum ſanctitatem religionis, qua ſervando jurejurando inp. 6. 7. 8.

vigilarunt antiqui, exponit. Hujus rei documentum petit Cl.
p. 9. Autor ex Pythagoræ aureo carmine, qui, ab initio ſtatim Deorum
cultui illud καὶ σέβου ὅρκον ſubjungit. Unde non immerito
conjicitur, ex libris Moſis, qui eodem ordine duobus prioribus
Decalogi præceptis has veritates inculcavit, eas deprompſiſſe
Pythagoram, niſi hunc rationis beneficio eo pertigiſſe
credamus, quo ille prævia revelatione pervenerat. Hierocles,
aurei carminis aureus commentator, præſtantiſſimas brevi illo
ἀποφθέγματι regulas comprehendi, quæ tum rite inſtituendo
ſacramento, tum eidem religioſe adimplendo inſerviant, fuſius
explicat. Prima illarum quam rariſſime jurare jubet, cum illi
ſua difficilius ſanctitas ſervetur, quod nobis crebriori uſu & fa-
p. 10. miliaritate evileſcit. Secunda non niſi in maximi momenti rebus,
quæque ſua mereantur gravitate, ut tam ſancto teſtimonio
confirmentur, jusjurandum adhiberi ſuadet. Tertia jurare
non permittit, niſi rei, quam ſacramento interpoſito aliis per-
11. ſuademus, indubia nobis veritas conſtet. Quarta ſolos honeſta
jurantes juſte obſtringi docet, cum negotii, cui fides obligatur,
pravitas ipſum jusjurandum nullum faciat, hisque rei rationi-
12. bus, Senecæ effato, ſcelus ſit fides. Non minus vero ſolliciti
erant antiqui, ut datæ fidei ſatisfieret; ſiquidem neque dolum
vel violentiam, qua alteri jusjurandum extortum erat, neque
alterius partis perfidiam, neque incommoda ex Sacramenti ob-
ſervantia timenda religionis vinculo jurantem exſolvere crede-
bant. Quæ forte nimia ſeveritas eo æquius excuſari poterit,
quo facilius in explendis officii partibus remittimus, nobisque
19. connivendo indulgemus. Quintum diſſertationis momentum
oſtendit, antiquis jusjurandum publicæ & privatæ ſecuritatis in-
ſtrumentum & vinculum extitiſſe. Foris fœdera & pacem hu-
jus beneficio firmabant, domi hoc fidei pignore a civibus officia
& publicæ rei ſtudium exigebant, exſpectabant. Sacerdotes,
magiſtratus, milites, quibus dignitatibus nulla respublica care-
re poteſt, hac ratione prius quaſi initiandi erant, quam ulli mu-
neris partes ſubire liceret. Athenienſes reliquis gentibus in eo
religioſiores erant, quod non ſolum, quos ſpartæ publicæ præfici-
ebant, ſed quotquot civium numero recipi volebant, Sacramen-
to

to adigerent. Sextum momentum explicat, quo horrore perjuros abominati ſint, adeo ut, unius impietate in omnem gentem, ipſosque poſteros, Deorum iram provocari poſſe, crediderint. Oratoribus tamen, Poetis & amantibus in hoc genere aliquid veniæ datum eſt. Unde Demoſthenem perſtringendi argumentum petiit Æſchines, ab hoc vitio ipſe non alienus, dum illum nunquam confidentius Deos cauſæ ſuæ teſtes citaſſe affirmat, quam ſi ſciens mentitus ſit. Poetæ ad metri integritatem perficiendam Deorum nomina frequentius invocavere; & gratiam quandam, Deorum interpoſita mentione, conciliari carmini, putat Cl. Autor. Amantibus omnium maxime indultum eſt, adeo ut amantis jusjurandum in proverbium abierit. Ut ſequiorem ſexum huic levitati imprimis obnoxium facilius in officio retinerent, ipſis argumento ad muliebre ingenium efficaciſſimo perſuadere ſategerunt, quovis perjurio ipſas formæ aliquam facere jacturam. Diis tamen Deabusque hos mores placere, imo commoda quædam ſibi inde acquiri crediderunt, teſte Horatio L. 2 od. 8:

p. 24. 25. 26. 27.

Sed tu, ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, eniteſcis
Pulcrior multo, juvenumque prodis
Publica cura.

En curatiorem hujus diſſertationis recenſionem, ut hujus indole reliquas metiri facilius queas. *Morinus* alia diſſertatione uſum Jejunii apud antiquos expedit; carpitque Theologos quosdam, quibus ejus originem ex paradiſo & interdicto arboris vitæ uſu derivare placet, qua occaſione multa, de priſca continentia afferuntur, qua bis in die ſaturam fieri luxuriam interpretabantur. *Salierius* de feſto ſeptimi diei commentatur, præſenti diſſertatione inſtituti inter Judæos hujus feſti tempus eruens, alia indagaturus, ante an brevi poſt Chriſtum natum apud Gentiles illud obtinuerit, anque ſeptimus menſis vel hebdomadis dies ipſis cultus ſit. *Boindinius* Tribus Romanas illuſtrat, hac parte de iis, quæ Servio Tullio originem debent, diſſerens; cum T. I antiquas Romuli tribus explicuiſſet. Junctæ ſunt quatuor Tabulæ eleganter æri inciſæ, quarum prima ſitus 17 Tribuum ruſticarum, a Servio in agro Romano inſtitutarum;

29. 45. 67.

Digitized by Google

ſecunda 14 aliarum, a Conſulibus inter varios Italiæ populos
conditarum; tertia illarum, quæ primis urbis mœnibus; quar-
ta, quæ ſecundis floruerunt,depingit. Idem Cl. Autor Tribuum
Romanarum politicam formam diverſasque ſub Regibus, Con-
ſulibus & Imperatoribus vices expendit. In quarum fine com-
parent duæ Tabulæ æneæ, quibus Tribuum novarum urbis ſitus
p. 116. exhibetur. *Burettus* in antiquorum Symphoniam inquirit, diſ-
crimen vocis harmoniæ probe inculcans, qua Græci nunquam
ſonos junctim editos, ſed quendam ſonorum ordinem, quo
132. alter alterum apte excipiebat, indigitarunt. *Boindinius* pecu-
liari Tractatione larvas & habitum theatralem antiquorum
144. excutit, in qua præter alia evincit, quod larva, qua multi of-
fenſi ſunt, carere non potuerint antiqui, tum quod pro Satyrici
Dramatis indole ea ſæpe formarum exprimendarum raritas &
monſtroſa ſtructura fuerit, ut non niſi larva aſſequi eas liceret,
tum quod tragicæ perſonæ quædam propria fuerit gravitas, quæ
ultra vultus imitationem conſtituta erat,tum quod ſequiorem ſe-
xum ſcenæ non adhibuerint, cujus vices larva interprete opti-
me ſuppleri poterant. Illa vero eadem & immobilis ſemper lar-
væ facies, quæ fere probari non poterat, ideo excuſatur, quod
pro illa theatrorum vaſtitate, quam tanta populi ſpectantis
multitudo poſcebat, fieri non poterat, quin plures nimis re-
moti a ſcena eſſent, quibus dum nativus actorum vultus in iſta
diſtantia non conſpiciendus vix ſufficiebat, non melius, quam
148. craſſa illa larva, conſulebatur. *Salierius* de horologiis veterum
161. diſquirit. *Nadalius* Veſtalium hiſtoriam pandit. *Idem* in Lu-
227. xum Romanarum invehitur. Devotiones Romanorum pro pa-
264. tria ſponte ſuſceptas *Simonius* evolvit. *Couturius* Veteranos hi-
281. ſtorica diſſertatione explicat, illorumque originem, progreſ-
296. ſum, honores & prærogativas altius repetit. *Morinus* de pau-
308. pertate critice, ut & de cœlibatu agit, evicturus, illum a mun-
do condito a mortalibus cultum fuiſſe, per omnes mundi par-
tes adhuc vigere, & poſt mundum deſtructum duraturum eſſe.
325. *Idem* inquirit in morem, quo ſternutantibus bene precamur.
Ubi Judæorum traditio affertur,qui fabulantur,olim non niſi ſe-
mel ſternutatione correptos fuiſſe homines, quam nullo prævio
morbo

Digitized by Google

morbo ſtatim mors inſecuta ſit. Cum vero Patriarcha Jacobus, ſubitæ mortis periculum evitaturus, a Deo precibus efflagitaſſet, luctatusque cum eo eſſet, ut quædam mortis imminentis præſagia ſibi fieri pateretur; exauditus eſt & ſternutatione intercedente non mortuus eſt, ſed in quandam corporis infirmitatem antea incognitam incidit. Cujus rei fama ad Ægyptios aliasque gentes perlata, communi conſenſu obtinuit, ut, quoties quis ſternutaret, pro vitæ conſervatione gratiis Deo ſolutis, vota pro
ejus incolumitate nuncuparentur. *Boivinius* Senior Jeroboa- p.337.
mum Jeſozum detegit, creditosque adhuc novendecim Iſraeliticos Reges uno auget, probaturus, Joaſum duos ſuſtuliſſe filios, quorum Senior ut frater in S. Litteris Jerobeami nomine veniat, apud Joſephum Jeſoz audiat, duodecimque annis imperio præfuerit, quamvis Petavius, Uſſerius, Hardui-
nus aliique interregnum fuiſſe confirment. *Fraguierius* de 360.
Ironia Socratis, ejus genio Familiari, moribusque commen-
tatur. *Anſelmus* monumenta inveſtigat, quæ, nondum inven- 380.
ta litterarum ſcriptione, primis Hiſtoricis inſervierunt. *Idem* 399.
circa miracula Paganorum verſatur. De prodigiis apud anti- 411.
quos conſignatis judicat *Freretus*. Notatu digna quædam de 437.
vita Q. Roſcii Comœdi *Fraguierius* communicat. *Sevinus* ſin- 457.
gularia quædam momenta de Juba Juniore, Mauritaniæ Rege,
in lucem producit. *Fourmontius* Arti Hebræorum Poeticæ diſ- 467.
ſertationem dicat. *Maſſievius* oden XII Olympicarum Gallica 486.
verſione & notis inſtructam exhibet. *Idem* præſtat in quarto 520.
Idyllio Theocriti *Hardionius*; qui etiam Paſtores Theocriti 534.
integra diſſertatione explicat. *Boivinius* Junior præfationem
quandam translatæ comœdiæ Ariſtophanis de avibus præmit- 549.
tendam exhibet. *Anſelmus* Deum Athenienſium explicat. *Cou-* 560.
turius locum quendam libri ſecundi ex Dionyſio Halicarnaſ- 573.
ſeo illuſtrat. *Freretus* obſervationes Geographicas in Cyropæ- 588.
diam Xenophontis ſuppeditat. *Falconetus* Hiſtorice recenſet, 613.
quid veteres de amantibus crediderint. *Mabudelius* de lino in- 634.
combuſtibili varia tradit. *Bozius* Tumulum antiqui Marmoris 648.
depingit. *Kuſteri* conjecturæ de inſcriptione quadam Smyrna 665.
transmiſſa communicantur. *Vertotus* inquirit, an Galliæ re- 472.

Digitized by Google

gnum inſtaurata Monarchia ſit hæreditarium, an eligibile, tum & quibusdam Galliæ Regibus, ab Hiſtoricis in ignaviæ & inſaniæ ſuſpicionem adductis, ſuum decus recuperare laborat, & tandem originem regni Ivetot a ſuis primordiis repetit.

p.704. 728.

GASPARINI BARZIZII, BERGOMATIS, ET GUINOFORTI Filii opera: edidit JOSEPHUS ALEXANDER FURIETTUS, Bergomas.

Partes II.

Romæ, apud Joh. Mar. Salvioni, 1723, 4.
Alph. 3 plag. 2.

OPtime de orbe erudito meritus eſt *Alexander Furiettus*, dum, quæ priſtinæ ætatis ſqualore immerſa erant, ſuo ſplendori reſtituit *Gaſparini* & *Guinoforti Barziziorum* opera. Dicavit ille hæc opera *Innocentio XIII* Pontifici, cujus & clementiam, & amplitudinem animi, & eximium in litteras ſolertesque illarum cultores amorem extollit. Hinc in Præfatione de incrementis litterarum poſt iniqua barbariei tempora verba facit. Facem iis prætuliſſe dicit Franciſcum Petrarcham, quem totum ad literas natum in ſuis peregrinationibus Marci Tullii libros fere omnes e latebris ſuis revocaſſe, Leodii duas Orationes, Neapoli libros Academicorum apud Barbatum Sulmonenſem, nonnullasque Epiſtolas & Orationes, libros de Oratore ac de Legibus, imperfectos tamen, inveniſſe, tradit. Ut vero feliciori auſpicio rem perſequi poſſet, ipſum ætate jam provectum Græcis literis, duce Barlaamo Monacho Calabro, incubuiſſe, obſervat. Ejus veſtigia ſecutos fuiſſe Colutium Salutatum, Johannem Laurenſem, & Nicolaum Nicolum, quorum doctrinæ æmuli fuerint Petrus Paulus Vergerius, ad inſtruendam Carrarienſium Principum juventutem Patavium profectus, Victorinus Feltrenſis, Mantuanus, Leonartus Brunus, Aretinus, Bocchius Bracciolinus, Robertus Roſſus, Jacobus Angelus, Florentinus, aliique, Joannis Ferretti, Ravennatis, vero, cui poſt

poſt Petrarcham haud parum debet literata reſpublica, diſciplinæ nomen dediſſe Ambroſium Traverſarium, Camaldulenſem Monachum, Guarinum, Veronenſem, Omnebonum, Patavinum, Leonardum Juſtinianum, & Franciſcum Barbarum, omnes ſolidæ doctrinæ decore inſignes. Hinc ut haberet aliquod laudum, quibus Gaſparinum ſuum mactaret Cl. Editor, argumentum, illum omnium demum feliciſſimum exiſtimat veteris Latii vindicem. Epiſtolas ejus, ad ſolam ingenii exercitationem effictas, vix, ait, eruditis unquam innotuiſſe, ob exemplarium paucitatem, quæ anno 1470 ex Sorbonica prodierunt Typographia; quas adeo hic reliquis Gaſparini operibus junxit, libello nempe de Compoſitione, Orationibus, & familiaribus Epiſtolis, quas Romæ, Patavii, Bergomique repererat. Cauſas, cur tam auſpicato ſucceſſu provectus fuerit politior latini ſermonis in Italia cultus, exponens, alteram in Græcæ linguæ ſtudio ponit, ab Emanuele Chryſolora, aliisque e Græcia in Italiam profugis, diligenter excultæ, alteram in Latinorum codicum copia, quorum cum plane ſterilis ante Italia fuiſſet, docti tamen viri nihil operæ omittebant, quo eos undicunque conquirerent. Hinc Gerardum Landrianum & Poggium laudat, quorum alter Ciceronis ad Atticum epiſtolas, nec non tres de Oratore libros, Laide Pompeja in antiquo quodam codice invenerit, alter Quintiliani, Valerii Flacci, & Aſconii Pædiani opera e Monaſterio S. Galli protraxerit, & poſtea in ultimis Germaniæ Helvetiæque finibus repertos, Nonium Marcellum, Manilium, Marcellinum, & Lucretii partem, præcipue vero duas Ciceronis Orationes ejusque libros de Finibus ac de Legibus orbi erudito reddiderit; ut plures alios taceamus. Expoſitis deinde Latini ſermonis incrementis uſque ad ætatem Barzizii, eorumque cauſis, ad Barzizium ſuum Furiettus regreditur, eumque ſuavi oratione eximium nobis commendat, ſimul tamen rogat eos, quibus indagare ipſius opera volupe fuerit, ne, ſi quid forte minus concinnum atque elegans repererint, ſcribentis id negligentiæ, ſed ætati potius tribuant, qua nondum Romana oratio adoleverat. Tandem Guinoforti Barzizii opera ideo dicit annexa a ſe eſſe Gaſparini ſcriptis, quod paria illos ſemper

ſemper junctos tenuerint ſtudia, nec minora utriusque exſtent induſtriæ monumenta.

Subſequitur ipſa Gaſparini noſtri vita, quæ cum lectu ſit admodum jucunda, non gravabimur eam vel obiter recenſere. Gaſparinus natus eſt Barziziæ, loco haud ita celebri, juxta Bergomum ſito. Patrem habuit Bettinum Barzizium, virum civitati utiliſſimum, qui & alterum filium Jacobum natu majorem progenuit. De die ejus natali nihil conſtat, quamvis ſint, qui non temere ante annum 1370 genitum credant. Is ubi ad literarum ſtudia appulit animum, ad Ciceronis Officia propitio quodam fato deductus, in ſummis illa deliciis habuit, ſedulaque illorum indagatione perfecte Ciceronem imitari didicit. Cumque eſſet in eo gravis & moderata indoles, ac ſevera natura; quicquid libidinem ſapiebat, ſprevit, nec ſibi ſed rei publicæ commodis vivendum arbitratus, ipſe Bergomenſem juventutem incepit doctrina ſua inſtruere. Seculo vero nondum exacto, Lucretiam de Alliardis, & virtute & facie decoram, matrimonio ſibi junxit. Sic per aliquot annos in patria ſua juventutem docuit, donec ineunte decimo quinto ſeculo, evocatus a Johanne Galeatio, qui depulerat imperio crudeliſſimum Bernabovem patruum, Ticini conſedit. Subſtitit ibi uſque ad annum 1406, quo ad Venetos inſtruendos profectus eſt. Potiti ea tempeſtate Veneti erant civitate Patavina, in quam, quod magna & celebris illa erat, Tarvinum gymnaſium transferre placuit. Hinc ne aliquid juſto ſplendori deeſſet, vocati eo ſunt viri ex Italia præſtantiſſimi, inter quos principes fuerunt Zabarella, Jurium peritiſſimus, Jacobus de Turre, Medicorum in Italia fere primus, & Barzizius noſter, literarum ornamento nulli ſecundus. Ad hunc auſcultandum omnis Venetorum juvenum concio confluxit, quorum frequentiam auxit ſuavis & comta Barzizii inſtructio, vultus integritas, indefeſſaque dicendi promtitudo. Bello inde inter Venetos & Sigismundum orto, Patavio Venetias conceſſit; ubi adeo curta ipſi fuit ſupellex, ut libros ſuos, quos pretioſiſſimi ſemper theſauri inſtar habuit, haſtæ publicæ ſubjicere cogeretur; quorum acerbam jacturam apud Cardinalem Zabarellam lacrymabili epiſtola deflevit.

flevit. Sedatis belli turbis, Patavium reverſus, intermortuas fere bellorum ſtrepitu literas non infeliciter reſuſcitare anniſus eſt, ſimulque, quando a publicis curis animus ipſi erat remiſſior, totus in emendandis Ciceronis operibus occupabatur. Inter hæc Philippus Maria Vicecomes Barzizium, nequaquam tale quid ſuſpicantem, Mediolanum vocavit, cui, quamvis reluctanto animo eo profectus, adeo acceptus fuit, ut perpetuo lateri ejus inhæreret, cumque eo de literis & Latinæ orationis puritate colloqueretur. Reliquum tempus in juventute Mediolanenſi inſtruenda & exornandis veterum libris conſumſit. Itaque Poggii & Aretini opera, quorum alter ex Helvetia, alter ex Italia antiquum Quintiliani codicem advexerat, politiſſimum perfecit Quintiliani opus, multiſque adnotationibus in juventutis commoda locupletavit, & paulo poſt Ciceronis Rhetoricorum libros, tresque de Oratore prodidit. Atque ita ſenectute paulatim & morbo fractus, Mediolani tandem A. 1431 exſtinctus eſt. Superſtites habuit nonnullos filios, inter quos imprimis fama claruerunt Joannes Auguſtinus, Jurium ſcientia nobilis, & Guinofortus natu minor, paternæ induſtriæ atque laborum hæres, qui Novariæ primum ac poſtea Mediolani literas docuit, tantaque omnibus eloquentia præfulſit, ut ſæpius magnorum Principum legationes ſuſtinuerit. Subjiciuntur Teſtimonia Virorum ejus ætatis, qua vixit, principum, Sabellici, Blondi Flavii, Volaterrani, Trithemii, aliorumque, quorum in id conſpirant judicia, ut virum in literis eruditiſſimum, Rhetorem præſtantiſſimum, ingenio ſubtilem & acrem, eloquio diſertum, qui depreſſam Latini ſermonis elegantiam ab inferis reſuſcitaverit, eum exiſtiment.

His ita præmiſſis, ipſa Barziziorum Opera, binis diſtincta partibus, altera Gaſparini, altera Guinoforti, exhibentur: illius nempe Liber de Compoſitione, Orationes, & Epiſtolæ, tum familiares, tum ad exercitationem compoſitæ, hujus vero Orationes paucæ & Epiſtolæ. Gaſparinus in libro de Compoſitione omnem commodæ & perfectæ elocutionis naturam tribus partibus abſolvi exiſtimat, Compoſitione, Elegantia, ac Dignitate. In ſola vero Compoſitione hæret, eamque in Ordine,

dine, junctura & numero conſtituit. Ordinem in apta quadam verborum inter ſe naturali vel artificiali diſpoſitione collocat. In artificiali ordine, quem nos Amplificationem dicimus, id potiſſimum obſervandum putat, ne, cum orationis noſtræ verba ad rem unam & eandem ſunt relata, ampliori verborum ſignificationi verbum minus amplum ſubjiciatur, ſed eo, quod antecedit, majus ſit id, quod ſequitur; naturalem vero dicit, in quo natura magis, quam ingenioſæ Latini ſermonis artes, elucet, ut, ſi forte oratio tua in virorum & fœminarum, honeſtorum & turpium, diei & noctis deſcriptione occupetur, non laſcivienti ingenio ſtatim indulgeas, ſed, uti natura jubet, fœminis viros, diem nocti, turpibus honeſta præferas. Tertium denique ordinis genus ſtatuit illud, in quo genus per ſpeciem reſtringitur, in quo ſi Orator recte verſari velit, cavendum ipſi eſſe ait, ne verba orationi immiſceat nimis ſubleſta aut otioſa; cum verbis convenientia ipſorum naturæ epitheta jungenda ſint. Ubi porro de junctura Orationis agit, primo juncturæ indolem, poſtea diſcrepantiam, quæ inter ordinem & juncturam intercedit, & tandem illius vitia ſedulo evitanda commonſtrat. Juncturam docet omnium conſenſu eſſe congruam quandam atque concinnam literarum ſyllabarumque in contextu verborum collocationem, ab omni aurium offenſione remotam. Inter juncturam vero & ordinem hoc differre, quod illa in literis ac ſyllabis attendatur, hic vero in ſingulis dictionibus. De vitiis denique in juncturæ ſtructura obſervat, quædam, ſi moderate orationi immiſceantur, orationem quandoque aut molliorem aut graviorem reddere; quod probe in orationibus ſuis obſervare ſciverint Cicero & Demoſthenes: curam tamen adhibendam, ne ille vocalium concurſus nimis creber incidat, qui ſermonem facile elumbem reddat, uti in his verbis: *minime honeſtæ aut gratæ aræ illæ Æſculapio habitæ erant, quæ omnia appoſita omnibus ad voluptatem habebant.* Nec ejusdem modo verbi, verum ejusdem etiam literæ ac ſyllabæ inconſonam repetitionem legenti parere faſtidium; uti in his exemplis: *Tute tuta te virtute tuente tueris*; item: *amore regit Regis geſta, qui verbis ad cœlum tulit.* Cavendum

dum porro eſſe, ne vocales eædem aut conſonantes, quorum altior ſonus vel ſibilus eſt, in verborum ſe ſtatim ſubſequentium primis ſyllabis ponantur; ne eadem ſæpius dictione in una periodo utamur, niſi forte aurium ſenſus nos doceat, delicatum quid atque ponderoſum in illius repetitione deliteſcere; ne nimia verborum ſuſpenſio & prolixitas admittatur, quæ non niſi in Exordiorum initiis locum habere poſſit, ut probat exemplo Ciceronis in Oratione ad Quirites de ſuo in patriam reditu. Hinc ad tertium Compoſitionis genus, numerum nimirum progreditur, cui, cum & dignitatem ordinis & juncturæ concinnitatem complectatur, in omni compoſitione palmam concedit. Ciceronis de eo præcepta, quæ & Quintilianus comprobat, non adeo ipſi arridere videntur, quam Martiani, qui non ſolum in pedes quosdam, ſed in certum etiam ſyllabarum numerum terminari orationem voluit. Hinc & Monoſyllabis, & Diſſyllabis, & Triſyllabis, & Tetraſyllabis ſuos ingenioſe excogitatos pedes juſtamque præcedentium verborum menſuram tribuit. Concludit denique hoc axiomate, quod melius ſit, rebus, de quibus dicendum eſt, artem numerorum ſervire, quam arti huic rerum dignitatem. Orationibus Gaſparini vix aliquid poterit legi elegantius,& naturæ ordini accommodatius. Equidem non ſcholaſticam ſapiunt eloquentiam, nec eſt in iis odioſa quædam artificiorum coacervatio; at facili gravitate verba fluunt, & quicquid illis elegantiæ ineſt, naturæ quodam involucro inveſtitum eſt. Neque erat, quod nimis ingenioſa ſubtilitate & acumine diceret, cum coram Italis, conciſæ orationis amantioribus, verba facienda eſſent. Hinc, quibus vel in curia coram magiſtratu ac populo, vel in aula coram principe dicendum eſt, in Gaſparino exempla non vulgaria reperiunt. Sunt in his, quas ad Petrum Marcellum, Epiſcopum Patavinum, Philippum Mariam Vicecomitem, Ducem Mediolani, Jacobum Regem Siciliæ, Janum Cypri Regem, & ſummum Pontificem Martinum V habuit; a quibus nunquam fere ſine magnis muneribus diſceſſit. Nec minori Epiſtolæ Gaſparini concinnitate conſcriptæ ſunt, quas, prout temporis aut perſonarum ratio poſtulavit, nunc breviores nunc prolixiores deprehendimus.

 Simi-

Digitized by Google

Similes fere ſunt Guinoforti Barzizii Orationes & Epiſtolæ, niſi quod accuratiori pæne induſtria, quam ipſe pater, ſermonem polire ſtuduit. Ad hiſtoriam quoque illuſtrandam magis conducunt ejus epiſtolæ, in quibus ſæpius res geſtæ exponuntur. Ita in epiſtola ad Bartholomæum Vicecomitem, Novarienſem Epiſcopum, de rebus Alphonſi Arragoniæ Regis apud Gerbim Inſulam feliciter geſtis, & in illa, quæ ad Joannem Regem Caſtellæ exarata eſt, de viris ſago pariter ac toga illuſtribus prolixe commentatur.

ORIGINES ECCLESIASTICÆ: OR THE ANtiquities of the Chriſtian Church &c.

h. e.

ANTIQUITATES ECCLESIÆ CHRISTIanæ. Volumen X, quo agitur de Ritibus Sepulchralibus veterum Chriſtianorum. Adjecti ſunt tres Indices in univerſum Opus. Autore JOSEPHO BINGHAM, Rectore Headborna-Worthenſi.

Londini, apud R. Knaplock, 1722, 8.
Alphab. 1 pl. 3½.

Siſtimus tandem Volumen X idque ultimum Antiquitatum Eccleſiaſticarum Clariſſimi *Binghami*, cujus operis Volumina reliqua omnia ſuperioribus annis recenſuimus. Cum vero *A. Blackmorius* librum Londini A. 1722 duobus voluminibus in 8 ediderit ſub titulo: *Eccleſiæ Primitivæ notitia: or a Summary of Chriſtian Antiquities* &c. h. e. *Compendium Antiquitatum Chriſtianarum; cui præfixus eſt Index Hæreticus, continens brevem hiſtoriam omnium præcipuarum hæreſium, inde ab origine Chriſtianæ religionis exortarum, & ſubjuncta brevis notitia primorum octo Conciliorum generalium*; quo Autor doctiſſimi Binghami noſtri Origines Eccleſiaſticas per compendium exhibere conatus eſt, Noſter in Præfatione hujus Voluminis cenſuram in illum exercet. Præcipue autem carpit, quod in titulo libri non indicaverit, illo operis ſui Epitomen exhiberi; tum quod videri cupiat, ſe totius operis compendium exhibere, cum tamen duo poſteriora volumina eo tem-

tempore nondum fuerint edita, quo Epitomen compoſuerit; quod item Epitomen tam diffuſam dederit, duasque prolixas Diſſertationes illi adjunxerit. Oſtendit præterea, quod Indicem Hæreticum, quem vocat Blackmorius (rectius autem Indicem Hæreſium dixiſſet) rebus frivolis atque jejunis repleverit, ita ut lector nihil fere inde diſcere poſſit; tum & quod falſa multa, & in viros magnos injuria admiſcuerit, quos inter hæreticos retulerit, cum revera fidei orthodoxæ fuerint defenſores; & quod totus denique Index valde ſit imperfectus, cum præcipuas quasdam ſectas & errores omiſerit, atque adeo titulo ſuo minus reſpondeat. Ea vero occaſione Cl. Binghamus ſpem facit, ſemet ipſum Operis ſui Epitomen cum additionibus quibusdam eſſe editurum. Cumque notet ſpeciatim Blackmorium, quod Albigenſes, Huſſitas, Lollardos, Waldenſes & Wiclefitas hæreticis adſcripſerit, varios Autores recenſet, qui Apologias pro illis ſcripſerunt. Tandem in Poſtſcripto, quod vocat, ad promovendas antiquitates Eccleſiaſticas opera quædam eruditis elaboranda commendat. Sunt inter illa Supplementum ad Origines has Eccleſiaſticas, in libro Rituum Miſcellaneorum, quod ſemet ipſum, ſi Deus valetudinem concesſerit, elaboraturum promittit; Catholicus Commentarius in Scripturas, quem a viro quodam erudito atque induſtrio jam inchoatum refert; Corpus Theologiæ Catholicæ, quale in Romana Eccleſia Petavius & Thomaſinus ediderunt; Corpus Theologiæ Moralis ex Patribus, &c.

In ipſo vero hoc decimo Volumine Cl. Autor, Ritus ſepulchrales exponens, Cap. I agit de Cœmeteriis, & diligenter ſcrutatur, quomodo & quando mos ſepeliendi in templis originem nactus ſit. Scilicet, poſteaquam docuerat, cœmeteria olim dicta eſſe loca, tam quibus mortuos ſepeliverint, quam quibus ſacros conventus habuerint, obſervat, tribus prioribus ſeculis poſt Chriſtum natum nulla cœmeteria, priori ſenſu accepta, five in urbibus, five in templis fuiſſe, ſed mortuos vel in viis publicis ſepulchra cum monumentis ſuper illa erectis, vel in cryptis & catacumbis habuiſſe. Chriſtianos etiam Imperatores legibus poſtea prohibuiſſe, ne mortui in urbibus & templis ſepelirentur. Primam vero defunctis in templis humandi occaſionem dediſſe honorem, quo martyres proſecuti ſint, cum ſci-

p. 1 ſq.

3 ſqq.

9 ſq.

12 ſqq.

17.

 licet

licet in locis, quibus ſepulchra & monumenta martyrum extiterint, & Chriſtiani tempore perſecutionis ſacros conventus habuerint, templa fuerint erecta, vel cineres & reliquiæ martyrum in urbem translatæ, & in templis reconditæ, ſæpiusque nova templa erecta ſint in locis, quibus repoſitæ fuerint, dicta inde *Martyria*, *Propheteia*, *Apoſtolæa*, a Martyribus, Prophetis atque Apoſtolis, quod reliquias eorum eo transtulerint. Proximam occaſionem dediſſe, quod Regibus & Imperatoribus
p. 19. ſeculo quarto in atriis templorum ſepulchra fuerint conceſſa. Sub initium ſeculi ſexti alios quoque in atriis aut porticu templi, aut in areis circa templum humatos videri, ſed in ipſis templis legibus tam eccleſiaſticis quam civilibus ſepulchra adhuc
20 ſqq. fuiſſe prohibita. Et uſque ad ſeculum nonum nondum omnibus & ſingulis licuiſſe, mortuos in templis terræ mandare.
23 ſq. Hoc tamen temporis intervallo leges quasdam Regibus, Epiſcopis, Eccleſiarum fundatoribus atque Presbyteris, aliisque Chriſtianis, vitæ ſanctitate conſpicuis, ſepulchra in templis conceſſiſſe. Denique rem arbitrio Epiſcoporum relictam eſſe, an defuncti in templo, vel minus, humari debuerint. Sepulchra he-
25. reditaria ſeculo nono nondum extitiſſe, ſed ſeculo decimo tertio decretis Pontificum introducta eſſe. Et ab his decretis Noſter derivat, quod omnes poſtea in templis ſepeliri potuerint. Cap.
26. II alia paullo ſpecialius de loco, modo & tempore ſepeliendi
27. mortuos ediſſerens, memorat, ante Gregorium Turonenſem, qui ſeculo ſexto vixit, neminem conſecrationis cœmeteriorum
29. mentionem feciſſe, illumque, ſacerdotali benedictione cœmeteria ſuo tempore conſecrata eſſe, memoriæ prodidiſſe. Dutantum quoque conſuetudinem illam altius non producere. Atque inde Noſter concludit, illam circa tempus illud, & non antea, in Eccleſiam eſſe receptam. Quod vero ſepulchra pro ſacris fuerint habita, a conſecratione illorum haud petendum putat; ſiquidem gentiles illa jam pro ſacris, & violationem illorum pro ſacrilegio habuerint, ut ex edictis Juliani & Gordiani Impera-
31. torum pateat. Modum adornandi ſepulchra diverſum fuiſſe
32. inter gentiles & Chriſtianos. Monumenta ſepulchrorum apud gentiles fuiſſe magnifica, ſed, quod prioribus tribus ſeculis apud Chriſtianos talia locum habuerint, non eſſe probabile.
Chri-

Chriſtianos præterea non cremaſſe mortuos, ut gentiles, ſed p.34 ſqq.
totum corpus vel terræ mandaſſe, vel unguentis conditum in 38 ſqq.
catacumbas repoſuiſſe. Sic & Chriſtianos non noctu, ut gen- 41 ſqq.
tiles, ſed, ſi per illos licuerit, die exequias mortuorum egis-
ſe, & tum etiam faces prælatas eſſe, ad declarandam læti-
tiam, & honoris cauſa erga defunctum, tanquam de mun-
do jam triumphantem. Cap. III exponit, quomodo defunctos
funeri præparaverint, & quibus illos ceremoniis terræ manda-
verint. Et hic quidem, poſteaquam obſervaverat, magnam 51 ſq.
fuiſſe Chriſtianorum in ſepeliendis mortuis charitatem, ita ut
ſæpe etiam cum vitæ diſcrimine illos ſepeliverint, docet, il- 53.
los, ſimul ac aliquis animam efflaſſet, oculos & os ejus clau- 54.
ſiſſe, corpus mortuum lavaſſe, illudque veſtimentis funeralibus,
aliquando ſplendidis & ſumtuoſis, obvolutum, & loculo im- 55 ſqq.
poſitum, vel in domo collocaſſe, vel in templo repoſuiſſe
uſque ad diem ſepulturæ. Elatum vero illud eſſe vel a cogna- 61 ſqq.
tis, vel viris dignitate conſpicuis, vel charitate inſignibus,
prout circumſtantiæ tulerint vel efflagitaverint. Sub initium 62.
ſeculi quarti in majoribus Eccleſiis *Copiatas* & *Parabolanos*
conſtitutos eſſe, qui pauperum, tam ægrotantium, quam mor-
tuorum, curam haberent, omniaque præſtarent, quæ ad de-
centem ſepulturam eorum pertinuerint. Loco næniarum atque 53 ſqq.
tibicinum, in funeris elatione apud gentiles ſolemnium, Chri-
ſtianos hymnorum & Pſalmorum cantu defunctos ad dormito-
ria perduxiſſe. Morem coronandi mortuos, apud gentiles pari- 67 ſq.
ter uſitatum, Chriſtianis improbatum eſſe. Funebres orationes 69.
in honorem defunctorum, meritis vel virtutibus inſignium,
fuiſſe habitas. Sive autem orationes tales habitæ ſint, ſive mi- 70 ſqq.
nus, totum officium ſolenne, ſi aliquis ante meridiem ſepultus
ſit, in templo peractum, vel, ſi poſt meridiem, Pſalmos ſal-
tem decantatos & preces factas eſſe. Conſuetudinem, quæ ali- 78 ſq.
cubi irrepſerit, mortuis euchariſtiam & oſculum dandi, conci- 80.
lia quædam damnaſſe. Viventes pro mortuis dediſſe eleemo- 81.
ſynas, nec eo ſolum tempore, quo funere elati ſint, ſed etiam,
cum anniverſariam illorum memoriam celebraverint. Hoc 82 ſq.
tamen ſæpius anſam nonnullis dediſſe, ut, dum pauperes
alerent, ſe met ipſos potu & cibo oneraverint, atque adeo gen-
tilium

p. 84 ſqq. tilium parentalia exhibuiſſe viſi ſint. Triſtitiam in funere moderate expreſſam neminem improbaſſe, ſed in morem gentilium conducendi præficas Patres graviter invectos eſſe, quem-
87 ſq. admodum & novendialia illorum rejecerint. Conſuetudinem
90 ſq. vero floribus aſpergendi tumulum, & lugubri veſte incedendi,
94 ſqq. Chriſtianos retinuiſſe. Catechumenis, qui baptiſmum voluntarie neglexerint, biathanatis item, qui violentas ſibimet ipſis manus intulerint, & capitali pœna affectis, omnibus denique excommunicatis, qui diſciplinæ Eccleſiæ ſubjicere ſeſe noluerint, honeſtam ejusmodi, quam fideles impetraverint, ſepulturam
100 ſqq. fuiſſe denegatam. Cap. IV & ultimo leges recenſet, tam a Romanis quam Chriſtianis Imperatoribus latas contra illos, qui ſepulchra violaverint, & in corpora mortuorum fuerint injurii. Ibique & cauſas commemorans, quibus aliqui adducti ſint, ut ſepulchra invaſerint, inter illas hanc quoque refert, quod nonnulli, avaritiæ dediti, reliquias martyrum ſuperſtitioſis vendiderint.
108 ſqq. Licet enim Eccleſia per priora quinque ſecula & ultra non aliter martyrum reliquias tractaverint, quam ut decenter illas humarent, tamen nonnullos privatim citius illas coluiſſe, obſervat. Eamque in rem ex Optato affert exemplum Lucillæ, graviter propterea a Ceciliano, Archidiacono Carthaginenſi, objurgatæ.
113 ſqq. Quemadmodum & hac occaſione oſtendit, non ante quam poſt tempora Auguſtini reliquiis cultum religioſum fuiſſe exhibitum. Denique tres Indices in univerſum Opus colophonem illi imponunt. Primus eſt rerum, ſecundus Autorum in illo allegatorum, & tertius Conciliorum Alphabeticus & Chronologicus cum numero canonum. Sicuti autem haud pauci optarunt, ut hæ Antiquitates doctiſſimi Binghami ob ſingularem præſtantiam in linguam, quæ omnibus eruditis poſſit intelligi, converteretur, ita votis eorum jam ſatisfacere cœpit Jo. Henricus Griſchovius, Halberſtadienſis, ſiquidem librum earum primum & ſecundum, Latinitate a ſe donatum, & Præfatione Celeberrimi Theologi, Jo. Franciſci Buddei, ornatum hoc ipſo anno in 4 edidit. Nos vitam ipſi & vires apprecamur, ut telam, bene inchoatam, gnaviter pertexat, & mox ad finem perducat.

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII Sect. XI.

L'HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE des Sciences A. 1719.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1719, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1723, 12 reg.
Alph. 1 plag. 7 Tabb. æn. 27.

IN *Phyſica generali* primo loco occurrunt obſervationes luminis ſeptentrionalis, quod d. 30 Martii poſt horam octavam verſpertinam & d. 7 Aprilis poſt nonam apparuit. In prima obſervatione ſpectabatur ſub forma columnæ igneæ 20 gradus ſupra horizontem elevatæ, horizonti parallelæ, ad intervallum 25 circiter aut 30 graduum extenſæ, in extremitate orientali latitudine diametrum Solarem ſuperantis, in occidentali vero in cuſpidem deſinentis & lumen Lunæ octavo a novilunii die obfuſcantis, cœlo quamvis maxime ſereno. Vix *Maraldus* aliquot ſcrupulorum ſecundorum intervallo contemplatus fuerat meteoron, cum in inſtanti diſpareret, nec aliquod ſui veſtigium relinqueret. In altera obſervatione lumine non minus intenſo fulgebat: ſed columnæ verticales ſucceſſive inde elevabantur, mox iterum diſparentes. *De Mairan* de cauſa frigoris hiberni & caloris æſtivi generali quædam meditatur.

Non ſolum attendit ad diverſitatem ictus radiorum hieme magis oblique Tellurem ferientium, quam æſtate; ſed inſuper conſiderans lumen inſtar fluidi, illud diviſum concipit in filamenta innumera, quorum plura feriunt planum, ſi incidentia perpendicularis, quam ubi obliqua fuerit. Numerum igitur filamentorum perinde ac quantitatem ictus metitur per ſinum ånguli incidentiæ, adeoque utrumque ſimul per ejus quadratum. Provocat præterea ad umbras planorum diverſimode inclinatorum, quæ Telluris ſuperficiem inæquabilem conſtituunt: conſtat enim, eas eſſe hieme longiores, quam æſtate, atque adeo actionem Solis magis impedire illo, quam hoc tempore. Denique tertio obſervat, quod radii magis obliqui majorem atmoſphæræ partem trajicere debeant: id quod in cauſa eſt, ut per reflexionem numerus eorum imminuatur. Quoniam vero hic non datur menſura quædam determinata, ut in principiis anterioribus, radiorum quantitatem dimidia ſui parte minui hieme ſtatuit, propterea quod in eclipſibus ſolaribus diſci dimidia parte obſcurata, nondum perceptibilem luminis defectum notavit. Neque etiam negligit dierum longitudinem æſtivo tempore, & brumali diverſam. Atque ex iſtis principiis calorem æſtivum ad frigus hibernum æſtimat ut 66 ad 1. *Juſſieu* gypſum deſcribit, cujus particulas inſtar parallelebipedorum per microſcopium deprehendit, ubi eundem in pulverem redegerat. *De Reaumur* veſpas contemplatur earumque cavas, ubi multa occurrunt, quæ rerum naturalium ſcrutatoribus oblectamento ſunt. *De Reſſons* bombardam palo alligatam globo plumbeo, ſed abſque pulvere pyrio, ſclopetum vero minus pulvere pyrio, ſed abſque tomento oneravit. Orificium ſclopeti ad lumen bombardæ orthogonaliter aptavit, cumque exploderet, globus ex bombarda majori impetu fremituque majori proſiliit, quam ſi vi pulveris pyrii in ipſa accenſi propulſus fuiſſet. *Deslandes* refert, A. 1718 nocte intermedia inter 14 & 15 Aprilis in Britannia minori (quæ Galliæ provincia eſt) fulmen tetigiſſe 24 templa, in quibus campanæ pulſabantur, templis vicinis intactis, ubi campanæ ſilebant. D. 6 April. in mari *Atlantico* ſub gradu latitudinis 45, longitudinis 322$\frac{1}{2}$

pluvia

Digitized by Google

pluvia arenoſa ab hora decima veſpertina uſque ad primam pomeridianam diei ſequentis continuata. Portionem hujus arenæ vulgaris, ſed admodum minutæ ad Academiam Regiam Scientiarum miſit *Feuillée*. Inſula proxima a loco maris, qui hac pluvia infeſtabatur, 8 vel 9 milliaribus gallicis diſtat. Dimidio circiter milliari a portu *de Longoiran* vertex rupis, quæ ad 30 pedum altitudinem aſſurgebat, delapſus oſſa animalium magna quantitate per vallem diſſeminavit. Quædam eorum erant petrefacta. Sed non ſatis patet, ad quas animantium ſpecies ſint referenda. Latuerant in rupe ſub vertice ad profunditatem 11 pedum. Quædam fragmenta igni vehementiori commiſſa colorem Callaidis contrahebant. *De la Hire* junior poſt obitum parentis continuans obſervationes meteorologicas quantitatem aquæ pluvialis A. 1719 deprehendit 157⅜ linearum ſeu digitorum 13, & lin. 1⅜. Declinationem acus magneticæ 13½ digitorum d. 30 & 31 Decembr. A. 1718 obſervavit verſus occaſum; ſed mox d. 7 Jan. A. 1719 obſervationem repetiit, nec ullam in declinatione mutationem advertit, in acu tamen 8 digitorum nonniſi 12 graduum 20 minutorum eandem notavit, etſi virtus magnetica utriusque eodem magnete fuiſſet exercitata. *Juſſieu* deſcribit præparationem Mercurii in fodinis Hiſpanicis *Almaden* dictis & morbos, quibus operarii obnoxii fiunt.

In *Anatomicis* cadavera aquis ſuffocatorum examinans multum aquæ in ſtomacho, nihil in inteſtinis, pauculum in pulmonibus reperit *Littre*. Inter caſus adeo rariores refert exempla *Beckeri* in libro de ſubmerſorum morte ſine pota aqua. Pauculum tamen aquæ, quod præſertim in pulmonibus continetur, mortis cauſam ſufficientem minime ratus, eam in impeditam reſpirationem conjicit. Plures canes atque feles ſub aquis ſuffocavit, & minorem quantitatem aquæ, quam ab hominibus, ab iis deglutitam vidit. *Reneaume* deſcribit modum reparandi quasdam partes corporis humani mutilatas, veluti naſum, labia, aures. Inter veteres *Celſus*, *Galenus* & *Paulus Ægineta* praxeos hujus mentionem faciunt: ſed inter recentiores primus de eodem plurimum perfecta ſcripſit *Taliacotius*,

 Medicus

Medicus Italus, circa finem ſeculi decimi quinti. Ita e. gr. naſus renaſcitur ex carne muſculi bicipitis in brachio ad ipſum religato per 14 fere dies, facta inciſione in brachio & vulnere ſuppurato, ut inter particulam avulſam cicatricem contrahat. Operationem perficere ſtuduit *Reneaume*, ut minori temporis ſpatio abſolvatur. *Helvetius* ſyſtema triturationis oppugnaturus in ſtructuram ventriculi inquiſivit, quam plurimum a deſcriptione Anatomicorum differre obſervavit. Ubi œſophagus ventriculum ingreditur, duo notavit fibrarum plana, quæ orificium ambiunt inſtar duarum faſciarum ſeſe mutuo interſecantium. In fundo ventriculi plures obſervavit fibrarum circularium fere & concentricarum faſcias. Denique ſimiles fere circa pylorum deprehendit, centrum tamen infra eam habentes fundo ventriculi propius, convexitate eundem fundum reſpiciente. Contra triturationem optime provocat ad piſciculos ex parte digeſtos in œſophago corvorum aquaticorum. *Rouhaut*, a *Sardiniæ* Rege *Auguſtam Taurinorum* vocatus ad munus Chirurgi primarii obeundum, ungues monſtroſos muliercula pauperis deſcribit, quorum longitudo $4\frac{1}{2}$ digitorum. Imaginabatur ſibi, ſe eſſe a dæmone obſeſſam, qui unguium inſolitum incrementum promoverit. Intra ulmum, hominis ſtaturam magnitudine adæquantem, trium circiter aut quatuor pedum intervallo a radice bufo repertus molis mediocris & macilentus, intra ſpatium ſuum arcte concluſus. Cum lignum finderetur, proſilit. Arbor erat ſana & lignum admodum denſum, ita ut extus irrepere haud quaquam potuerit. Cum arbore natus intra eandem vixit, ejus ſucco nutritus & cum eadem crevit. *Juſſieu* ſiſtit puellam 7 vel 8 circiter annos natam, quæ clauſo ano fæces alvi per vulvam deponit. *Lemery* ex rationibus chymicis contra ſyſtema digeſtionis per triturationem argumentatur. Cum enim plantæ ſalibus fixis, animalia volatilibus abundent, vix quicquam fixi habentia; ſalia autem volatilia non gignantur niſi per fermentationem; per animantia, quæ plantis nutriuntur patere arbitratur, quod cibus digeratur non per triturationem, ſed per fermentationem. Virgo 24 annorum ab anno ætatis 16 continuo cum evacuatione ſanguinis

menſtrui

menſtrui per triduum vocis uſum amittebat. Fracto tempore evacuationis menſtruæ, brachio & animo ad iram valde concitato omni propemodum vocis uſu prorſus privabatur: quem tribus elapſis a triſti caſu menſibus *Lemery* exemplo parentis infuſione vulnerariæ feliciter reſtituit. *Winslow* ab Illuſtriſſimo Præſide *Bignonio* excitatus ad examen mechanicæ articulationum, & motus membrorum extremorum corporis humani de muſculis ſcapulæ,& mechanicas cartilaginum ſemilunarium obſervationes communicat. Inquiſivit accuratius, quam hactenus factum, in modum, quo muſculi trapezius & ſerratus anticus major homoplatæ inſeruntur, & ex inſertione trapezii ſive cucularis demonſtrare conatur, quod omnes ipſius portiones conſpirent in ſcapulæ elevationem; ex inſertione vero ſerrati majoris, ejusque ſtructura prorſus ſingulari, ab Anatomicis hactenus non ſatis expenſa, quinam ſequatur uſus, alias ſe demonſtraturum pollicetur. Obſervavit muſculum ſerratum majorem ex tribus veluti portionibus componi, quarum duæ majores vulgo per fibrarum directiones diſtinguantur, tertia minori prorſus neglecta. Monet præterea, quæ ab Anatomicis de eodem in Tabulis annotantur, nonniſi unam ipſius portionem majorem concernere. Cartilagines ſemilunares uſum ſuum exerere in motu cruris ſingularem, cujus hactenus rationem non habuerunt Anatomici, & quem *rotationem cruris inflexi* appellat.

In *Chymicis* hiſtoriam purgantium medicamentorum continuaturus *Boulduccus*,cucumeres agreſtes contemplatur. Monſtrat, vim eorum purgativam in partibus ſalinis conſiſtere, cum nonniſi his abundent, ſulphureis careant. Cum herba inter purgantia fortiora numeretur, decoctum ex radice leniter purgare reperit, præſertim ſi 24 aut 30 grana radicis jungantur cum quibusdam granis Rhebarbaræ & ſalis abſinthii cum extracto juniperi. *Godofredus* facile ſuppeditat remedium arcendi vapores noxios vel ingratos in diſſolutionibus. Oleum ſcilicet menſtruo affunditur, quod eidem ſupernatat. Effervelcentia minor, ſed major metalli quantitas diſſolvitur. *Lemery* docet, analyſes chymicas ordinarias minime nos dedu-

 cere

cere in cognitionem mixti. Etſi enim Academia Scientiarum ultra 1400 plantas hac ratione reſolverit, non aliud tamen ſibi inde profeciſſe viſa fuit, quam ut intellexerit, hac ratione ad interiorem mixti notitiam perveniri haud quaquam poſſe. Putat itaque, ut mixta cognoſcantur, ea tantummodo reſolvenda eſſe in minus mixta, quæ ipſorum intuitu pro principiis haberi queant. Methodum pollicetur analyſes nova ratione inſtituendi, veteribus magis exactas magiſque fructuoſas. Etſi enim adhuc eædem aliquibus defectibus obnoxiæ ſint, defectus tamen non modo pauciores eſſe, quam in veteribus deprehenduntur, ſed etiam notos, ut in errorem deducere non poſſint. *Boulduccus* junior uſum Chacarillæ deſcribit, quam radicem Quinquinæ loco olim uſurparit *Fagon*, cum hæc in Gallia rarior eſſet. *Apinum* illius infuſum primum adhibuiſſe in febribus epidemicis & catharralibus, eandem vero in ſubſtantia exhibuiſſe in febribus ordinariis. *Stablium*, Archiatrum Regis Boruſſiæ, uſum ejus extendiſſe ad pleuritidem, peripnevmoniam & morbos alios, cum viſcoſitates attenuet. *Boulduccus* uſum ejus expertus eſt in colica ventoſa, & in affectibus hyſtericis aut hypochondriacis. Eandem in ſubſtantia ſumtam hæmorrhoides internas promovere, & in dyſenteria plurimum prodeſſe didicit. Roborat ventriculum, cum Hypecacuana & reliquæ plantæ emeticæ eundem debilitent.

In *Botanicis* ſuſpicatur *Marchant*, fieri poſſe, ut novæ naſcantur plantarum ſpecies. Etenim menſe Julio A. 1715 in horto ſuo naſci vidit plantam, ſibi ac Botanicis ignotam, quæ uſque ad finem Decembris ſubſtitit. Cum commode ad genus *Mercurialis* referri poſſet, eam *Mercurialem foliis capillaceis* nominavit. Anno ſequente menſe Aprili eodem in loco comparuerunt 6 plantæ aliæ, quarum quatuor erant priori ſimiles, duæ admodum differentes, ut novam ſpeciem commode conſtituerent, quam *Mercurialem foliis in varias & inæquales lacinias quaſi dilaceratis* nuncupavit. Plantæ hæ ſubſequentibus annis intra ſpatium 7 vel 8 pedum multiplicatæ fuerunt, etſi nullum ſemen in iis detegere potuerit. *Vaillant* characteres 14 generum plantarum & *Iſnardus* duas novas plantas deſcribit.

In


In *Geometricis* quadraturam geometricam fornicis ſingulari quadam ratione conſtructi dedit *Bernardus*, Architectus militaris Regius. *Varignonius* Geometriam communem novo quodam theoremate locupletavit, quod quandam cum theoremate *Pythagorico* affinitatem habet; ſed ſine multarum figurarum apparatu, cum plures caſus diverſos involvat, commode expli-ari nequit. *De Lagny* nova ratione absque calculo infiniteſimali ex data Tangente determinare docet arcum, ac inde per modum corollarii ſeriem *Leibnitianam* pro circulo deducit, quam praxi parum convenire *Ozanami* experientia probat, qui ultra trecentas operationes requiri didicit, antequam ratio diametri ad peripheriam ut 100 ad 314 elicitur. Monet autem, ſi tangens duodecimæ partis peripheriæ ſumatur, qui $=\sqrt{\tfrac{1}{3}}$ poſita diametro $= 2$, mira facilitate duobus diverſis modis ope ſerierum exhibitarum circumferentiam circuli inveniri *3141. 5926. 5358. 9793. 2384. 6264. 3383. 2795. 0288. 4197. 1693. 9937. 5105. 8209. 7494. 4592. 3078. 1640. 6286. 2089. 9862. 8034. 8253. 4211. 7067. 9821. 4808. 6513. 2723. 0664. 7093. 8446* + & *8447* — . Demonſtrationem calculi ſe alias daturum promittit. Bene autem obſervat, in magnis iſtiusmodi calculis non ſufficere, ut conſtet, nos uſos fuiſſe methodo accurata, ſed requiri præterea, ut per conſenſum plurium methodorum calculi infallibilitas evincatur. Series, quas dedit, hæ ſunt. Si radius circuli $= r$, tangens arcus quadrante minoris $= t$, erit arcus $= \frac{rr}{rr+1} + \frac{rr}{rr+4} + \frac{rr}{rr+9} + \frac{rr}{rr+16}$ &c. $+ \frac{rr}{rr+tt}$: ſunt autem $rr+1$, $rr+4$, $rr+9$ &c. quadrata ſecantium in dato ſectore arithmetice comprehenſorum, ſuppoſita ſcilicet tangentis in partes æquales diviſione. Hanc ſeriem deinde transformat in alteram $t - \frac{t}{3r^2} + \frac{t^5}{5r^4} - \frac{t^7}{7r^6}$ &c. ſive $\frac{3r^2t^1 - tt^3}{3r^2} + \frac{7r^2t^5 - 5t^7}{35r^6} + \frac{11r^2t^9 - 9t^{\circ}}{99r^6}$ &c. Prior transformatarum

eſt

eſt Series *Leibnitiana*, unde quadraturam ſuam arithmeticam deduxit, aut, ſi mavis, *Gregoriana*, cum *Jacobus Gregorius* eam ante *Leibnitium* habuerit.

In *Aſtronomicis* phænomenon ſingulare circa altitudines apparentes aſtrorum detexit *Caſſinus*, quod ſcilicet per teleſcopium obſervata videantur deprimi, dum ad Meridianum tendant; ſed elevari, dum ab eodem elongantur. Contingit id in aſtris, quæ in Meridiano conſtituta inter zenith & æquatorem ſubſiſtunt. Phænomeni hujus neceſſitatem demonſtraturus eſt *Caſſinus* in amplo Opere, quod de Meridiana obſervatorii per totam Galliam ducta publici juris facere decrevit. Aliqua jam prælibavit *Fontenellius*. Inde nimirum conſequitur, quod in poſitione tubi horizontali filum in foco interſecans verticale ad angulos rectos ſit in plano horizontis, in elevatione autem tubi obliqua in plano circuli maximi ſphæram mundanam oblique ſecantis. *Maraldus* varia annotavit phænomena circa ſtellam novam in balæna, quæ nunc apparet, nunc iterum diſparet. Ab anno 1596, quo primum obſervata fuit, uſque ad annum 1687 revolutionis unius quantitas 10 menſium 25 dierum deprehenditur; ſed ab A. 1687 usque ad 1710 continuo crevit, ab A. 1710 iterum decreſcit. Tempus apparitionis in ſingulis revolutionibus non eſt idem. Nimirum eſt 3 menſium & aliquot dierum; maximum $4\frac{1}{2}$ menſium. A prima apparitione creſcit, donec intervallo 15 vel 20 dierum ad maximam magnitudinem pervenerit, in qua per aliquod temporis ſpatium ſubſiſtit; deinde per 30 vel 40 dies decreſcit, antequam evaneſcat. Maxima magnitudo non eſt in ſingulis revolutionibus eadem; ſed intra terminos ſtellarum ſecundæ & quartæ magnitudinis continetur. Si ad majorem magnitudinem pervenit, tempus apparitionis longius eſt. *Caſſinus* novam proponit methodum directe inveniendi ex anomalia media data anomaliam coæquatam ſive æquationem orbis in hypotheſi elliptica *Kepleri*. Sit *ALB* ellipſis, in qua Planeta incedit, centrum in *C* & in foco *S* Sol, *CS* eccentricitas, *AIDB* eccentricus ex centro *C* deſcriptus. Sit Planeta in *L* & per *L* ducta *IF* ad axem *AB* perpendicula-

diculariſ. Sit denique *AD* anomalia media, ſeu angulus *ACD*



exprimat anomaliam mediam, quemadmodum *ASI* veram ſive coæquatam. Per hypotheſin *Kepleri* eſt ſector ellipticus *ASL* ad ellipſin integram ut anomalia media *AD* ad tempus integræ revolutionis ſeu integram peripheriam eccentrici, conſequenter ut ſector *ACD* ad aream integri circuli eccentrici. Enimvero per naturam ellipſeos ſector ellipticus *ASL* ad ellipſin integram ut area *ASI* ad integrum circulum. Ergo *ACD* & *ASI* ad aream integri circuli eandem rationem habent, adeoque æquales ſunt. Ablato igitur ſectore communi *ACI*, erit *SCI* = *DCI*. Demittatur *SE* ad *IC* continuatam in *E* perpendicularis, erit ob $DI.\frac{1}{2}CI = SE.\frac{1}{2}CI$ etiam *DI* = *SE*. Ducatur *DO* parallela ipſi *EI*, erit *OS* = *DT* = ſinui *DI*, conſequenter *SO* differentia inter ſinum *DT* & ejus arcum *DI*. Quamdiu angulus *DCI* non excedit gradum unum cum dimidio, differentia iſta dimidium ſecundi non ſuperat, & hinc ſumi poteſt *SE* = *OE*, hoc eſt, *DT* = *DI* & *DS* ipſi *EI* parallela, conſequenter *CDS* = *DCI*. Datis in triangulo *DCS* cruribus *DC* & *CS* una cum angulo *DCS* anomaliæ mediæ *ACD* complemento, invenitur latus *DS* & angulus *CDS* ſeu *DCI*, qui ex *ACD* ſubductus relinquit *ACI*. Porro in triangulo *CIS* datis cruribus

 IC & *CS*

IC & *CS* una cum angulo *ICS* complemento ipſius *ACI* modo inventi reperitur *CIS*, qui ex *ACI* ſubductus relinquit *ASI*. In triangulo rectangulo *GCS* ex natura ellipſeos *GS* = *CA* & *SC* eccentricitas data: unde innoteſcit *GC*. Quamobrem cum ſit *HC* : *GC* = *IF* : *FL* & *IF* ad *FL* ut tangens anguli *ISF* ad tangentem anguli *LSF*; erit ut *HC* ad *GC* ita tangens anguli *ASI* modo inventi ad tangentem anguli *LSA* ſeu anguli ad Solem, qui metitur anomaliam coæquatam. Ad facilitandum calculum conſtruxit *Caſſinus* Tabulam differentiarum *SO* inter arcum *DI* & ſinum *DT*. Notandum vero, in theoria Solis angulum *DCI* nunquam excedere gradum, in Venere 25′, in Luna $2\frac{1}{2}$ gr. in Jove 2° 56′, in Saturno 3° 15′, conſequenter *SO* in Sole $\frac{1}{4}$, in Venere multo minor quam $\frac{1}{4}$, in Luna 3, in Jove 4, in Saturno 6 ſecunda nunquam excedere: in Marte autem ad 30 ſecunda, in Mercurio ad 6 minuta aſſurgere. Societas Regia Anglicana experimento comprobavit, lumen ex vacuo ope antliæ pnevmaticæ facto refringi in aerem. Academia Scientiarum A. 1700 per ſua experimenta contrarium probabat. Enimvero *Deliſle* junior experimentum cum omni circumſpectione repetens ab Anglorum parte ſtare veritatem reperit. Quoniam vero refractio ex hoc vacuo in aerem minor refractione Aſtronomica; ſubſtantiam æthercam rariorem concludit, quam aerem in vacuo per antliam pnevmaticam producto reſiduum. Refert *Fontenellius*, quæ A. 1717, 1718 & 1719 de maculis ſolaribus obſervata fuere, cumque his annis maculæ complures, ſed ſine ullo ordine digeſtæ, una comparuerint, hypotheſis *Philippi de la Hire* rejicitur, qui earum originem ſolido Soli innatanti tribuerat, eminentiis irregularibus nunc ultra Solis ſuperficiem emergentibus. *Deliſle* junior deſcribit conſtructionem Gnomonis ad dirigendum motum penduli in uſum obſervationum aſtronomicarum, quo ipſe huc uſque feliciter uſus. *Maraldus* confert obſervationes nonnullas aſtronomicas Equitis de *Louville* cum iis, quæ factæ ſunt in obſervatorio Regio. Ex obſervationibus geodæticis deducitur differentia longitudinis inter obſervatorium Regium & domum, ubi obſervat de *Louville*, 22′ 51″, ſeu horaria unius minuti

nuti & triginta unius ſecundorum temporis. Eſt autem domus *Louvilliana* occidentalior obſervatorio Regio. Ex obſervationibus eclipſium circumjovialium differentiam eandem horariam deducit 1′ 31″ ſeu 1′ 32″, via geodætica & aſtronomica mire conſentientibus. Monet autem *Maraldus*, per obſervationes in Obſervatorio Regio factas conſtare, quod Satellitis ♃ emerſio per teleſcopium 23 pedum, quo uſus eſt de *Louville*, 7 vel 8 ſecundis citius appareat, quam per tubum 17 pedum, quo uſi ſunt in Obſervatorio Regio *Caſſinus* & *Maraldus*. Quamobrem in comparandis obſervationibus hujus differentiæ rationem habet. Altitudinem poli in domo *Louvilliana* via geodætica reperit 47° 54′ 23″, ſuppoſita eadem in Obſervatorio Regio 48° 50′ 10″. *De Louville* novum deſcribit inſtrumentum, quod ad aſcenſiones rectas ſtellarum facile & exacte obſervandas invenit. Componitur ex duobus teleſcopiis, altero horizontali fixo, altero verticali mobili, ut ad omnes altitudines meridianas aptari poſſit. *Deliſle* junior d. 22 April. 1719 hor. 8 veſp. & d. 30 Oct. hor. 9 veſp. *Aldebaram* a Luna tectam obſervavit. *Caſſinus* in Obſervatorio Regio d. 29 Aug. A. 1719 obſervavit eclipſin Lunæ. Initium fuit hor. 7. 23′. 55″. Per teleſcopium 8 pedum hor. 8. 56′. 26″ Luna tota eclipſata apparuit. Finis accidit hor. 9. 41′. 10″. Maxima obſcuratio hor. 8. 32′. 32″ fuit 4 dig. 39 min. *Maraldus* obſervans eandem eclipſin, notavit hor. 7 minutis 20 ante eclipſeos initium, penumbram jam magnam diſci lunaris partem occupare. Hor. 7. 21′ prope *Heraclidem* obſcuritas inſignis notata, hor. 7. 23″ limbus Lunæ non amplius diſtingui potuit. Hor. 7. 24′. 30″ initium eclipſeos certum fuit. Hor. 8. 14′ maximam obſcurationem æſtimavit 4 dig. 41′, ſed hor. 8. 12′. 30″ eandem adhuc quantitatem reperit. Finis accidit hor. 9. 41′. Lunæ diameter per micrometrum paulo ante eclipſin deprehenſa 30′. 30″.

In *Mechanicis* theoriam gravitatis motus ampliat *Varignonius* comparando celeritates corporis gravitate quomodocunque variabili in vacuo ſive per lineas rectas, ſive per lineas curvas quaſcunque aſcendentium, vel deſcendentium. Caſum aliquem jam expendit *Newtonus* in Principiis & poſt eundem ſuo quiſque modo demonſtrarunt *Joannes Bernoullius* atque *Hermannus*.

mannur. Sed ultra limites, intra quos ipſi perſtiterunt, progreditur *Varignonius*. Hactenus torno inducere non licuit figuras polygonas, triangulares atque quadratas ob continuum torni motum: ſed defectum hunc ſupplevit *de la Hire*, qui machinam eo fine excogitavit, ubi motus rotationis ad arbitrium ſiſtitur, objectum tamdiu fixum detinetur, quamdiu opus fuerit.

Inter elogia Sociorum, quibus hoc anno Academia Scientiarum orbata fuit, primo loco comparet elogium *Petri Remondi de Monmort*. Natus is eſt Pariſiis d. 27 Oct. A. 1678, patre *Franciſco Remondo*, ſtabuli Magiſtro, Domino de *Breviande*, & matre *Margaretha Ralle*. Ab illo ſtudio Juris deſtinabatur, ut olim ad dignitatem civilem eveheretur, a quo tamen Noſter abhorrebat. Parens cum eſſet ſeverus & admodum imperioſus, filius vero jugi impatiens; hic juris civilis & paternæ domus pertæſus, in Angliam, & poſt pacem *Ryſwicenſem* in Bataviam, ac inde ulterius *Ratisbonam* in *Germaniam* ſe contulit, ubi patruus ipſius de *Chamois* in comitiis imperii Plenipotentiarium Regis *Galliarum* agebat. Incidebat ſubinde in Tractatum *Malebranchii* de inquirenda veritate, cujus ſyſtema avide amplexus ſub finem anni 1699 in *Galliam* redibat. Vix duos menſes *Pariſiis* agebat, cum parens fatis cedens ingentem opum vim ipſi relinquebat. Sui igitur juris factus, autore *Malebranchio*, quem Magiſtrum, ducem & amicum intimum colebat, exercitiis pietatis ſinceræ, Philoſophiæ ac Matheſi ſe totum dedit, poſtquam *Carré* & *Guiſnée* prima Geometriæ & Algebræ elementa ipſum edocuerant. A. 1700 in Angliam denuo profectus, *Newtonum* inviſit. Socium adſciverat *Nicolium*, juvenem, cujus jam aliqui erant in Geometria profectus, & cum ipſo per integros tres annos in ſtudio Geometrico deſudavit, donec ad ipſum calculum integralem penetrarent. Cum frater natu minor eccleſiaſticam perſonam agere nollet, ipſe eidem in Canonicatu *Pariſienſium* ſucceſſit. Suis ſumtibus imprimi curavit libros aliorum, quos *Bibliopolæ* ſuis edere recuſabant, veluti Applicationem Algebræ ad Geometriam *Guiſnei*, vel qui ob raritatem commode haberi non poterant, veluti *Newtoni* Tractatum de quadratu-

draturis. Religioſarum ordini adſcripſit virgines, quæ ob paupertatem vitam cælibem agere tenebantur. Circa finem A. 1704 emit prædium de *Montmort*, cumque ibi in vicinia degeret Duciſſa d' *Angoulesme*, nurus *Caroli IX*, Principem inviſens vidit ejus agnatam & filiam luſtricam de *Romicourt*. Ejus amore captus Canonicatu ſeſe abdicavit & A. 1706 in arce *Marevil* matrimonium cum eadem iniit, cum ante contractum ſponte declaraſſet, quod 25000 aureorum hæreditatis paternæ conſumſiſſet, quos ſcilicet maximam partem in pauperes erogaverat. Matrimonio contracto, vitam ſimplicem & ſolitariam continuans & in applicatione Analyſeos ad materiam ludorum tempus conſumens, A. 1708 Tentamen analyſeos in ludis fortunæ edidit, cujus nonniſi pauca ſpecimina a *Paſchalio* & *Hugenio* data proſtabant: quæ enim *Bernoullius* reliquerat ſub titulo *Artis conjectandi*, nondum lucem publicam adſpexerant. Cum *Nicolaus Bernoulli*, agnatus *Jacobi* atque *Johannis*, ex patrui opere poſthumo MSc. de arte conjectandi ejusdem argumenti dulcedinem quandam percepiſſet, atque *Montmortium* Pariſiis conveniret, hic eum ſecum in prædium ſuum abduxit, ubi per tres menſes in ſolvendis problematibus ad hoc argumentum ſpectantibus tempus omne conſumebant. Inciderunt in combinationes admodum complicatas & in ſeries numerorum ſecundum certas conditiones formatas & ex infinitis terminis compoſitas, quarum theoria non modo in ſublimiori Geometria curvarum, verum etiam in Arithmetica politica, qualem dedit *Petty* Anglus, locum habere poſſunt. Ægre tulit, quod in Anglia *Moivræus* ederet librum de menſura ſortis, quem vitulo ſuo araſſe judicabat, & A. 1714 novam dedit libri ſui editionem multo auctiorem & commercio epiſtolico cum *Bernoulliis*, præſertim *Nicolao*, locupletatam. Præterea commercium epiſtolicum ipſi interceſſit cum *Leibnitio*, *Hallejo*, *Tayloro*, *Craigio*, *Hermanno*, *Poleno*. Cum controverſia de invento calculi differentiali & integrali inter *Newtonum* & *Leibnitium* oriretur, continuata poſt hujus mortem inter Anglos & *Joannem Bernoullium*; judicis ſubiade perſonam ſuſtinuit inter adverſas partes, quarum utrique erat amicus. A. 1715 tertia vice in Angliam

excurrit, eclipſin Solis, quæ Londini totalis erat, obſervaturus: ubi in numerum ſociorum receptus. Hoc tamen non obſtante, impugnavit attractiones per *Carteſianiſmum* abolitas & ab *Anglis* reſuſcitatas. Multæ ipſi controverſiæ ea de re interceſſerunt cum *Tayloro*, amico ſingulari. Miſit Londinum Tractatum prolixum & valde curioſum de Seriebus infinitis, quem *Taylorus* in Transactionibus A. 1717 imprimi curavit, additionibus quibusdam additis. Anno 1716 in Academiam Scientiarum Regiam receptus, aliud de ſimili argumento ſcriptum eidem deſtinaverat, ſed A. 1719 negotiorum cauſa Lutetias Pariſiorum veniens, variolis correptus, d. 7 Octobris vitam cum morte commutavit. Ab aliquo tempore in Hiſtoria Geometriæ conſcribenda deſudabat: ſed labori immortuus eandem ad umbilicum perducere non potuit. Maluit rure degere, quam Pariſiis, ne a meditationibus concatenatis diſtraheretur. Sæpius tamen teſtatus eſt *Malebranchius*, quod in muſæo, ubi problematis intricatis enodandis incumbebat, filiolus ipſius diſcurſitaverit, & inſtrumenta muſica pulſata fuerint, attentione non impedita. Pariſiis cum eſſet, eruditos advenas omni officiorum genere ſibi devinxit. Ad iram erat pronus, imprimis quando meditationes interrumpebantur negotiorum domeſticorum cauſa; hoc tamen non obſtante admodum lenis erat & iram aliquis pudor excipere ſolebat. Bonus erat herus, bonus amicus, bonus maritus, bonus pater omni ex parte.

Michael Rollius natus eſt *Amberti* in Arvernia inferiori d. 21 Aprilis A. 1652. Cum parens mercaturam exerceret, elementis Arithmeticæ tinctum in praxi Juris inſtitui curabat a Notario & Procuratoribus, ut diſceret, unde aliquando viveret. Sed hujus rei pertæſus, anno ætatis 23 Pariſios venit, pueros artem bene ſcribendi edocturus. Arithmeticam cum excoleret, præter ſpem ac intentionem ad ipſam uſque Algebram penetravit, quam ad palatum ſuum experiebatur. A. 1682, ætatis 30, ſolvit problema ab *Ozanamo* propoſitum: *invenire quatuor numeros ejus conditionis, ut differentia duorum quorumcunque trium priorum ſit etiam quadratus*, longe ultra expectationem propoſitoris, qui adjecerat, minimos horum numerorum

rum non paucioribus quam 50 notis conſtare. *Colbertus* ex obſcuro protraxit *Rollium*, donoque remuneratus eſt ſolutionem, quod poſtea in ſtipendium fixum abiit. Totum igitur ſeſe Algebræ dedit, tantosque in ea fecit progreſſus, ut A. 1685 in Academiam Scientiarum reciperetur. Equidem de *Louvois*, cujus filium in elementis Matheſeos inſtituerat, ipſum admovebat ſtationi, quæ ſuppeditabat, unde commodius viveret: ſed *Algebræ* dulcedine captus ad Academiam Scientiarum redibat, etſi eſſet res anguſta domi. A. 1690 publicavit Tractatum de Algebra in 4, ubi nova methodo (quam vernacula *la methode des Caſcades* appellat) æquationes determinatas omnium graduum reſolvere docet. Anno ſequente Demonſtrationem iſtius methodi edidit, una cum duabus aliis methodis, quarum prima ſuppeditat media reſolvendi eaſdem æquationes per Geometriam, & ſecunda media reſolvendi plures quæſtiones *Diophanti*, hactenus reſolutionem non nactas. A. 1699 publicavit Methodos reſolvendi quæſtiones indeterminatas Algebræ. Prodibat tunc temporis *Hoſpitalii* Analyſis infinite parvorum, quam oppugnare decreverat *Rollius*, niſi Academia Scientiarum ſilentium eidem impoſuiſſet. Interim tamen animum inimicum prodidit adverſus novum calculum *Leibnitii*, & ſimul Geometriam *Carteſii* in theoria de conſtructione æquationum impugnavit, hanc *Philippo de la Hire*, illum *Varignonio* & *Saurino* defendentibus. Algebram multa adhuc imperfectione laborare credidit, eamque latius extendi poſſe, quam vulgo ſibi perſuadent. Nova prorſus meditabatur elementa Algebræ; ſed, quæ Academiæ obtulit ſpecimina, obſcuritate plena erant. A. 1703 apoplexia correptus, omne periculum feliciter evaſit; ſed decem poſt annos in paralyſin incidit, ut in publicum prodire non poſſet. Obiit d. 8 Novembr. A. 1719. ætatis 68. Iis erat præditus moribus, qui comitari ſolent homines ſtudiis nimium addictos & a commercio mundi alienos. Locum Geometræ ſtipendiarii a morte ejus obtinuit Vir Cl. *De Mairan.*

Bernhardus Renau d'Eliſagaray natus eſt A. 1652 in *Bearnia*. Patri ejus erat res anguſta domi cum liberorum multitudine conjuncta. *Colbertus du Terron* Præfectus *Rupefortii* (de

(de *Rochefort*) eum quaſi filii loco habuit in domo ſua & in Matheſi inſtitui curavit. Pauca legit Noſter, plurimum meditatus, non in muſæo, ſed in præſentia aliorum. Plurimum delectatus *Malebranchii* Tractatu de inquirenda veritate. Cum in arte navigandi multum profeciſſet, commendatione Mæcenatis ſui effectum eſt, ut Dn. de *Seignelai* A. 1679 ipſi procuraret munus apud Comitem de *Vermandois*, ſummum rei maritimæ in Gallia præfectum. Cum Rex conſtructionem navium meditaretur, & eo fine omnes navium Præfectos una cum architectis peritiſſimis *Pariſios* evocaret; quatuor menſium conſultationibus interfuit. Duæ autem prævaluerunt methodi, quarum alteram dedit *du Queſne*, ob rei maritimæ peritiam celebris, alteram *Renau*, juvenis adhuc & fama carens. Nihilominus tamen *du Queſne*, præſente Rege, prærogativam ipſi tribuit. Juſſit Rex, ut cum Dn. *de Seignelai*, Equite de *Tourville* & Dn. du *Queſne* filio in portus proficiſceretur, executioni daturus, quæ ideis materialibus probaverant: ubi non modo architectos navales, verum etiam ipſorum filios inſtruebat, ut 15 vel 20 ætatis anno efficerent, ad quod alias vix 30 annorum experientia ſufficiebat. A. 1680 bello inter *Algerienſes* & *Gallos* exorto, novo conſilio *Algerium* glandibus majoribus igniariis (quas *Bombas* vulgo vocant) ex navibus projiciendis petendum eſſe cenſens, eum in finem novum triremium genus excogitavit & munimentum fortiſſimum felici ſucceſſu expugnavit, etſi auſum hunc inter ea referrent, quæ ſuavia ſomnia luxuriantium ingeniorum putantur. Invenit etiam novum mortariorum genus, ex quo ad majorem multo diſtantiam bombas projicere licet, quam ex ordinariis, nempe ex intervallo 1700 hexapedarum Gallicarum. Mortuo ſummo rei maritimæ Præfecto, a Rege obtinuit, ut miſſa re maritima in *Flandriam* abiret *Vaubanio* adjungendus. A. 1684 a Rege deſtinatus fuerat obſidioni *Lucemburgenſi*: ſed cum Dn. de *Seignalai* ejus opera indigeret in expeditione *Genuenſi*, eidem interreſſe juſſus. Urbe glandibus igniariis infeſtata, miſſus eſt in *Catalauniam*, ubi obſidionem munimenti *de Cadaquiers* direxit. Inde redux cum *Vaubanio* egit, fines *Flandriæ* & *Germaniæ* munituro, & A. 1688 cum eodem

tribus

trbus in Germania obſidionibus interfuit, in quibus omnis periculi aleam ipſe ſubibat, Rege vetante, ne *Vaubanius* eidem ſeſe exponeret. Interea temporis Theoriam ſuam de manuaria nautica conſcripſit, opus hactenus ſine exemplo, eandemque A. 1689 publici juris fecit. *Hugenius* propoſitionem quandam libri fundamentalem condemnabat, *Malebranchio*, & *Joanne Bernoullio*, qui ex iis judicabat, quæ ipſi per literas ſignificaverat *Hoſpitalius*, a partibus ipſius ſtantibus. Cum A. 1689 omni fere *Europæ Gallia* bellum indiceret, *Renau* defendit, *Galliam* ſolam ſufficere adverſus molimina maritima *Angliæ* ac *Belgii fœderati*, diſſentientibusque aliis Regi perſuaſit. Cum eodem tempore plurima inventa nova ad rem maritimam perficiendam Regi exponeret, & per ideas materiales approbaret, votum in Conſilio ſanctiori rei matitimæ Præfectuum obtinuit & ejusdem rei inſpectionem generalem, una cum autoritate docendi novas praxes, addito ſtipendio 12000 librarum. Sed antequam diploma expediretur, mortuo Domino de *Seignelai* ſucceſſit Dn. de *Pontchartrain*: quamobrem *Renau*, novo huic Adminiſtro ignotus, miſſa re maritima, ad *Vaubanium* redire decreverat. Enimvero cum A. 1691 Præfecti rei maritimæ ſuas de bello iſtius anni ideas offerrent, Rex ex ſupremo rei maritimæ Præfecto Dn. de *Pontchartrain* quæſivit, ubinam eſſet ea, quam dederit *Renau*: & hac occaſione ab eodem obtinuit, quod ipſi promiſerat Dn. de *Seignelai*. Quamvis autem Rex ejus opera uſus in militia navali, eadem tamen quoque uſus eſt in terreſtri. *Breſtiæ* Duces copiarum navalium novas praxes cum docere intenderet, id parum honorificum ſibi reputantes, reſtiterunt, quare Rex in nonnullos animadvertit, *Renavio* fruſtra intercedente. In obſidione *Namurci*, cui Rex ipſe intererat, ſocias cum *Vaubanio* operas præſtitit. Inde in mare excurrit, *Sanmaclovium* ſervaturus, una cum 30 navibus, quæ poſt prælium navale ſe illuc receperant. Cum A. 1693, deliberationibus abſolutis, conſilium de bello maritimo Rex probaſſet, *Renau* ab eodem conſultus ſuum denegavit ſuffragium, additis rationibus, quæ conſilii mutationem perſuaſerunt, nec ſucceſſu infelici. Cum navem *Breſtiæ* conſtructam juxta propriam ideam adverſus piratas Anglos probare conſti-

 tuiſſet

tuiſſet, in duas incidit naves, quæ ex India orientali magnas divitias apportabant. Prælio navali feliciter peracto compos factus fuerat theſauri adamantum inſignis, qui cum ipſi deberetur, pretio ingenti permotus, quod quater millena millia aureorum ſuperabat, eundem Regi obtulit, qui ipſi ſtipendium annuum 9000 librarum aſſignabat, pro difficultate illorum temporum. Res præclaras in America meditatus A. 1697, ob peſtem ibi graſſantem ſtatim redire coactus, & ſecundum, quod meditabatur, iter morte *Caroli II*, Hiſpaniarum Regis, interruptum. Hinc ejus ſucceſſor *Philippus V* a Rege Chriſtianiſſimo impetrabat, ut in *Hiſpaniam* mitteretur *Renau*, loca munita magni momenti, veluti *Gades*, firmaturus, quamvis ſumtibus neceſſariis negatis nihil perficeret. A. 1702 navibus *Hiſpanicis* ex *America* reducibus, in portu *de Vigo* periclitantibus, 30 millena millia aureorum in conſpectu quaſi hoſtium inaudita dexteritate ſervavit, per omnem *Galliciam* conquiſitis curribus ultra 4000, quibus illam argenti vim ex navibus exportatam impoſuit, antequam hæ in hoſtium manus inciderent. Multa præclara & prorſus ſingularia præſtitit A. 1704 in obſidione *Heracleæ*, quæ vulgo *Gibraltar* appellatur. Intereſſe quoque debebat obſidioni *Barcinonenſi*: ſed cum eſſent, qui ejus operam magis neceſſariam prædicarent in *Gadibus* muniendis, illuc ſeſe contulit. Enimvero cum loco 200 millium aureorum, quæ promittebantur, ne obolum quidem ibidem reperiret, fidem ſuam apud mercatores interpoſuit, ut ſumtus ad publicam utilitatem facerent. Poſtquam vero facultates ſuas exhauſiſſet, nec ibi amplius ſubſiſtere poſſet, poſt continuos quinquennii labores & itinera, rebus omnibus, quas ſecum habebat, divenditis, ne deeſſent itineri ſumtus, cum unico duplione in Galliam rediit. Et Rex quidem ipſi promittebat, quod ſervitia in *Hiſpania* præſtita ita cenſeri debeant, ac ſi eadem in uſum *Galliæ* impendiſſet. Sed ære alieno tantum non opprimebatur difficillimis iſtis temporibus, quibus poſcere non licebat, quæ ipſi debebantur a pluribus annis. A. 1713 *Joannes Bernoulli*, manuaria nautica accuratius expenſa, *Hugenii* adverſus ipſum partes amplexus eſt & per literas contra ipſius propoſitionem fundamentalem diſputavit. Controverſiæ finem facturus edidit A.

1714

1714 Tractatum de manuaria nautica: ſed manus victas nondum dabat *Renau*, quod theoriam *Bernoullianam*, etſi *Renaviana* magis complicatam, a vera tamen parum utique differre cenſeret. Inter hæc Miniſtris fere ac Regi ignotus eſſe cœpit. At cum *Melitenſes* ſibi a *Turcis* metuerent, magnus Equitum Magiſter a Rege chriſtianiſſimo petiit, ut *Renavium* defenſorem inſulæ mitteret. Illuc igitur abitum parabat, ſperans fore, ut redux rei ſuæ familiaris ſtatum Regi coram exponere poſſet. Enimvero metus *Melitenſium* vanus fuerat, & Rex interea moriebatur. Tum Dux *Aurelianenſis*, Regentis munere fungens, cui merita ipſius erant perſpecta, eum ad dignitatem Conſiliarii maritimi evexit, & ejus opera uti decreverat in capiendo experimento onerum juxta methodum *Vaubanianam* diſtribuendorum, de qua alibi diximus in his Actis. Quoniam vero ab aliquo tempore retentione urinæ laborabat, A. 1719 menſe Septembri aquæ calidæ hauſtu largiori remedium allaturus, in febrim, & urinæ retentione aucta, in hydropem incidit. Cumque contra mandatum Medicorum nimia aquæ quantitate continuo ſeſe oppleret, die 20 Sept. A. 1719 vitam abſque dolore & cum rationis uſu finiit. A. 1699 in Academiam Scientiarum fuit receptus, Geometra fere a natura factus. Scripta *Malebranchii* contemtum eruditionis ipſi inſinuaverant, nec otium nactus fuerat, ut de ea ſibi comparanda cogitaret.

C. G. DEMONSTRATIO THEOREMATIS Fermatiani, nullum numerum triangularem præter. I. eſſe quadratoquadratum.

SCripſit olim Fermatius, in Epiſtola a Wallifio edita, ſe id demonſtrare poſſe, demonſtrationem vero ſuppreſſit, quapropter dignam exiſtimavi quam inveſtigarem. Fingatur (I.) Radix illius quadratoquadrati $=$ ab. ubi a. ſit numerus integer. (II.) Quadratoquadrati a^4b^4. quotiens & diviſor quicunque reduci poterunt ad ab^2. & a^3b^2. ſed (III.) omnes numeri triangulares reduci poſſunt ad hanc formulam $x(2x+1)$ ubi x. eſt numerus integer quicunque, ergo illud quadratoquadratum cui

æqualis eſſet numerus triangularis, haberet diviſorem $ab^2. = x.$ & quotientem $a^3b^2 = 2x + 1.$ (IV.) ex prima æquatione colligitur $b^2 = \frac{x}{a}$; ex altera $b^2 = \frac{2x+1.}{a^3}$ ergo $a^4 = \frac{2x+1.}{x}$ Quoniam vero (V.) a^2. eſt numerus integer (per poſitionem primam) & $\frac{2x+1}{x}$ exhibere non poteſt numerum integrum, niſi fiat $x = \pm 1.$ nec quadratum niſi ponatur $x = -1.$ quo poſito fit ipſe numerus triangularis primus $= 1.$ patet hunc unicum eſſe quadratoquadratum.

Pæne ſuperfluum eſt monere hanc demonſtrationem extenditum ad omnes ſeries numerorum hujus formulæ $x(\pm 1 + ex + fx^2 + gx^3 + \&c.)$ ubi x. ſit exponens terminorum; e. f. g. &c. ſint numeri integri vel o. (præter unicum caſum, ſi omnes ponerentur = o. quo caſu ſeries ipſa tranſiret in $\pm x$) tum etiam ad excludendos numeros ulteriorum poteſtatum parium, ita, ut nullus iſtarum ſerierum terminus excepto termino primo poſſit fieri quadratoquadratus, nec ſextæ nec decimæ nec ullius poteſtatis paris præter quadratam.

De triangularibus vero & hoc affirmari poteſt, ſi eorum quicunque = T. ponatur, T + 2. non eſſe quadratum; T + 3. non eſſe numerum poteſtatis quintæ; T. + 4. non eſſe numerum poteſtatis octavæ nec decimæ; T + 5. non eſſe quadratum; quibus multa ſimilia addi poſſent, ſed horum demonſtrationes non ex eodem, quo ſuperior illa, fonte derivantur, ut facile agnoſcent qui naturam numerorum penitius ſcrutati fuerint.

JO. RIZZETTI RESPONSIO AD G. FR. RICHTERUM, de Optica Newtoniana; (vid. Act. Erud. Menſ. Jan. 1724. p. 27 & ſupra, Sect. III, V, VII.)

IN poſtremo Schediaſmate, quod egregius Richterus de Optica Newtoniana Actis Lipſ. demandavit, plura ſunt, quæ ad controverſiam faciunt, & ut diſputationi finem imponam, de his volui præſtantiſſimos viros Regiæ Societatis Londinenſis in epiſtola conſulere. Alia quædam ſupervacanea videntur, quæ fal-

falſitate vel paralogiſmo laborant; & ut veritati in omnibus faveam, de his cum Adverſario pro hac vice agere ſtatui.

1. Licet objectorum inæqualiter diſtantium imagines nequeant in oculo, ob veterem refractionis legem, ſimul diſtinctæ exhiberi, eximius tamen Richterus eadem objecta uno oculorum actu ſimul diſtincta percipi vult. Hanc ſententiam experimento confirmat; nam ſi aſpicitur Luna, interpoſita quavis re, quæ ſit paulo amplior capillo, ac exiguo intervallo ab oculo diſtans, Lunam refert ac ſimul rem interpoſitam uno obtutu diſtincte videri; quamvis in oculo imago diſtinguatur unius & confundatur alterius. Verum eſt ac nemini latet, quod, ſi in oculo imago unius diſtinctione donatur, imago alterius confuſione inficitur; & falſum eſſe videtur, rem utramque uno obtutu apparere diſtinctam. Etenim inter Lunam & oculum filo ferreo interpoſito, dum acies in Lunam intenditur, filum confuſum apparet, & maculæ in Luna aliqua diſtinctione perſpicuæ: acie vero in filum converſa, hoc cernitur diſtinctum, & Luna magis quam antea confuſa.

2. Licet res inæqualiter remotæ æqualiter inſpiciantur diſtinctæ, ut extremitates virgæ *a A*, quarum una magis ab oculo quam altera diſtat, doctiſſ. tamen Richterus unius vel alterius imaginem in oculo vult ob veterem Refractionis legem confundi. Hanc ſententiam confirmat calculo: incidentibus enim radiis punctorum *aA* ex humore aqueo in chryſtallinum *Bb*, & ex chryſtallino in vitreum, ſi diſtantia fuerit *aM* $10\frac{5}{12}$, & *AM* 104 digitorum Rhinl. is elicit calculo diſtantias focorum, illius ſcilicet *em*, pertinentis ad punctum *a*, $\frac{3109}{14032}$, & alterius *em*, pertinentis ad punctum *A*, $\frac{13157}{72456}$ ejusdem digiti, & proinde ipſorum focorum differentiam *ce* ($\frac{1}{105}$ dig.) ſatis notabilem, ut in oculo confundatur imago unius aut alterius extremitatis virgæ; quamvis utraque ſimul pulchre diſcerni queat.

Vid. Act. Er. Jan. 1724 p. 39 Fig. 1.

Geminas virgæ extremitates, quarum una diſtat ab oculo $10\frac{5}{12}$, altera 104 dig. Rhinl. ſimul pulchre diſcerni poſſe, neſcio an certe affirmandum ſit; ſcio potius paralogiſmum olere calculum Richterianum, quo elicitur differentia focorum in caſu propoſito $\frac{1}{105}$ dig. Supponitur primum in calculo Richteriano,

teriano, radios punctorum *a*, *A*, incidere ex humore aqueo in chryſtallinum tanquam fluentes ex punctis *a*, *A*. Quia vero ſcimus, eos prius incidere ex aere in corneam, & ex hac in humorem aqueum, agnoſcimus quoque ipſos a cornea & ab aqueo humore refractos incidere in chryſtallinum, tanquam conſpirantes ad duo quædam puncta axis *Ae*, ultra *e* continuatæ. Nec dicendum eſt, nil referre, quod ipſi radii in chryſtallinum incidant fluentes ex punctis *a A*, aut conſpirantes ad duo puncta ultra *e*; ex aere enim in denſiorem lentem *Bb* radiantibus geminis punctis *a*, *A*, quorum imagines principaliter depingantur, illa ſc. puncti *a* in *e*, & illa puncti *A* in *c*, ſi materia lentis in rariorem mutatâ, ſuperius inducatur ſtratum materiæ denſioris aere, & rarioris illâ lentis, ita, ut maneat punctum *c*; adhibito calculo inveni, punctum *e* accedere ad punctum *c*. Supponuntur iterum in calculo Richteriano refractiones geminæ, alia ex aqueo in chryſtallinum, altera ex chryſtallino in vitreum. At quia ſcimus, chryſtallinum compoſitum eſſe ex innumerabilibus ſtratis materiæ interius denſioris ſemper atque denſioris, innumerabiles quoque refractiones eſſe non ignoramus. Nec dicendum eſt, nil referre, quod ſint refractiones geminæ vel plures; in lentem enim *Bb* ex una eademque materia confectam radiantibus, ut prius, geminis punctis *a*, *A*, quorum imagines principaliter depingantur, hoc eſt illa puncti *a* in *e*, & illa puncti *A* in *c*, ſi materia lentis mutatur in denſiorem interius & rariorem exterius, ita ut maneat punctum *e*, adhibito calculo inveni (ut alias memini) punctum *c* puncto *e* appropinquare. Paralogiſmum igitur ex duplici cauſa Richterianus calculus olet, & quia radii punctorum *a*, *A*, non incidunt in chryſtallinum tanquam fluentes ex punctis *aA*, ſed tanquam conſpirantes ad duo axis puncta ultra *e*, & quia radiis in chryſtallinum ingredientibus, & e chryſtallino egredientibus, refractiones non geminæ ſed innumerabiles fiunt. Unde intelligitur, differentiam focorum *ee* ex duplici cauſa eſſe minorem illa quam Adverſarius ex ſuo calculo elicuit.

3. Huic ſuo calculo nimis confidenter inſiſtens is addit, quod ſi punctorum variis coloribus denſe expreſſorum inſpicitur copia,

pia, e perexiguo unius duorumve pedum intervallo, ac pilus interponatur minus ab oculo diſtans; converſa ad hunc ipſum acie, libera ab obſcuritate & confuſione ſentiantur ea puncta, quorum imagines is putat in oculo ita diſtinctas non eſſe, ut illam pili. Verum eſt ac cunctis patet, quod acie ad pilum converſa imagines punctorum nequeant ita diſtinctæ depingi ut illa pili; at falſum eſſe videtur, libera ab obſcuritate & confuſione puncta ſentiri. His enim ab oculo diſtantibus intervallo duorum pedum, & pilo intervallo dimidii pedis, ſi oculus ad pilum intenditur, hic utique diſtinctus apparet, at punctorum colores confuſione inficiuntur.

4. Cum dixerim, capillum per quæcunque priſmata aſpectum aut penitus ex oculo amitti, aut evidenter perturbatum exhiberi, negat hoc Nobiliſſ. Richterus contingere in illis priſ- L. c. p. 36.
matibus, quorum ſuperficies non majori angulo quam paucorum graduum ad ſe invicem inclinantur. Verum eſt, quod ſi priſma adhibetur, cujus angulus refringens eſt unius aut duorum graduum, vix levia quædam veſtigia aberrantis luminis deteguntur. At abſit conſequentia, quam Adverſarius deducit. In punctis (ait) *b* & *L* lens *BbL* convenit cum priſmate adſcripto *bKL*, in aliis punctis cum aliis priſmatibus, in ipſo vero axe *Mm* cum vitris parallelarum ſuperficierum. Quapropter eam particulam capilli, quæ conſpicitur per puncta lentis *b* & *L*, perinde ut per priſma *bKL*; quæ per puncta *M* & *m*, non ſecus quam per vitra parallelarum ſuperficierum; quæ denique per puncta alia, etiam alio modo apparere fas eſt. Is putat, ſingulas objecti particulas inſpici per ſingulas alias lentis particulas; unde dicuntur aberrationis immunes illæ objecti particulæ, quæ inſpiciuntur per lentis particulas axi propinquas; illæ ſcilicet quæ refringuntur a priſmatibus ſuperficierum parallelarum, vel ad ſe invicem inclinatarum ſub angulo gradus unius vel dimidii.

Abſit hic ratiocinandi modus; in oculum enim *Bb* radiante objecto quovis, non depinguntur ſingulorum punctorum imagines a ſingulis radiis per ſingula loca pupillæ tranſeuntibus, ſed imago puncti cujuslibet depingitur ab omnibus radiis tranſ-

eun-

euntibus per totam ſuperficiem pupillæ. Singula igitur objecti puncta non aſpiciuntur per ſingulos radios, hoc eſt, per ſingula puncta pupillæ, ſed punctum *A*, vel quodlibet aliud, aſpicitur per omnes radios in totam pupillæ ſuperficiem incidentes. Si de hoc Adverſarius certior fieri vult, lucidum objectum inſpiciens, exiguum foramen (tanquam unicum punctum) apponat cuilibet parti pupillæ; & cum videat, objectum ſemper in conſpectu manere, inde colligat, univerſa puncta objecti per ſingula puncta pupillæ, oculo per foramen inſpicienti apparere. Quod ſi ita eſt, manifeſte patet, ſingula objecti puncta per univerſa pupillæ puncta oculo nudo videri. Cum iterum, oculo per foramen inſpiciente, rem videat objectam lumine inopem, & oculo nudo illam videat lumine divitem, ab hoc confirmatum agnoſcat, quod in primo caſu per radios pauciores, hoc eſt, per exiguam partem pupillæ, & in ſecundo per plures, hoc eſt, per totam pupillam, ſingula objecti puncta inſpiciantur. Ob id tamen eruditiſſ. Adverſarius ſua laude fraudandus non eſt; eliſis enim difficultatibus, quas ille fecit, magis patet, quid ſit de Optica Newtoniana ſentiendum.

G. FRID. RICHTERI DE PRÆCEDENTE *Schediaſmate Rizzettiano Monitum.*

Etiamnum ſuis dubiis contra Opticen Newtonianam inhærens nobiliſſimus Italus, ad ea, quæ ipſum noviſſime admonui, (*Act. Jan. 1724.*) nova plane ratione nunc reſpondet. Diviſis enim argumentis meis biſariam, illa, quæ imprimis ad rem facere opinatus eſt, in Epiſtola ad illuſtrem Societatem Regiam Londinenſem, ſimul cum ſuis animadverſionibus, expoſuit, arbitrioque celeberrimæ hujus Societatis controverſiam ita ſubjecit noſtram, ut, ſi forte rejectus vel condemnatus fuerit, ſibi non defuturus, ſed ad aliud tribunal provocaturus videatur. Cetera, quæ in ſchediaſmate meo ſupervacanea numeravit, hoc eſt, ut ipſe interpretatur, quæ *falſitate vel paralogiſmo laborare* cenſuit, de iis agere mecum in præmiſſo ſcripto decrevit. Accepimus quidem ab Auctore etiam exemplum epiſtolæ paullo ante lau-

laudatæ, ſed exhibere illam dubitavimus, cum quod longa eſt & pleraque complectitur jam alibi appoſita, tum quod, quæ coram tribunali Londinenſi agi debent, noſtris inſerere Actis, præſertim ante pronuntiatam ſententiam, inſuper habemus. Et quamquam mihi proclive eſſet, ad omnia reſpondere, quæ ibi ſunt allata, ſatius tamen exiſtimo, atque ad componendam litem opportunius, ut in ſententia electi ab ipſo adverſario judicis ſapientiſſimi acquieſcam. Pauca ſaltim exempli cauſſa attingere liceat.

Cum demonſtraverim, (*Act. Jan. p. 37*) quid ita chartæ bicoloris pars rubra magis quam cœrulea attolli videatur, angulo refringente priſmatis ſurſum converſo, & tela candida ſubſtrata, etiamſi radii cœrulei revera magis quam rubri refringantur, ut ſuppoſito pro tela candida panno nigro patet; nihil me demonſtraſſe, ſed *principium petiiſſe* Nobiliſſ. Adverſarius contendit: nam ſe invertere ratiocinium, eodemque modo demonſtrare poſſe, quid ita chartæ bicoloris partem cœruleam magis quam rubram attolli conſpiciamus, ſubſtrato panno nigro, etiamſi radii rubri revera magis quam cœrulei refringantur, ut ſuppoſita tela candida pro panno nigro patere videatur. Scilicet quid inter album atrumque interſit, fingit ſe neſcire Vir & eruditus & opticarum rerum peritiſſimus. Nam ſi nigredo color plane nullus eſt, ſed defectus coloris omnis, omniumque lucis radiorum, ſi proinde coloratus ille limbus, qui circa fines albi & nigri per priſmata apparet, e ſolo albo naſcitur, profecto ab alba charta *KLMN*, ad bicolorem applicata, afferri ejusmodi limbum poſſe, Vid. Act. a charta vero vel re quavis nigra non modo nihil afferri poſſe, Jan. p. 39. ſed & obtecta albedine, ſi qua prius circumjecta fuit, omnem Fig. 2. extinguendum limbum, inde ortum, & fines chartæ bicoloris puros plane atque illibatos relinquendos eſſe, conſtat.

Dixi, (*p. 34 l. c.*) corpus opacum nec politum radios quaquaverſum reflectere, qualescunque illi fuerint, & quacunque inclinatione inciderint: hoc enim & natura ipſa ejusmodi corporis, & differentia, quæ inter illud atque ſpeculum intercedit, & communiſſima experientia, cum longe lateque tale corpus cerni poſſit, perſpicue teſtatur, & præter Nobiliſſ. Adverſarium nemo it infitias. At ille diſtinguendum ratus inter colores corporum

 per-

permanentes, qui a lumine directo illuſtrantur, atque inter apparentes, qui a refracto producuntur, concedit, corpus ſcabrum & opacum, lumine directo illuſtratum, radios quaquaverſus reflectere, ceterum in corporibus refracto lumine coloratis easdem valere leges dubitat. Sed, ut omittam, quæ de ipſa diſtinctione inter colores permanentes atque apparentes commemorari poſſent, quam longe & late cernitur pars quælibet parietis vel chartæ, alba & directo lumine colluſtrata, tam longe & late eandem, refracto per priſma lumine coloratam, videri certum eſt; & quæ cauſa efficit, ut directi luminis radii quaquaverſus diſpergantur, eadem neque illos, qui ante appulſum per priſma ſunt refracti, ad æquos reddi flexus ſinit. Interim dubitationem Viri optimi nihil miror; qui, ni dubitaret, victus eſſet.

Aberrans ſtellarum lumen per teleſcopia meliora obſervatum ſatis accurate cum dogmate & calculo Newtoniano convenire, aliquoties admonitum eſt. Contra id novam & inprimis validam objectionem ſibi reperiſſe videtur ingenioſus Adverſarius. Negat enim, *conſideraſſe Nevvtonum, quod lumen in caſu propoſito*, non ab uno vitro teleſcopii maiore, quod *objectivum* appellamus, ſed *a lentibus ſaltim geminis, & poſtea ab oculi humoribus refringeretur*; ob eamque cauſam Illuſtris Viri calculum ſine dubitatione *paralogiſticum* pronuntiat. Sed ipſe potius rem non ſatis attente conſideravit Rizzettus. Nam cum ſtella per tubum aſtronomicum aſpicitur, non ſane per utramque vitrum pari conditione ſpectatur. Vitrum *objectivum* imaginem ſtellæ circa focum exhibet; atque hanc imaginem per lentem oculo obverſam intuemur. Jam ſi quid per vitrum non nimis globoſum, hoc eſt, quod non nimis magnum ſphæræ ſit ſegmentum, e juſto intervallo intuemur, aut nullam aut non numerandam luminis aberrationem obſervari, & experientia docet, & alibi a nobis (p. 361 c.) ratione demonſtratum eſt. Ergo lumen aberrans, quod per teleſcopium ſatis exquiſitum circa ſtellam animadvertitur, ad ſolum vitrum *objectivum*, quo imago repræſentatur, non ad *oculare*, per quod imaginem illam aſpicimus, referendum eſſe patet: nam quod ad oculi humores attinet, eos ſane interpoſito teleſcopio, non magis

quam

quam ſi nudi ſint, vel efficere vel augere iſtam aberrationem faseſt.

Sed vereor, ne, ſi plura ex literis Cl. Rizzetti ad Societatem Angl. afferam, parum ſtare promiſſis meis videar. Igitur ad alterum Autoris ſchediaſma, quo mecum ſe acturum diſerte profitetur, nunc accedo, ſingulis IV membris breviter & perſpicue reſponſurus.

Ad memb. 1 & 3.) Hic parum mentem & verba mea percepiſſe Virum doctiſſimum, vel inde conſtat, quod me ſtatuere meminit, inſpectis e perexiguo intervallo punctis coloratis, piloque interpoſito, & converſa ad eum acie, libera ab obſcuritate & confuſione puncta iſta ſentiri. Immo vero plane contra eſt: *non magis* illa puncta ab obſcuritate libera ſentiri dixi, (*p. 29*) quam camporum flores, quos ipſe propoſuerat. Nempe hæc mea eſt ſententia: cum quæritur, an foci radiorum rubrorum ac cœruleorum inter ſe diſtent, hoc eſt, an aberratio luminis Newtoniana vera ſit, experiendum tentandumque illud eſſe vitris majoribus, non minoribus, nedum nudis oculis. Quod ut re ſimillima confirmem, provoco ad focos radiorum, a punctis inæqualiter remotis advenientium, quos focos pariter inter ſe diſtare, non oculis nudis, ſed vitris majoribus experiendum eſt. Si, interpoſito tali vitro, in tabula alba excipiuntur imagines duarum candelarum ardentium, quarum altera paucos ſaltim pedes longius a vitro diſtat quam altera, diſcrimen focorum luculentiſſime percipitur: nam ubi una imago diſtincta apparet, ibi alteram adeo confuſam cernimus, ut nihil minus quam imago candelæ eſſe videatur. At nudis oculis utramque intueri, citra ejusmodi confuſionem, ſatis clare licet. Concedit hoc Rizzettus in rebus quæ exiguo paucorum pedum intervallo a ſe invicem abſunt, negat de iis, inter quas major eſt intercapedo: nam flores campi, ex intervallo XX circiter paſſuum, nudo oculo cofuſiſſimi apparent, inquit, ſi acies ad capillum dirigatur, qui campum inter & oculum locatus, uno circiter pede ab hoc remotus ſit. Ego vero, ut demonſtrem, id non tam majori diſtantiæ, quam potius multitudini ac varietati florum, intentoque oculorum actui, imputandum eſſe, duo affero experimenta:

 unum

unum de punctis coloratis, quæ paucorum pedum intervallo ab oculo piloque remota, propter varietatem intentumque in pilum aciem, non minus confuſa apparent, quam camporum multo magis remoti flores: alterum de rebus ſimplicioribus, quæ quanquam X, XX, atque etiam longe plures paſſus inter ſe diſtant, tamen, propter illam ſimplicitatem minusque intentam oculorum vim, uno ſpectari obtutu ſine confuſione ſolent. Quis enim non experitur toto die, ſive in conclavi ſedeat, ſive per plateas ambulet, ſive in patentibus verſetur campis, ſive terrena intueatur, ſive cœlum ſuſpiciat, dummodo non affigat oculos ad certum punctum, ſe multas res, quantumvis inæqualiter diſtantes, uno viſionis actu, proſpicere ſatis clare ac diſtincte poſſe? Cum luna per feneſtram, aut prope domum aliquam vicinam apparet, quis eſt, qui oculis integris, lunam, domum, feneſtram, ſimul videre absque obſcuritate & confuſione nequeat? Quod ſi acies magno conatu in exiguam lunæ maculam, aut in domus feneſtræve particulam intenditur, agnoſco ſane circumpoſitarum rerum obſcuritatem quandam, ſed ejusmodi obſcuritatem, quæ a confuſione imaginis, per lentem vitream majorem ultra vel citra juſtum focum exhibitæ, etiamnum ſatis differt.

Ad memb. 2). Hoc loco calculus meus nequicquam reprehenditur. Scio, radios per tunicam corneam itemque per humorem aqueum prius refringi, quam ad cryſtallinum perveniunt: ſed hoc jure neglexiſſe videor, cum quod calculum nimis
l.c. Fig. 1. perplexum evitare ſum conatus, tum quod illud egi, non ut ſpatiolum *ce* accuratiſſime definirem, *(p. 29, 30)* ſed ut ſaltim notabile eſſe commonſtrarem; ſi nimirum eodem modo in oculo ſeſe res habere, ut in vitris opticis, aſſumitur. Quod ſi ex intima natura oculorum, atque imprimis ex nova ſua doctrina, de inæquali denſitate humoris cryſtallini, demonſtrare poteſt Vir præſtantiſſimus, diſtantiam focorum *ce*, a diſtantia punctorum radiantium *A* & *a* exortam, usque adeo in oculis contrahi, ut vix amplius notabilis ſit, facile id quidem patior, quanquam ipſam demonſtrationem & calculum expecto, ſed dubitandum non eſt, quin una opera demonſtrare liceat, diſtantiam focorum, a diverſa radiorum *refrangibilitate* ortam, æque contrahi; ac proinde

inde nudos oculos, ad oſtendendas illas focorum differentias, neutro caſu, pro conſuetis vitris opticis ſubſtituendos eſſe.

Ad memb. 4.) Cum per ſimplex vitrum opticum res quælibet e juſto intervallo aſpicitur, ſingulas iſtius rei particulas per ſingulas vitri particulas aſpici certiſſimum eſt. Atqui ſi ſatis mea verba conſideraſſet Adverſarius, nihil aliud me dicere (p. 36.) intellexiſſet. Non pertinet demonſtratio, qua uſus ſum, ad lentem oculi cryſtallinam, ſed ad lentem e vitro vulgari conflatam; non pertinet ad lentem, cum circa focum ejus imago rei cujusque depingitur, ſed cum per eam directe res ſpectatur. Depictis enim, vel in fundo oculi per humorem cryſtallinum, vel in tabula accommodata per lentem opticam, rerum imaginibus, imaginem puncti cujuslibet, non a radio quodam ſingulari, ſed ab omnibus depingi radiis, qui a puncto illo in totam lentis ſuperficiem illabuntur, myſterium eſt, ne quidem tyronibus ignotum. Sed aberrans neſcio quod lumen fallere nonnunquam virum oculatiſſimum videtur. Atque hic controverſiæ noſtræ per me quidem finis eſto.

SPECIMEN CATHOLICÆ VERITATIS, cui Athei, Deiſtæ, Pſeudo-Politici, circa quamcumque ſectam Indifferentes, Religionis contemtores, dubiæ fidei, & Critices intemperantioris Autores &c. velamina prætendere nituntur, exhibitum a F. MALACHIA D'INGUIMBERT, Mon. Ord. Ciſt. S. T. D. Regiæ Celſitudinis Coſini III, Magni Hetruriæ Ducis, Theologo, atque primum in Univerſitate Piſana, tum in Lyceo Florentino publ. Theologiæ Prof.

Piſtorii, apud Joh. Silveſtr. Gatti, 1722, 4 maj.
Alph. 1 pl. 13½.

CEl. Autor, aliis jam ſcriptis clarus, animadvertit, exſurgere homines omnibus ſcelerum maculis notiſſimos, qui Philoſophia immoderatius abuſi, fidem impugnent & opinionum pravitate alios inficiant, ſuaſorque eidem exiſtit Vir ab eo laudatus, non tamen nominatus, ut ſcripto aliquo malo huic obviam iret. Paruit Noſter, licet de veritate Religionis Chriſtianæ *Augu-*

ſtinum, Chryſoſtomum, Juſtinum, Athenagoram, aliosque, &
Patres, & recentioris ætatis Theologos, tum *Romanæ*, tum
Lutheranæ, tum *Reformatæ* Religioni addictos, de his momen-
tis uberius ſcripſiſſe fateatur. Stylo interim facundo Cel. Autor
uſus, quinque ſectionibus telam pertexit. *Prima* quidem, *Deum*
exiſtere, contra maleſanas Atheorum blaſphemias demonſtrat
ex artificioſiſſima cœli terræque creatione, ex inſania menti
alias ſecutura, e motu, ordinatione rerum omnium &c. Præ-
p. 14 ſq. ſtantiſſimos Philoſophos ſupremum mundi opificem agnoviſſe,
15. contra *Socinum* e *Seneca* docet, partes univerſi tot teſtes Dei
eſſe, a finita virtute talia fieri non poſſe, nec ex atomis mun-
18 ſqq. dum coire potuiſſe, nec e materiæ vaſtiſſimæ motu, quia mo-
26 ſqq. tus ab alio eſſet, probat, *Carteſii* etiam demonſtrationem Dei
31 ſqq. evertens. Pergit ad artificioſiſſimam hominis ſtructuram, ſemen-
33. tem, Elephantum &c. ſimulque *Spinoſa* itidem Atheiſmum
38 ſqq. perſequitur. *Libro II providentiam Dei* contra Deiſtas defendens,
63 ſqq. e conſenſu diſſitarum nationum, non e timore ortam hanc de Dei
providentia opinionem, nec obſtare docet morbos, hominibus
immiſſos, huic providentiæ, cum & medicamina præſto ſint, nec
quod afferatur, quædam nobis incognita eſſe, cum & adverſarii
plura ignorent; nec infinitatem Dei obeſſe, nec animalia vene-
nata, nec infelicitatem piorum, nec impietatem hominum:
89. tolli potius per negatam Dei providentiam ſinceram pietatem,
114. gratitudinem, ipſosque haud raro Atheos in fine vitæ fateri, quod
118. doleant ſibi talia excidiſſe. *Tertio* dein loco probat *Chriſtianæ re-*
ligionis neceſſitatem. Dei cultum ex ejus attributis ſequi, & vel
fœdam idololatriam oſtendere, naturæ inſitum eſſe cultum
Dei, non ex atavorum traditione, ſeu anticipatione, ut voluit
& *Epicurus* & *Hobbeſius*, quem Atheum & ſuis ingratiis Chri-
p. 124. ſtianum redditum, dicit, & ea occaſione in *Indifferentiſtas, Spino-*
125 ſqq. *ziſtas, Leibnizium* quoque & alios, quos *tolerantes* vocat, ſty-
128. lum acuit, quod vel religionum indifferentiam, vel ſolum Dei
137. amorem ad ſalutem ſufficere, aſſerant. Religionem, oſtendit,
non adverſari rationi, ſed eam tranſcendere, ac nullum ad re-
ligionem Chriſtianam tuendam validius argumentum eſſe,
quam quod Atheorum incredulitas ultra dubitationem adſcen-
dere

dere nequeat; ſublata religione Chriſtiana, auferri juſtitiam; Chriſtianam religionem modo eo, quo conſtituta & propagata eſt, veram probari, cum Chriſtus & Apoſtoli, gloriam omnem exoſi, contra voluptates mundanas inſurrexerint, occiſique ſint una cum tot martyribus, & tamen adeo amplificata ſit Chriſtiana Eccleſia, ſolius Dei ope; quæ omnia ſuavi apparatu & verborum & rerum perſequitur. *Librum* inde auſpicatur *quartum, animæ humanæ immortalitatem* demonſtraturus. Hinc ad Deum provocat juſtum, qui impiis pœnam, piis præmia decernat, & de quo, quod animam extinguere velit, concipi nequeat; animam vero in partes ſolvi non poſſe, cum partibus non conſtet; nec ſe ipſam occidere velle, cum quælibet ſubſtantia ſe conſervari velit; nec eſſe cauſam aliam externam, quæ perimat animam, quæ æterna, cogitans, Deoque quoad directionem corporis ſimilis, (quod eximium putat argumentum eſſe, etſi alias e ſimilitudine imbecille admodum petatur,) deficientibus corporis viribus ſæpe ſublimior ſurgit, & quando aliquid meditari vult, ſenſibus otium imperat, ut ſine impedimentis meditationi incumbat; quod ultimum Autori eſt argumentum palmarium, ad oſtendendam ſpiritualitatem animæ, quam deinde contra Spinoſam Atheosque defendit, inter alia ad *Koh.* III, *19 ſqq.* reſpondendo. Cum autem *Lutherum* facinoroſiſſimum appellat, ipſique tribuit, quod dixerit, animam eſſe mortalem, dolemus vices Cl. Autoris, qui cum Lutheri ſcripta legere ipſe haud potuerit, ab aliis ſeductus ita in eum debachatur, cum conſtet, Lutherum animæ immortalitatem & agnoviſſe & fortiter defendiſſe. Tandem *Liber quintus S. Scripturæ veritatem* adſtruit, e natura S. Scriptorum ipſiusque Scripturæ, e ſublimitate materiæ ab ingenio humano remotiſſimæ, e vi corda movente, e via homini in ea oſtenſa, ut cum Deo in gratiam redeat, e prædictione item futurorum, e martyriis tam multis, e neceſſitate revelationis ad ſalutem impetrandam, e veritate librorum Moſaicorum (ubi pariter *Lutheri* verba, quæ huc nil faciunt, cum de ſalute non e lege, ſed Evangelio impetranda agant, male applicat) quos e conſenſu Judæorum, Chriſtianorum & gentilium, e traditione orali Patriarcha-

141 ſqq.
163 ſqq.
192.
209.
p. 241 ſq.

archarum usque ad Moſen, e duro Moſis in Judæos imperio, colluſionem excludente, aliisque, Moſi jure vindicat, ad argumenta objecta reſpondet, & adhortatione ad *Atheos, Deiſtas, Naturaliſtas* & *Indifferentiſtas*, ut reſipiſcant, finem opuſculo huic non ineleganti imponit.

M. HARTW. BAMBAMII OBSERVATIOnum ſacrarum exegeticarum Centuria, enthymemata Moſaica continens.

Hamburgi, apud Jo. Wolffg. Fickweiler, 1723, 8.
Pl. 8½.

EST Cl. Autori in promptu apparatus ſacer enthymematico-exegeticus vel ultra centuriarum Δωδέκαδα quoad obſervationes generaliores ſuper libros Biblicos comprehendens, cujus centuriam ex libris Moſaicis conflatam cum eruditis in hoc libello communicat. Ordo, quem ſibi præſcripſit, hic eſt, ut primo enthymema, tum probationes, tandemque ejus uſum, ſi quis ſe offert, exhibeat. Hæc enthymemata in Moſis perſona, ſcriptis, factis, vaticiniis & peculiaribus loquendi modis, item in iis, quæ in ejus libris de revelationum modis, Dei nominibus, natura, perſonis, Meſſia, creatione, lege, evangelio, ſacrificiis, eccleſia, conjugio, ſtatu œconomico, morte, & reſurrectione legere licet, obſervantur. Urim & Thummim ipſi eſt lex, quam in pectorali ſuper pectus geſſerit Aaron, & verba piorum hominum Moſen ad Deum ita referre, contendit, ut, quando a Moſe dicantur Deum videre & pœnitere, hæc non niſi in cordibus eorum, qui miniſterium verbi habent, fiant; atque faciem Dei, & Deum ipſum in eſſentia ſua ſpectatum, & tres Trinitatis perſonas Ex. XX, 3, & ſecundam Trinitatis perſonam, & præſentiam Dei ſingularem & ejus gratiam notet.

HISTORIA FRATRUM SPORTULANTIUM, ex antiquitate idoneis Documentis eruta atque Exercitatione ad Cæc. Cypriani L. I Ep. IX per modum vindiciarum ſedulo explicata, Autore M. G. C. C.

Francof.

Francof. & Lipſiæ A. 1724, 8

Plag. 11.

BRevi hac commentatiuncula Reverendus Autor, qui ſub fine dedicationis *Gotbofr. Chriſtoph. Claudius*, Paſt. Subſt. Prataviensis, vocatur, illuſtrare locum quendam Cypriani, eundemque una cum ordinis ſacri dignitate contra JCtum quendam celeberrimum, qui in Commentario ſuo in Bullam Auream Tom. I Tit. II §. 1 p. 296 de Clerico Sportulante i. e. lucri cauſa negotia politica & res civiles tractante, ſcriptum quoddam publicum edere promiſit, vindicare allaboravit. Uſus eſt Sportulantium Fratrum voce & primus, & ſolus omnium Carthaginenſis Eccleſiæ Sæculo p. C. N. tertio illuſtre ſidus, Cœcilius Cyprianus, binis quidem locis tantum, ubi verba primo loco (L. I Ep. IX fol. m. 35 Edit. Erasm.) ita ſonant: „Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, ut, qui in eccleſia Domini ad ordinationem clericalem promoventur, nullo modo ab adminiſtratione divina avocentur, ne moleſtiis & negotiis ſecularibus alligentur, ſed in honore *Sportulantium Fratrum*, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant, & die ac nocte cœleſtibus rebus & ſpiritualibus ſerviant,, &c. p. 140.

Inſtituti igitur ſui rationem ita iniit Noſter, ut Hiſtoriam hanc Fratrum Sportulantium *duabus* explicet *partibus*, quarum prima Philologico-Hiſtorica eſt, altera Hiſtorico-Polemica. In illa ante omnia operoſe inquirit in vocis, *Frater*, originem & natales, dein ſiſtit Fraternitatum pro ordinum Hierarchicorum diverſitate diviſionem variam & multiplicem, imprimis uſum hujus vocabuli biblicum, dein politicum, e. g. ubi Imperatores, Reges & Principes ſe invicem honorabili Fratrum nomine compellare ſolent, poſtremo eccleſiaſticum, ubi ſex fraternitatum genera numerantur: I quando Chriſtus noſter & nos ipſius Fratres, tum II, cum omnes in univerſum Chriſti fidem profeſſi ob communem hanc ſortem, III ob doctrinarum communionem, IV ob eandem muneris conditionem, V ob actum quendam ſacrum, VI ob ſingulare quoddam inſtitutum, Fratres appellantur. Quibus omnibus prolixius pertractatis, pergit Autor ad Sportulas, earum etymologiam, variumque uſum explicaturus. Sportula p. 13, 14. 17. 20 21. 24 - 48.

enim modo minutiorem corbem, ſive fiſcellam, & vaſculum,
in quo coqui emendis obſoniis argentum & coemta in macello
obſonia reponere tantiſper ſolebant, dum domum portarent,
ibique evacuarent; modo cibum in ſportulis ferri ſolitum; mo-
do pilei genus, id quod ex Cedreni loco edit. Pariſ. fol. 169 pro-
p. 50. bare voluit, qui ita ſe habet: *ἐςὶ δὲ καὶ ἑτέρα κατασκευὴ σπυ-
ρίδος ἀντὶ πίλου τῇ κεφαλῇ τιθεμένη. Καλεῖται δὲ παρ' Ἰταλοῖς
κάμελα ἐξ οὗ καὶ καμελαύκια* (quamvis hæc verba potius de illo
cophinorum genere, qui capiti impoſiti a populis orientalibus
geſtari ſolent, quam de pileo intelligenda videantur); modo cœ-
nulas, quas amici ad ſe invicem deferebant, vel quæ clientibus di-
ſtribuebantur; modo argentum ſeu pecuniam ſalutatoribus & ad
populi ſuffragia concilianda datam; modo pecuniam aut mariti
aut conjugis aut utriusque imagine ſignatam, in nuptiis dari ſo-
litam; modo munera ab oratoribus primum cauſas in foro Rom.
dicturis populo ad applauſum ſibi concitandum erogata; tan-
demque in judiciis pecuniam vel ab actore & reo judicii con-
ſtituendi gratia contributam depoſitamque, vel adminiſtris ju-
diciorum loco honorarii dono datam, apud Romanos ſignifica-
p. 77. vit. Neque heic ſubſtitit vocabuli hujus uſus, ſed ex profano-
rum ſcriptorum libris in doctorum eccleſiæ Chriſtianæ com-
mentarios transſumtum, munera ſacra varii generis ab eccle-
ſiæ membris ſponte collata, quo exinde utenſilia ſacra compa-
rari, miniſtri eccleſiæ ſuſtentari, pauperibusque beneficia ero-
p. 79. 75. gari poſſent, denotavit; in quibus omnibus explicandis ita ver-
ſatur Noſter, ut etiam de illis, qui obtulerint, & quomodo, &
quid obtulerint, penes quem item depoſuerint, & ad quos uſus
impenderint oblata, exacte diſputet, quæ vero copioſius perſe-
qui nobis non vacat, ad argumenti caput progreſſuris, quid ſci-
licet Fratrum Sportulantium nomine Cyprianus indicaverit.
Diſcedit autem doctiſſimus Autor a communi eruditorum ſen-
p. 95. tentia, qua verbo *Sportulare* neutram tribuunt ſignificationem,
atque ſportulare idem valere, ac ſportulas accipere, perhibent,
& Fratres Sportulantes Cypriano eſſe putant ejusmodi Clericos,
qui Sportulas a Fraternitate acceperint, iisdemque fuerint ſu-
ſtentati. Ita phraſin hanc explicant *du Freſne*, *Baronius*, *Sui-*

cerus

cerus, Torrentius, Micrælius, aliique. Noſtro magis placet activa verbi hujus notio, ita ut Sportulantes non ſint, qui Sportulas accipiunt, ſed illi potius, qui rerum ſacrarum antiſtiti debitam ſuſtentationem ſportulatim contulerunt, atque adeo ſportulaſſe ſunt cenſendi. Pro certo enim ſtatuit, *Sportulare* a *Sportula* proprio auſu derivaſſe Cyprianum; at vero contra Latini ſermonis indolem atque ab omni analogia Grammatica remotum fore exiſtimat, ſi a diminutivo, inſtrumentum vel etiam objectum denotante, verbum formaretur neutrum vel actionis immanentis. p. 97.
Quemadmodum enim a *capula capulare*, a *flagello flagellare*, a *pullulo pullulare*, a *nidulo nidulari*, a *fabula fabulari*, a *tabula tabulare* &c. deſcendit, eadem ratione activi a *ſportula ſportulare* derivandum eſſe Autor judicat. Deinde ſententiam ſuam ex epiſtolæ hujus Cypriani ſcopo & argumento amplius illuſtrat, eandemque tandem Martini Chemnitii conſenſu & autoritate confirmat, cujus verba Exam. Concilii Trident. P. III p. 162, 800 hæc ſunt: „Cum ethnici ſtatis & præcipue anniverſariis" diebus, quando pro mortuis ſuis orabant, etiam epulas ad ſe-" pulcra deferrent, unde mortuis ſolatium quoddam accedere" putabant, irrepſit hoc etiam in eccleſiam, ſicut Auguſtinus" conqueritur, Ep. 64. Alibi vero hoc ita reformatum erat, ut" in memoriam defunctorum amici cibos & alia donaria in uſum" pauperum & clericorum conferrent, ſicut colligitur ex Orige-" ne L. III in Job. & qui conferebant, vocabantur *Sportulantes*," Cyprianus L. I Ep. 9. Poſtea tales ſportularum collationes fieri" cœperunt, quando celebrabatur Euchariſtia, & vocabantur ob" lationes." Quibus adductus rationibus Noſter Cypriani locum ita interpretatur: "Hæc ratio ac forma apud nos tenetur, ut" clerici a populo ſportulis honorentur, atque a fratribus mune-" ra conferentibus ſalario ſufficienti ornentur. Atque ſummus" omnino eſt honos, qui ipſis a Fratribus Sportulantibus habetur," in quo honore conſtituti ab altari recedere neceſſe non habent," negotiisque civilibus implicari." Reſtat, ut Hiſtoriæ hujus poſteriorem partem, quæ eſt Hiſtorico-Polemica, ſtrictim carptimque perluſtremus. Statuit nimirum JCtus ille, quem Noſter ſibi confutandum ſumſit, varios actus a clericis ad ſe lucri p. 99. p. 102.

cauſa raptos mere ſæculares eſſe, e. g. electionem Imperatoris & unctionem, copulationem, ſponſalia, nominum impoſitionem, Sepulturam, Admonitionem ante præſtandum Juramentum &c. Scribit vero ita inter alia JCtus ille loco citato ſub finem: „Da nun aus bißhero erzehlten Stücke genugſam erhellet; „wie begierig die Geiſtlichen ſeyn, die weltl. Verrichtungen in „die Kirche zu ziehen, und ſich mithin ſolche zuzueignen, davon „ich auf ein gantz Syſtema geſammlet, welches ich nach dem „Kirchen Latein *de Clerico Sportulante* zu überſchreiben gedencke ꝛc.„ Quæ quidem ordini eccleſiaſtico admodum pro-
p. 124. broſa ut refellatur opinio, tria potiſſimum probat, primo, hæc ita eſſe comparata, ut verbum divinum in iis adminiſtretur, vel adminiſtrari debeat, eaque non eſſe mere ſecularia; deinde nulla vel fraude vel violentia ejusmodi negotia ad ſacros homines
p. 125. 130. tranſiiſſe, ſed a Principibus Chriſtianis commiſſa iisdem juſto honeſtoque modo adminiſtrari; tandem pro laudabili veterum more actus hos in templis perfici ex juris divini humanique legibus, eccleſiæque veteris & fori Romani Germanicique conſue-
p. 141. tudine, exponitur. Quibus expeditis digreditur Noſter ad Miniſtrorum Eccleſiæ ſtipendia, ſalaria vulgo dicta, & convitia, qui-
p. 147. bus Mich Klobius, Fridericus Breeklingius, Gerhard. Wildermannus, aliique, ſacrum ideo ordinem proſcinduut, accurate refutat.

JOH. PETRI KOHLII, KILONIENSIS, Eccleſia Græca Lutheranizans, ſive Exercitatio de conſenſu & diſſenſu Orientalis Græcæ, ſpeciatim Ruſſicæ, & Occidentalis Lutheranæ Eccleſiæ in dogmatibus, &c.

Lubecæ, apud Petrum Böckmannum, 1723, 8.
Plag. ½.

PRæſenti in libello, quem Sereniſſimo Holſatiæ Principi Carolo Friderico dicavit, hoc ſibi negotium datum putavit Cl. Autor, ut partim contra noſtrates, Eccleſiæ Græcæ ſacra nimium quantum exagitantes, infraque omnium reliquarum religionum

rium ſortem plerumque abjicientes, partim Pontificios ac Reformatos, qui in hunc usque diem concordiam ſui cœtus cum Orientali arroganter jactant, evincat demonſtretque, aut nullam aut pertenuem omnino cum illis, maximam vero e contra cum Lutherano puriori cœtu conſenſionem Græcis intercedere. In præfatione religionem Græcam ac Moſcoviticam a variis falſo imputatis erroribus nævisque purgat, idque imprimis agit, ut oſtendat, illum, qualis qualis eſt, cum Græca Eccleſia conſenſum poſſe omnino multum Lutheranis, Eccleſiæ ſuæ perpetuam a Chriſti & Apoſtolorum temporibus ſucceſſionem Romanos contra defendentibus, patrocinari. Minime tamen in multis partibus Eccleſiæ Græcæ impuritatem, ſi ab hodierna Ruſſica, quam Cæſarea ſua Majeſtas priſtinæ veritati in pluribus reſtituit, diſcedas, Scriptor libelli hujus diſſimulat. Cap. I agit de Eccleſia Græca in genere. Cap. II de Eccleſia Ruſſica, ejusque cum Græca ſimilitudine. Cap. III de tentata cum Græcis a Papicolis unione in ſacris. Cap. IV de tentata a Reformatis unione. Cap. V de tentata a Græcis cum Lutheranis unione. Cap. VI de propenſis noſtratium Theologorum de Græca religione judiciis. Cap. VII de faventibus Græcorum de noſtra Eccleſia judiciis. Cap. VIII denique de conſenſu, quem in ipſis articulis doctrinæ ad disquiſitionem revocat, clareque ac manifeſto monſtrat in præcipuis fidei articulis Lutheranorum cum Græcis conſenſum atque concentum. Denique inde concludit, contra hodiernos Pontificios, ſpeciatim Patres Sorbonicos Pariſienſes, Eccleſiam Græcam cum nulla melius faciliusque Eccleſia, quam cum Lutherana amicam in ſocietatem poſſe coaleſcere. In calce denique libelli adjecit Joh. Quiſtorpii diſſertationem de Chriſtianiſmo hodiernorum Græcorum.

Erſte Sammlung einiger zur Pommeriſchen Kirchen-Hiſtorie gehörigen Schrifften.

i. e.

D. JAC. HENR. BALTHASARIS, TH. PROF. Gryphici, &c. Prima Collectio ſcriptorum aliquot ad Hiſtoriam Pomeraniæ Eccleſiaſticam pertinentium.

Gryhiſwaldiæ, ap. A. Buſſium, 1723, 4.
Alph. 3 pl. 11½.

S. R. Editor, Hiſtoriam ſynodicam Pomeraniæ, maxime Oc-
cidentalis, illuſtraturus, totum opus tribus exhibebit Col-
lectionibus, quarum hæc prima, tres in partes diſtributa, com-
paret. In hac partes duas priores debemus *B. Jac. Rungio*, ſe-
cundo Pomeraniæ Occidentalis, poſt Reformationem, Super-
intendenti, e cujus MSC. *αὐτογράφῳ*, ſibi a S. R. Krackevizio
ex Archivo conceſſo, S. R. Editor ſumma fide eas ſiſtit. Pars ve-
ro tertia partim ex MSC. Rungiano, partim aliis MSC. partim &
e Synodologia Mayeriana in hanc eſt digeſta formam. Hinc ſe a
Mayeri exemplari aliquando diſſentire, Cl Editor non negat;
ſe tamen potius, quam Mayerum, MSCta incorrupta ſecutum
dicit in Præfatione. In hac ſimul, ad meliorem Hiſtoriæ cogni-
tionem, tempora emortualia Ducum Pomeranorum, qui poſt
ſuſceptam Religionem Evangelicam vixerunt, annotat: de juri-
bus quoque Eccleſ. a Duce Phil. Julio Sundenſibus conceſſis, &
de Actis Pomeranorum quoad Formulam Concordiæ, quæ Colle-
ctioni ſecundæ inſeret, diſſerit. In prima hac Collectione partem
quidem primam Acta Synodalia, tempore Joh. Knipſtrovii ab A.
MDXLI usque ad MDLVI confecta, faciunt. Sunt Synodi ſex
Gryphiswaldenſes poſt Reformationem priores, quarum prima
A. MDLXI, ſexta vero A. MDLVI coacta, quibus Synodus Sedi-
nenſis anni MDXLV & Comitia Sedinenſ. anni MDLVI ſuis lo-
cis inſeruntur, immixtis nonnullis ad Biographiam & Hæreſio-
logiam ſpectantibus. Et prima quidem vel eo nomine memora-
bilis eſt, quod juſſu Ducis Philippi I convocati ſunt V.D.M. ad ri-
tus Eccleſiaſticos in Pomerania ordinandos: qui ritus quoque ſe-
cundæ & tertiæ materiam præbuerunt. Synodus vero Sedinenſis,
p. 80 ſqq. ab Epiſc. Camin. Barth. Swavenio convocata, audit univerſalis,
quia e tota Pomerania præcipui e Clero adfuerunt & de ritibus
pariter decreverunt. Qua ratione, Bugenhagio renuente, B. Swa-
33. venius, antea Ducis Cancellarius, Epiſcopal. dignitatem adeptus,
& qui ab eo tempore Superintendentes usque ad A. MDCLIV
36. 37. in Pomerania fuerint, paucis memoratur; uti & Pomeranicis
52 ſq. ſcriptoribus contraria de Ep. Weigero, variaque de actis J. Fre-

deri

deri referuntur, de quibus & quarta Synodus Gryphica ex parte p. 50 ſq.
agit. Quinta vero de controverſia Jacobi Tielii, V.D.M. Trepto- 65 ſq.
vienſis, de deſcenſu Chriſti ad inferos, cum aliis doctrinarum & 91 ſq.
rituum momentis decernit. Sexta tandem Gryphica Synodus par- 95 ſq.
tim iterum de negotio Frederiano, partim de Ordinatione Ec- 158.
cleſiaſtica tractat. Comitia autem Sedinenſia maxime futuræ Ec- 150.
cleſiarum viſitationi regulas præſcribunt. Et ſic primam partem mors Epiſcopi Weigeri, & pius Knipſtrovii, inter ſerias adhortationes, exceſſus, claudunt. Secunda deinde pars Acta Synodalia ſub Jac. Rungio ab anno M.DLVII usque ad MDLXXIX complectitur, numero XVI. Hæ vero Synodi, ut plurimum de conſcripta & promulgata ordinatione Eccleſiaſtica & diſſidiis Sundenſibus; duodecima vero & ſqq. partim de libro Torgenſi, & Form. Concordiæ, partim de Cruſii, Sundenſis, diſputatione, & Calandri Flacianiſmo, ſunt habitæ. Tertia tandem pars hujus p. 322.
collectionis conſtat quibusdam actis ſynodalibus tempore Jaco- 324, 365
bi & Friderici Rungiorum confectis. De quibus, ut & de addi- ſqq.
tamentis, quæ haud magni momenti videntur, non attinet plura dicere. Ceterum a S. R. Editore non ſolum ſecundam & tertiam Collectionem, ſed & curas magis arduas Eccleſia exſpectat.

Hamburgiſche Kirchen-Geſchichte ꝛc.

h. e.

NICOLAI STAPHORSTII HISTORIA ECcleſiæ Hamburgenſis Diplomatica.

Hamburgi, ap. T. C. Felginer, 1723, 4 maj.
Alph. 5 pl. 4.

AUſpicium hoc eſt operis ſatis ſplendidi, quo Rev. Autor, Eccleſiæ Hamburg. Johanneæ Paſtor, præclare de patria rebusque illius eccleſiaſticis mereri cœpit. Uſus eſt ſubſidiis ſelectiſſimis, & maximam partem antea ineditis, haud neglectis ſcriptoribus notiſſimis, & ad priorem partem hanc apprime facientibus, Adamo Bremenſi, & Helmoldo, ita tamen, ut in utroque perplura emendaret. Adjunxit idem, quæ ex Actis Sancto-

rum

rum, Conciliis Harduini, Bibliotheca Patrum, Collectionibus Pithœi, Baluzii, Meibomii, Freheri, Leibnitii, Ludwigii &c. ſibi uſui fore credidit. In primis vero ex recentioribus Lambecii Origines Hamburgenſes, una cum Auctario & Chronologia ejusdem, diligenter adhibuit, etſi fateatur doctiſſimus Autor, ſe haud raro Lambecium in Chronologia aberrantem deprehendiſſe. Quoad Diplomata & Documenta, fundamenti loco poſuit Lindenbrogii Privilegia Archi-Eccleſiæ Hamburgenſis, ſed ita, ut prius compararet illa cum duobus codicibus MSS. in bibliotheca publica civitatis Hamburg. extantibus. Reliqua documenta, quibus abundat fere præſens hoc Volumen, undique conquiſivit, emendavit, illuſtravit. His fretus ſubſidiis Autor rem ipſam aggreſſus eſt, factaque partitione generali, qua una quidem Parte majori res eccleſiaſticas Hamburgenſes ante Reformationem ab A. 811 usque ad A. 1521; altera vero res ſacras poſt Reformationem ad noſtra usque tempora traditurus eſt. Et hoc quidem præſenti Volumine res geſtæ ab A. 811 usque ad A. 1223 exponuntur. Afferamus ſaltem ſummam capitum. C. 1 agit de ſtatu majorum ſub Gentiliſmo, c. 2 de primordiis Chriſtianiſmi Hamburgenſis, c. 3 de fundatione eccleſiæ Cathedralis Hamburgenſis. Hactenus prima operis hujus periodus; ſequitur altera a conjunctione eccleſiarum Hamburgenſis & Bremenſis, ubi c. 1 de Anſchario, Remberto, & Adalgerio, c. 2 de Hogero, Reginwardo, Unno, Adaldago, & Libentio I, i. e. ab A. 909 usque ad 1013, c. 3 de Vnwanno, Libentio II, Hermanno, Alabrando, Bezelino, Adalberto I & Liemaro, i. e. ab A. 1013 ad 1101, c. 4 de Humberto, Friderico, Adalberone, Hartwico I, Balduino, Sifrido, & Hartwico II, i. e. ab A. 1101. ad 1207, c. 5 de Burchardo, Gerhardo I, & Gerhardo II, i. e ab A. 1208 ad 1223. Maximopere optamus, ut Rev. Autor alterum, quod pollicitus eſt, Volumen propediem bono publico edat, properetque ad tempora Reformationis, & quæ illa inſecuta ſunt. Neque enim dubium eſt, fore, ut non ſolum Hiſtoria Eccleſiaſtica Hamburgenſis multum hinc lucis adipiſcatur, ſed & aliæ ſimul partes Univerſalis Hiſt. Eccleſ. egregie illuſtrentur.

D. V. AL.

Digitized by Google

D. VAL. ERN. LOESCHERI STROMATEUS, ſive Diſſertationes Sacri & Literarii argumenti &c.

Vittembergæ, ſumtibus Sam. Hannaueri, 1724, 4.
Alph. 4 pl. 3

Duplicis generis ſunt, quas S. R. Autor hic conjunctim exhibere cœpit, Diſſertationes: aliæ quidem antea jam editæ, in Academia præſertim Vitembergenſi; aliæ vero nunc demum vulgatæ. Sequamur autem in recenſendo ſingularum argumento eum ordinem, quo in hoc collocatæ ſunt Volumine. Extat nempe *I* Sectio ἀνυπέρβολος, ſive Hyperbolarum eliminatio ex verbis Dei, quæ diſquiſitio jam noviter prodit. *II* Adumbratio notionum Theologicarum de præparatione gratioſa: prodiit A. 1710. *III* Adumbratio notionum Biblicarum de Illuminatione: prodiit A. 1710. *IV* Notiones Theologicæ de Illuminatione: prodierunt A. 1710. *V* Notiones Theologicæ de Regeneratione: prodierunt A. 1708. *VI* Notiones Theologicæ de Renovatione: prodierunt A. 1708. *VII* Incunabula typographiæ reviſa: nunc primum prodeunt. *VIII* Diſſertationes III de uſu numorum veterum in Theologia: prodierunt A. 1694 & 1695. *IX* Epiſtola de Advocatis Literatoribus: prodiit A. 1700. *X* Commentatio de Th. Münzeri doctrina, & factis: prodiit A. 1708. *XI* Supplementum catalogi Maittairiani primorum librorum typis editorum: non ante vulgatum. *XII* Hiſtoria enthuſiaſmi Philoſophici: prodierat A. 1697. *XIII* Lectiones Coluthianæ: prodeunt nunc primum. *XIV* Annotationes in Coluthum de raptu Helenæ: primum nunc comparent. *XV* Epiſtola de corpore antiquitatum forenſium: prodiit A. 1699. *XVI* Exercitatio de periodis, & converſionibus hierarchiæ eccleſiaſticæ: prodiit A. 1708. His quidem omnibus, quæ vel ſolo argumentorum indice facile commendantur, accedit Appendix æque memoratu digna. Complectitur illa non niſi antea inedita, qualia hæc ferme ſunt: *1* Commentatio ad D. H. Muhlium de ſervando in controverſiis Theologicis modo; *2* Statera articulorum fidei, errorum, & elenchi; *3* Pachomii ſermo Græcus contra

Empæctas & mores ſui ſeculi, cum translatione, & notis, ex MS. 4 Provinciale Romanum; 5 Rationarium Hierarchicum, quæ utraque itidem ex MSS. evulgantur. Facile inveniet hic doctus & rei ſacræ perinde ac literariæ peritus lector, quæ valde probet, deſideretque, ut, quam primum per alia S. R. Autoris fieri negotia poteſt, alter harum Diſſertationum Tomus in lucem emittatur.

HISTORIOLA ARTIS TYPOGRAPHICÆ in Suecia, Autore JOH. ALNANDRO, Oſtro-Gotho.

Upſaliæ, literis Wernerianis, 1722, 8.
plag. 7.

QUamvis inſtitutum noſtrum non ſit Diſputationum Academicarum contenta his Actis noſtris inſerere, hanc tamen, quæ ſub præſidio V. C. Fabiani Tœrner, Eloquentiæ Prof. Regii, habita, ob materiæ jucunditatem & raritatem prætermit-
§. 1. tere noluimus. Integra tractatio quatuor capitibus abſolvitur,
quorum *primo* Suecorum ardor in bonas litteras celebratur, in
erectione multarum bibliothecarum in eccleſiis cathedralibus
& monaſteriis conſpicuus, quandoquidem in Visbyenſi Gothlandiæ monaſterio duo millia codicum vetuſtiſſimorum nume-
2. rentur. Inſcribebant veteres Sueci ſua primum ſaxis, deinde
baculis fagineis, (unde vox Buchſtab, a buch, *fago*, & ſtaf, *baculo*, derivatur) quibus membrana ac demum charta ſucceſſe-
3. runt. Ad typographiam quod attinet, primus liber, quem in
Suecia impreſſum Autor huc usque expiſcari potuit, A. 1483
excuſus eſt, Stockholmiæ, a Jo. Snell artis impreſſoriæ magiſtro. Quia tamen hic ſolus non ſufficiebat, varii libri, quibus Sueci tum utebantur, alibi impreſſi ſunt, ex quibus hic memorabimus ſequentes: *S. Brigittæ Revelationes*, Lubecæ 1492, fol. *Breviarium horarum Canonicarum ſecundum ritum Eccleſiæ Lincopenſis*, Norimb. 1493, 8. *Brynolphi Epiſc. Breviarium Scarenſe*, ibid. 1498. *Miſſale ſec. ritum Eccl. Upſalenſis*, Baſil. 1513, fol. *Breviarium ſec. rit. Eccl. Aroſienſis*, ibid. eod. Primi vero libri

in

in ipſa Suecia impreſſi hi ſunt: *Dyalogus Creaturarum moralizatus*, Stockh. 1483, 4, *Vadſtenenſium Literæ Confraternitatis*. Vadſtenis 1491, *Conr. Rogge Breviarium Stregnenſe novum*, Holmis 1495, *Jo. Gerſon de tentationibus Diaboli*, ibid. eod. *Breviarium ſec. ritum Eccl. Upſalenſis*, ibid. 1496, *M. Alanus de Rupe de dignitate & utilitate Pſalterii Mariæ*, impreſſum in Chriſtianiſſimo regno Sueciæ, 1498, *Pſalterium cum Antiphonis & hymnis*, Upſal. 1510, *Literæ Confraternitatis Hoſpitalis S. Spiritus extra oppidum Sudercopenſe*, Sudercop, 1511, *Jo. Gerſon Ars moriendi*, Suethice, Upſal. 1514, *Ej. Meditationes in VII Pſalmos pœnitentiales*, ibid. 1515. 4.

Caput ſecundum *Sueciæ* ſtricte ſic dictæ, prout a Gothia diſtinguitur, typographias enumerat. *Holmiæ* primus fuit *Jo. Snell*, qui Dialogum Creaturarum modo memoratum A. 1483 typis edidit; reliqui inde usque ad noſtra tempora enumerantur. Sequuntur *Typographi Regii*, quorum primus eſt *Anundus Olai*, hodiernus *Jo. Henr. Werner*, omnium Typographeorum per univerſam Sueciam Director. Collegium quoque Antiquitatum a Carolo XI inſtauratum inde ab A. 1700 peculiares typographos habuit. *Upſaliæ* non publici tantum & Academiæ Typographi fuerunt, verum etiam Laur. Wallius, Theol. D. Prof. & Paſtor, poſt Epiſcopus Stregneſenſis, Laur. Paulinus, Archi-Ep. Upſalienſis, & Olaus Rudbeckius propriis ſumtibus ſibi officinas erexerunt. Succedunt typographea *Aroſiæ*, *Stregneſiæ*, & *Nycopiæ* erecta, quibus non immoramur.

§. 1. (first paragraph marker placed beside "Caput ſecundum"); 2. (beside "typis edidit"); 3. (beside "univerſam Sueciam"); 4. (beside "graphos habuit"); 5. (beside "ficinas erexerunt")

Capite tertio ad Gothiam progreditur, ubi primo loco *Vadſtenenſis* monaſterii typographia occurrit, quæ ſub ipſis hujus artis incunabulis ibidem fuit, & A. 1495 incendio everſa, neque reſtituta eſt. Reliquæ ſunt *Sudercopenſis*, *Malmogienſes*, *Colmarienſes*, *Gothoburgenſes*, *Viſingiana* in inſula lacus Wetteri, ubi Braheus Comes in uſum ſcholæ Gymnaſiique a ſe fundati typographiam erigi curavit circa A. 1667, ſed ea jam pridem ceſſavit. *Londini Scanorum* quum A. 1666 erecta eſſet Academia Carolina, ab eo tempore ibi quoque typographia floret, & præterea Petrus Winſtrupius, Theol. & Epiſcopus Scaniæ, privatam quoque typographiam ſuo ſumtu illic inſtituit. Sequuntur, quæ

Junecopiæ, *Scaræ* in Weſtro - Gothia, & *Aboæ* in Finlandia vigent.

§. 1. Caput quartum de variis typorum in Suecia generibus quædam profert. Primum vernaculi & Latini typi in uſu fuerunt, *Græci* ſub initium demum ſuperioris ſeculi, & quidem primo rudiores, in uſu eſſe cœperunt, id quod de Hebraicis quoque & Syriacis tenendum eſt. *Arabici* Petro Kirſtenio debentur, Medicinæ Profeſſori, Wratislavia Upſaliam evocato, iique poſt obitum ipſius Academiæ ceſſerunt.

2. *Runicos* characteres primus fundi curavit *Jo. Thomæ Agrivillienſis Buræus*, qui *libellum Alphabetarium* literis Runicis cum interlinearibus Suecicis bis edidit, Holm. 1611 & Upſal. 1624, 8. Hi poſtea ad Academiam Upſalienſem pervenerunt. Novos vero juſſu Regio A. 1706 Lubecæ fundi curavit Joanno Beringskiöldius. *Ruſſicos* primus confici juſſit Guſtavus Adolphus Rex, in gratiam ſubditorum in confinio imperii Moſcovitici degentium.

3. Conſtituerat Autor de privilegiis Typographorum quædam addere, at ſpatio excluſus, filium abrupit. Forum ipſorum eſt Regium Cancellariæ Collegium, ita tamen, ut cauſæ leviores a Directore Societatis & quibusdam illius Aſſeſſoribus dijudicentur.

Hiſtorie derer Buchhändler, wie ſolche in alten und mittlern Zeiten geweſen.

h. e.

HISTORIA BIBLIOPOLARUM ANTIQUI & medii ævi, Autore CHRISTIANO SCHOETTGENIO. *Editio ſecunda auctior.*

Norimbergæ, ſumtibus hæredum Tauberianorum, 1722, 4. Plag. $7\frac{1}{2}$.

AUtor ante hos annos quindecim in Academia noſtra diſſertationem *de Librariis & Bibliopolis Antiquorum* publice excutiendam propoſuit, jam vero Germanice verſam & variis locis auctam denuo prodire juſſit. Tota tractatio capitibus quatuor abſolvitur. *Primum* agit de Bibliopolis Veterum Hebræorum, ubi, paucis quibusdam de libris antiquiſſimis prælibatis, oſtenditur, apud eos quoque antiquiſſimis temporibus homines fuiſſe, qui libros deſcripſerint, eosque aliis vendiderint, vel etiam

iam publico ſumtu ad id negotium conducti fuerint. Sequentibus temporibus occurrunt סופרים, γραμματεῖς, & לבלרים, quorum negotium omne in deſcribendis ad uſum communem libris verſabatur.

Caput ſecundum Bibliopolas Græcorum exhibet. Nomina ipſorum ſunt *βιβλιογράφοι*, vel etiam *βιβλιαγράφοι*, *ἀντιγράφοι*, *καλλιγράφοι*, item *βιβλιοπῶλαι*, *βιβλιοκάπηλοι*, & *κάπηλοι τῶν βιβλίων*. Negotium ipſorum erat, ut ſcriptores alerent, qui libros deſcriberent, quos poſtea in tabernis publicis venales expoſuerunt, quod autoritate Pollucis comprobatur. Et Diogenes Laertius docet, Bibliopolam quendam viris doctis apud eum convenientibus Xenophontis *ἀπομνημονεύματα* prælegiſſe. Ex quo loco ſimul oſtenditur, qua ratione de libris judicium ferre antiqui potuerint, qui tamen rariores fuerint: nimirum illis in bibliopoliis prælectis auſcultarunt. Lucianus Bibliopolas ſuorum temporum accuſat, quod libros plurimos non ſatis emendatos vendiderint. De pretio monetur, illud ſatis grande fuiſſe, quia libri omnes manu exarandi, adeoque rari fuerunt. Sic Plato tres libros Pythagoræ centum minis Atticis comparavit, quæ noſtra moneta mille & quingentos imperiales conficiunt. Ariſtoteles opera Speuſippi tribus talentis Atticis emit, hoc eſt, mille ducentis & quinquaginta imperialibus.

Bibliopolis Romanorum deſtinatum eſt Caput tertium. Apud eos occurrunt & *Librarii* ſive ſcriptores, & *Bibliopolæ* ſive venditores. Librarii temporibus Reipublicæ liberæ ut plurimum ſervi erant ad familiam Romanam pertinentes, nonnunquam liberti. Utebantur illis Domini, præcipue ad exarandas literas, quod exemplo Cæſaris illuſtratur, qui, Plinio teſte, epiſtolas quaternas vel etiam ſeptenas pariter librariis dictare poterat. Aderant præterea apud Græcos & mulieres librariæ. Temporibus Cæſarum Bibliopolæ memorantur, qui in tabernis publicis libros venum expoſuerunt. Tales a Gellio in Sigillariis, a Martiali in Argileto, item juxta Templum Pacis & forum tranſitorium, a Galeno vero aliquot in vico Sandaliario fuiſſe referuntur. Imo Lugduni in Galliis, & fortaſſe Brundusii quoque, ta-

bernæ hujusmodi librariæ fuerunt. In illis tituli librorum pilis & columnis affixi erant, & eruditi eodem modo, quem ſupra diximus, conveniebant. De fraudibus Bibliopolarum & pretio librorum apud Romanos varia adjiciuntur. Sub finem nomina Librariorum & Bibliopolarum ex autoribus & inſcriptionibus veteribus collecta ſiſtuntur.

Mediis temporibus, quibus Caput quartum deſtinatum eſt, deſcriptores *Antiquarii* & *Bibliopolæ* apud Sidonium, Caſſiodorum & Iſidorum dicuntur. Baſilius M. calligraphiam ab ipſis requiſitam graphice deſcribit, & quia divina volumina exaranda erant, exorciſmus nonnunquam pro iisdem adjectus eſt, cujus exemplum, ab Irenæo inventum, ex Euſebio, Hieronymo & Freculpho Lexovienſi profertur. Si quis liber utilis & jucundus eſſet, librarii, quæſtus cupidi, ſedulo eum inquirebant, ut ex Sulpicio Severo conſtat: alii vero ſcriptis quibuscunque falſa ſummorum Virorum nomina præfixerunt. Sequioribus temporibus occurrunt præterea nomina *Bibliatoris* & *Stationarii*, h. e. ejus qui in publica taberna proſtabat. In eccleſiis Cathedralibus *Librarius* unus erat ex Canonicis, in monaſteriis monachus, h. e. Bibliothecarius, quod obiter additur. Stationarii erant vel privati, vel publici, qui ab Accademiis vel etiam ſingulis Facultatibus conducti erant, ut libros procurarent. Hi inter miniſtros Academiæ ſeu Pedellos locum habebant, de quibus varia ex Statutis Univerſitatis Vindobonenſis apud Lambecium proferuntur.

Sub finem Fridericus Rothſcholtzius, Bibliopola Norimbergenſis, propter affinitatem materiæ adjecit *Specimen hiſtoriæ Bibliopolarum recentiorum temporum*, quam ab aliquot annis meditatur, narrationem ſcil. de bibliopolio Tauberiano, a Joanne & Jo. Daniele Tauberis Noribergæ & Altdorffii inſtructo, una cum indice librorum, qui ſumtibus illorum prodierunt.

VITA DEL GLORIOSISSIMO PADRE S. AGOſtino, Veſcovo e Dottore di S. Chieſa, cavata principalmente dalle ſue Opere &c.

hoc

hoc eſt,

VITA GLORIOSISSIMI, PATRIS SANcti Auguſtini, Epiſcopi & Doctoris S. Eccleſiæ, hauſta potiſſimum ex ipſius ſcriptis, & in VIII Libros diſtincta; Autore CÆSARE BENVENUTI, Cremenſi, Abbate privilegiato Congregationis Lateranenſis.

Præneſte, in officina Barberiniana, apud Dominicum Maſci, 1723, 4 maj.

Alph. 3 pl. 16½.

QUam hic cernis expoſitam Divi Auguſtini Vitam, Illuſtriſſ. nomini Caroli Auguſtini Fabronii, Protectoris Canonicorum Regularium S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis, inſcriptam, cave putes novam & ab ipſo *Benvenuto* compoſitam, cum ſit potius biographiæ illius Auguſtinianæ, quæ partim Memoriis Eccleſiaſticis actisque Sanctorum, operi multorum voluminum gallico idiomate conſcripto (*Tillemontium* indicari arbitramur) intexta, partim & recentiſſimæ operum Auguſtini editioni, in Gallia curatæ, præfixa legitur, Italicam in linguam translatio. Quam ut adornaret, ea maxime ratione inductum ſe ait Cl. Interpres, ut Sanctiſſimi hujus Patris vitæ deſcriptio, ob pretium memoratis operibus ſtatutum perpaucis comparanda, leviori ſumptu & facilius redimi poſſit. In rebus ipſis Italica hæc verſio a Gallica Latinaque compoſitione nihil differt; quantum vero ad ordinem, Noſter quidem in diſtinguendis memoriæ juvandæ cauſa capitibus illam in verſione ipſa compingenda potiſſimum ſecutus eſt. Ex Latina editione nonnullas quoque lectu præ cæteris dignas obſervationes mutuatus eſt, & nihil facile prætermiſit, quod ad integritatem hiſtoriæ ipſius pertineret. Eruditas vero animadverſiones digreſſionesque, quas ſuæ deſcriptioni Gallus Autor juſto longiores immiſcuit, conſulto omiſit, ſibi quippe perſuadens, non tam egregiis doctrinæ copiis hauriendis, quam vitæ lectoris emendandæ poliendæque ſcriptas Sanctorum Virorum vitas: quantumque appoſitis muſa-

rum.

rum dapibus intellectui commodi accedat, tantum virtutis attentiori ſtudio decedere. Ad hunc ſibi præfixum vitæ corrigendæ ſcopum eo melius obtinendum, e re eſſe putavit Cl. Vir, Auguſtini ipſius verba ac ſententias, non ut Gallus fecit, in domeſticam transferre linguam, ne quid inde autoritatis efficaciæque in traducendis ad virtutem animis amittant, ſed in ea, qua exarata ſunt, lingua, hoc eſt latina, proponere. Tres Indices operi acceſſere, quorum primus, in fronte poſitus, materiam uniuscujusque libri ac capitis uno conſpectu exhibet; alter ac tertius in calce comparent, quorum iſte ordine alphabetico principales materias diſponit, hic Sancti ſcripta enumerat, ordine Chronologico, eaque ſerie, quam noviſſima Auguſtini editio dedit, expoſitis ſimul cauſis, quibus impulſus B. Vir ſcripta ſua contexuit, aliisque, quæ ad tempus, quo ſingula ſcripta ſunt, pertinent. Ultimo Cl. Autor de editionibus operum Auguſtini paucis agit, quarum antiquiſſimam primamque illam eſſe arbitratur, quæ 1495 lucem publicam aſpexit, utpote non diu poſt inventam imprimendi libros artem ab Amerbachio typis commendatam: inter recentiores autem nullam omnino judicat Monachorum Benedictinorum illam ornatu ſplendoreque antecedere. Ceterum Interpres induſtriam ubique adhibuit ſingularem & perſpicuo quodam Italici ſermonis genere Vitam hanc expoſuit.

LE RIME DI M. FRANCESCO PETRARCA.

hoc eſt

FRANCISCI PETRARCHÆ POEMATA, AD OPTIMAS editiones, & Codicem MS. vetuſtiſſimum recuſa.

Patavii, apud Joſephum Ceminum, 1722, 8.

Alph. 1 plag. 11.

CUm inde ab A. 1472 nulla Poematum Petrarchæ editio prodierit Patavii, luculentam nunc tandem ſuſcepit Cl. Editor. Præterquam vero quod multas in textu lacunas, adhibita imprimis membrana veteri, ſupplevit, nævosque ſuſtulit, vitas Petrarchæ a Ludov. Beccatello & Lud. Ant. Muratorio compoſitas, tum & Petrarchæ Teſtamentum & Donationem Bibliothecæ ſuæ Reip. Venetæ factam, & Catalogum editionum horum Carminum plusquam 130, J. M. Creſcimbeni notis illuſtratum, præmiſit, in ceteris faſſus, plurimum ſe debere Fratribus doctiſſimis, Petro Catarino & Apoſtolo Zeno.

)o(

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. VIII. Sect. XII.

JO. GOTTL. HEINECCII, JC. POT. PRUSS. Regi a Conſil. Aul. & olim in Academ. Frideric. Jur. & Phil. P.P. Ord. poſtea Francof. evocati, Antiquitatum Romanarum, Juriſprudentiam illuſtrantium, Syntagma. Editio ſecunda.

Argentorati, ſumtibus Jo. Reinold. Dulſſeckeri, 1724, 8. Alph. 2 pl. 13.

EGregiam quidem & juvenibus legalis doctrinæ ſtudioſis apprime fructuoſam operam Excell. Autor, nunc in Academia Friſiorum Anteceſſor, hoc libro navavit. Cum vero, præter Juſtinianeos juvenes, etiam viri, quibus penitius ſeſe his literis immittere minus contigit, eundem ſibi uſui eſſe intelligerent, facile evenit, ut ſat cito prioris, quæ Halæ 1719. prodiit, editionis exempla ſint diſtracta. Quare, ne utile adeo ſcriptum diutius fruſtra requireretur, illud recudi curavit, lima prius adhibita, quo emendatius & concinnius poſſet comparere. Videamus igitur, quid in ipſo Syntagmate præſtitum ſit; quæ in præſenti editione, tollendis nævis, curæ ſeveritas; quæ corrigendis nonnullis obſervationibus induſtria adhibita; quæ acceſſiones factæ ſint. Ea enim ſingula præfatio, noviter adjecta, ſtudioſe facta pollicetur.

Et vero ad Methodum quod attinet, eam inſtitutum Autoris, Inſtitutiones Juſtinian. ex Antiquitatibus Roman. illuſtraturi, talem ſuggeſſit, ut ipſum titulorum ordinem ſequeretur. Præmiſſa autem ſunt argumenta admodum concinna ſingulis titulis,

lis, ex quibus, ſi qui junctim commodius explanari poterant duo pluresve apte conjunguntur. Neque eſt, quod in ipſa antiquitatum expoſitione vel juſtum ordinem, vel perſpicuitatem deſideres. Gratæ quoque res lectoribus notæ eſſe queunt, quibus ubique ſuus conſtat modus, & quæ vel probationibus, vel novis, aut certe ſingularibus obſervationibus ſeſe paſſim commendant. Neque vero neceſſarias ſolum ad meliorem Inſtitutionum intellectum antiquitates plene ac ſufficienter exhibere Autor ſtuduit, ſed & bene multa, quæ in Inſtitutionibus fere intacta reliquerat Tribonianus, imo vero nonnulla in latiori Digeſtorum opere minus explicata, verbi gratia *diviſiones Perſonarum, ex Statu Civili fluentes*, itemque diviſionem illam *rerum mancipi, & nec mancipi*, accuratiſſime ſupplevit. Imprimis Jus antiquum Civium Rom. Latinorum, Italiæ, Provinciarum, ut & Statum Peregrinorum, velut præclaram antiquitatis Rom. partem, in *Appendice libri I* expoſuit, *Car. Sigonii libris de antiquo Jure Civium Rom. Italiæ, & Provinc.* ut & *Ezech. Spanhemii orbe Romano*, in compendium redactis. Sicubi tamen juſto parcior in commentando eſſe videatur, certe vel obſcuritas argumenti, vel Autorum ſilentium, uti ſolertiſſimum quemque antiquarium, talem & Noſtrum eſſe coegerunt: quæ etiam in cauſa ſunt, ut nonnullis locis ipſa ex Inſtitutionibus verba, paulo planiora reddita, Pandectarum textibus in ſubſidium vocatis, pro antiquitatum enarratione ſubſtituenda fuerint. Cumque non apparatus ſolum, ſed delectus adhuc magis teſtimoniorum e probatiſſimis antiquorum temporum ſcriptoribus, judiciumque de iis accuratum, indeque erutæ & ſtudioſe nexæ concluſiones in hujus generis commentationibus utramque faciant paginam; &, cum ſine his omnes conjecturæ, quantumvis ingenioſæ, meræ nugæ & inanes fabulæ ſint, quibus deturpatur magis, quæ in libris Juris ſupereſt antiquitatis facies, quam illuſtratur: Noſter id de ſe affirmat: eſſe præſtantiſſimos autores ubique in conſilium adhibitos, eosque omnes a ſe eſſe evolutos, & bona fide allegatos: quamvis autem multum adjumenti a feliciſſimis harum antiquitatum indagatoribus acceperit, ſemper tamen ſeſe ad fontes recurriſſe, eaque re effeciſſe, ut haud pauca, ab aliis non reperta, obſer-

Digitized by Google

obſervaverit. Cui quidem aſſertioni fidem libenter habemus, cum eam fama Viri & ſumma exiſtimatio habere nos jubeant, & ulterius faciant nobis hanc fidem ſubjecta diligenter, neq; parcius citata veterum autorum loca, quæ etiam quam accurate citentur, facile quivis evolvendo poterit experiri. Ex quibus humaniſſimorum JCtorum operibus plurimum profecerit, diſſimulare nec potuit, nec ſi forte potuiſſet, voluit: quin immortalia potius Nomina, præſertim *Briſſonii, Cujacii, Fabrorum, Brummeri, Sigonii, Spanhemii, Noodtii, Bynckershœkii, Huberi, Schultingii, Thomaſii,* grata mente celebrat. Nonnunquam nimium quidem aliorum, & ſingulatim Sigonii autoritati tribuiſſe multis videbitur: id quod animadvertit jam Dn. *B. Branchu,* atque in *Obſerv. ad Jus Rom. Decade II c. 15* Noſtrum eo nomine bis notavit. Primo enim *ad Librum IV Inſt. T. VI n. (u.)* Noſter, *in lite Vindiciarum, quoties de domus poſſeſſione fuiſſet controverſia, loco glebæ, in jus ad Prætorem feſtucam eſſe deferri ſolitam,* ſcripſerat, adducto *Gellii N. A. XX c. 10, in quo vis feſtucaria ab ejusmodi feſtuca diceretur.* Negat *Cl. Branchu l. c. p. 84,* compertum ſibi eſſe, unde iſta obſervatio hauſta ſit, niſi ex *Sigonio,* qui tamen dubitantis in morem eam *de Judic. II c. 21* proferat. At longe aliam eſſe vis feſtucariæ appellatæ rationem, nempe a Vindicta, in vindicationibus a Prætore adhibita, quæ & feſtuca dicta ſit apud Plautum & Juvenalem; (quemadmodum eadem, teſtimoniis iisdem firmata, jam ad Gellium notavit Oiſelius, quem ex Aſcenſio deſcripſiſſe Gronovius arguit.) Quid ad hæc Noſter? Immerito ſe vellicari exiſtimans, defenſionem cauſæ ſuæ aggreſſus eſt in præſenti libri ſui editione, ipſo loco, quem Dn. Branchu ſolicitaverat, ſuamque obſervationem, ex Gellio hauſtam, pertendit. *Gellium* enim, *ubi de lite Vindiciarum ſcribit, eam vim imaginariam vocare vim feſtucariam, nec docere, quaſi litigantes ſemper glebam in jus attulerint, ſed id modo exempli cauſa allegare, quia de agro ſit locutus. Quemadmodum ergo ager per glebam, ita domum potuiſſe repræſentari per feſtucam.* Argumentum quoque repetit a Francorum ritu, qui inter alias juris ſolemnitates a Romanis acceperint quoque ſignum traditionis feſtucam, unde *prædium effeſtucare,* i. e. tra-

dere, dixerint. Nobis quidem, ſi licet ſententiam dicere, conje-
ctura Dni Branchu probabilior videtur, intenſius examinato
Gellii loco, nec parum adductis teſtimoniis firmata. Sed liceat
etiam de noſtra opinione aliquid adjicere: Gellius cum vi bel-
lica & cruenta ab Ennio conferri dicit, *vim illam civilem & fe-
ſtucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret*. Civilem
itaque nobis videtur appellaſſe illam, quæ ex LL. XII Tabb.
correptione manus in re atque in loco præſenti fiebat; feſtuca-
riam, quam Prætor conſenſu litigantium introduxit, ut litigan-
tes non in jure apud Prætorem manum conſererent, ſed *ex jure
manum conſertum vocarent*: hæc eſt, *quæ verbo dicebatur*. Fe-
ſtucariam ergo appellavit pro Prætoria, a feſtuca, h. e. Vindicta
Prætoris, quæ liti facile nomen conciliare potuit. Aut, ſi ma-
vis, dicamus, Civilem ſimul & Prætoriam vocari, primo, ut un-
denam eſſet, puta ex Jure partim Civili, partim ex Prætorio, de-
inde ut, coram quo & quo loco inſtituta eſſet, ſcilicet coram
Prætore, indicaretur. Enimvero ſi Gellius vim Prætoriam a
Symbolo poſſeſſionis controverſæ, in ea uſurpato, denominare
voluiſſet, facilius, imo aptius *glebariam* dicere debuiſſet, quam
a gleba, qua de unice hactenus ſermo fuerat, impetu quodam
abripi ad feſtucam, de qua nullibi extat vel leve aliquod veſtigi-
um. Et quid obſtat, quo minus glebam ſignum etiam domus
fuiſſe, credamus? Nam, ut ex *Cic. Topic. n. 22 & pro Cæcin* §. 54
diſcimus, ædes fundo pares habebautur, & ſub eadem interpre-
tatione Prudentum comprehendebantur. Ergo feſtuca facile
caremus. Sed alteram controverſiam, quæ inter Viros Cele-
berrimos acta eſt, paucis quoque attingamus. Noſter formu-
lam juris notiſſimam: *Quando te in jure conſpicio, poſtulo, anne ſi-
es autor?* cum Sigonio aliisque ad Actiones in Rem retulit,
(Libr. IV T. VI n. (y.) *id vero erroneum eſſe*, monet Dn. Bran-
chu, (l. c. p. 89.) *potiusque ad Actiones in Perſonam referri eam
formulam debere, in quibus ob metum pluris petitionis neceſſe
fuerit aliquid ſcire de conditione ejus, qui litem eſſet conteſtatu-
rus*. Putat vero Cl. Heineccius, ſe ab obſervatore ſuo minus eſſe in-
tellectum, quare prolixa fere declaratione operam dat, ut ab eo
intelligatur, qua quidem, noſtro judicio, ſuperſedere potuiſſet.
Interea

Interea ex ea perſpicimus, Noſtrum in communi cum aliis opinione hærere, quaſi olim *autor* idem dictus fuerit, qui *poſſeſſor*, quod nullo prorſus teſtimonio probari poteſt, & longe diverſum vocis *autor* uſum pridem oſtenderunt *Briſſon. de Verb. Signif. Hotoman. Obſ. 7 c. 15 & Ravard. Protrib. c. 5*, quorum ultimum citavit Noſter, minime vero inſpexit, licet ad eum ab obſervatore ſuo ablegatus; quodſi inſpexiſſet, eadem ſane, quæ Dn. Branchu, erat obſervaturus. Mirati præterea ſumus, a Viro Cl. ſtatui, Edicto Proconſ. invectam eſſe reſtitutionem in integrum, ob alienationem judicii mutandi cauſa factum, id quod pridem refutavit *Huberus prælect. ad ff. tit. de al. jud. mut. c. fact.* Neque minus miramur, ad probandam porro Sigonii traditionem, de lite in Vindicationibus æſtimata tacenti ei, qui rogabatur, in ſubſidium vocari *l. 13 §. 3 ff. de interr. in jure fac.* quem ſum nec ipſum, nec, quæ ex eo citantur, uſpiam in Digeſtis invenire licebit. Eſt l. 11 §. 4 d. t. qui docet: reum, qui apud Prætorem interrogatus tacuerit, *in ea cauſa eſſe, ut inſtituta actione in ſolidum poſſit conveniri, quia Prætorem contemnere videtur.* Quid iſta ad rei Vindicationem? Sed de his longius diſputare, præſens inſtitutum non permittit. Pergimus autem, quæ in hac editione præſtita ſint, referre. Ac de nævis, qui vel operarum incuria, vel Autoris feſtinatione priori edit. adhæſerant, & quos nunc ſeveriſſima cura tollere ſtuduit, ſupereſſe aliquos, animadvertimus, velut, cum Lib. I T. XI §. 1 *Vopiſci Valerianus*, loco *Aureliani*, citatur. Item, cum L. I T. II n. (b) non modo ad *Macrob. Saturn. II c. 13* falſo provocatur, quippe ejus libri tantum 8 capita ſuperſunt, verum etiam *Didia Licinia lex* profertur, cum *lib. III c. 17 ap. Macrob.* ita legatur: *Poſt Didiam* (legem ſumtuariam peculiarem) *Licinia lex lata eſt.* Merito quoque lapſus in allegata *l. 13 §. 3 de int. in jur. fac.* de qua modo diximus, in utraque editione commiſſus huc refertur. Verum liberaliter agere, atque omiſſis talibus, emendationes, variis ſubinde obſervationibus adhibitas, laudare malumus, ex quibus ſpeciminis loco adducimus ſequentes. L. I T. XI §. 15 n. (a) ſolemnitatem adoptionis domi factam, quam antea promiſcue licitam exiſtimaverat, recte nunc vindicat Principibus, qui

multa ſibi in arrogationibus indulſerunt. Item L. II T. XVIII §. 5 figmentum Legis Gliciæ, in qua originem quærelæ officioſi inveniſſe ſibi viſus eſt Cujacius, erudite detegit, cum in ſuperiori edit. a Cujacii partibus ſletiſſet. Libro IV T. XVII in deſcribenda forma judiciorum privatorum, optime teſtium & tabularum productionem adjecit §. 10, tum vero ad §. 13 n. (d.) plenius & accuratius de executione tradidit. Jam de obſervationibus, quæ acceſſerunt, fatemur, eas tam elegantes utilesque, quam numeroſas eſſe, ut novum libri Indicem cum priore conferenti facile apparebit. Statim Lib. I T. II ſeptem noviter adjectæ, duæ auctiores ſunt notæ: eod. libro T. IX n. (b) hiſtoriam expoſitionis partus ſupplet ex *Ger. Noodtii Julio Paulio.* T. XI §. 11 de Nobilitate per adoptionem collata, adjecit. Lib. II T. VIII §. 3 docet, matronas dotibus ſeſe fere ſolis ſejunxiſſe a concubinis. Lib. III T. XIV §. 1 primum æs a Serv. Tullio R. ſignatum eſſe, ex *Dn. Branchu Obſervat.* addit. L. IV T. IV §. 1 quædam de Aſſe; eod. libro T. VI n. (c.) de Recuperatoribus recens adnotantur. Tit. XVIII ejusd. libri fere ſingulæ notæ vel ſunt ipſæ acceſſiones, vel ſuas acceſſiones habent, & de jure quæſtus meretricii §. 53 & ſeqq. tres nunc additos deprehendimus. Quis itaque emendatioris auctiorisque laudem huic editioni denegare velit? Nos præclaram adeo induſtriam in pulcherrimo hoc Syntagmate & adornando & recudendo collocatam merito prædicamus, lucemque hanc egregiam in Juris antiquitatibus accenſam, interioris Juris ſcientiæ cupidæ juventuti impenſe gratulamur. Veruntamen haud ægre laturum Virum Ampliſſ. ſi, in editionis forſitan iterandæ gratiam, adhuc nonnulla monuerimus, a ſingulari ejus humanitate nobis pollicemur. Lib. I T. XVI §. ult. optaremus, arctiorem minimæ cap. deminutionis nexum cum cenſu Rom. oſtenſum eſſe, tum quoque dubitationem de emancipatione, utrum ea ad min. cap. deminutiones referenda ſit, perſpicuitatis melioris ergo, ad Juſtinianeam emancipationem eſſe reſtrictam: id enim ex antecedentibus non liquet, ſecundum quæ potius de veteri & legitima ſermo eſſe videtur. Eod. libro T. XII n. (a) *Dn. Thomaſium* ſecutus negat, *durante captivitate jus patr. poteſt. in ſuſpen-*

Digitized by Google

ſuſpenſo fuiſſe, quamvis ita loquatur *Ulpianus*; ſed *plane peremtum eſſe, & poſtliminii demum jure recuperatum.* At pro *Ulpiano* faciunt *Papinianus in l. 15 ff. de ſuis & legit. hæred.* ut & *Julianus in l. 22 §. 2 ff. de captiv. & poſtlim.* Rationem expromit *Tryphoninus in l. 12 §. 1 ff. eod.* Dubium vero de nuptiis captivo patre contractis, quas is poſtliminio redux nequibat reſcindere, eximit idem *Tryphoninus d. l. 12 §. 3.* Libro II T. X §. 3 ignorantiæ in antiquitatibus incuſatur Tribunianus, quod *pr. I. de Militari teſtam.* hujus generis teſtamenta ob militum ſimplicitatem inventa putet. Etenim antiquam militiam ex delibuto civium flore lectam fuiſſe. Verum Tribunianus, eo certe loco non errans, loquitur de teſtamentis militaribus, quæ (poſtquam illa in procinctu facta pridem exoleverant, & poſtquam loco militiæ lectæ mercenaria placuerat, in quam certe delibutus flos civium, isque ſagaciorum, non conceſſit,) Principum Conſtitutionibus introducta ſunt. Lib. IV T. XVIII §. 34 vidimus, diſtinctis parum exemplis Populi Judicia ex hiſtoria Rom. illuſtrari, prout ea Sigonius obtulerat; quo ipſo miſcentur iterum, quæ hactenus probe diſcreta erant. Maximam enim partem exempla illa proprie judiciorum publicorum ſunt, ſed quæ, provocatione ad Pop. interpoſita, ad Populum devoluta fuerunt. Multum vero intererat, a Magiſtratu per accuſationem, an per provocationem ad Pop. delata eſſent judicia. Sed & *de provocationibus*, opportuno licet ac fere neceſſario loco, ubi judicia deſcribuntur, vel binis verbis dicere viſum Noſtro non eſt. Denique diſſimulare nolumus, quemadmodum Fridr. Brummerus *M. Vertranii Mauri librum ſing. de trium liberorum jure*, (quem fruſtra a ſe in bibliothecis quæſitum, dolet,) obſervante Noſtro, in Tractatu Tractuum invenire potuiſſet; ita & *Adr. Pulvæi librum ſing. ad Legem Atiniam, de Uſucap. rerum ſurtiv.* quem Noſter fruſtra quæſitum inſpicere ſibi adhuc nondum licuiſſe, queritur, (L. II T. VI § 4.) itidem in Tr. Tr. Tom. XVII extare, eumque una cum reliquis *Opuſculis Pulvæanis* jam recudendum heic Lipſiæ curari.

ANONYMI MONITA AD JACOBI ELSNERI Matthæum.

Conf.

Conf. Act. Er. Anni 1721 M. Mart. p. 108 ſſ.

CAp. 1 p. 1 *quod non vertendum eſt*, ſecundum, *aut* juxta *Matthæum, ſed* Mathæi). Videtur contradicere D. Gottfr. Oleario, & Rich. Simonium ſequi p. 6. Atqui Beza etiam putabat, non temere ſcriptum κατὰ potius, quam Ματθαίȣ. Et cur nullibi præterea Πρᾶξεις κατὰ τȣ̀ς ἁγίȣς Ἀποςόλȣς, ἡ πρὸς Ῥωμαίȣς ἐπιςολὴ κατὰ Παῦλον τὸν Ἀπόςολον, Ἀποκάλυψις κατὰ Ἰωάννην, τὸν θεολόγον. Cap. I, 18 p. 2, τὸ συνελθεῖν, *ut nonnullis placet, eodem ſignificatu.*) Verba Gatakeri quodammodo dubia. Nam *utrumque adhiberi ita, tam priſcis Græcis, quam & noſtris ſcriptoribus*, fatetur. An vero τὸ συνελθεῖν apud Matthæum h. l. de coitu ſumatur, *forſan*, inquit, *juris controverſi fuerit*, i. e. an liceat ſic uſurpare. Attamen, pergit, *non deſunt autores magni e noſtris*, *Eraſmus*, *Piſcator*, *Favorinus*, *qui ſic ſumant*. Ratio dubitandi, quia in libris N. T. alibi eo ſenſu non occurrit de Joſepho & Maria, ſicut de aliis conjugibus apud Corinthios, *1 Cor. VII, 5*. Et videtur Gatakerus hic legiſſe Eraſmum Schmidium f. 14. De Græcis ergo ſcriptoribus fruſtra ſollicitus erat Noſter. Ibid. *Salva, quam mirandæ huic myſterio debeo, reverentia*). Vix alibi redit hæc proteſtatio, quæ oppido eſt neceſſaria; ne confundamus ſacra cum profanis, vera cum fabuloſis & turpibus. Neque putandum, Plutarchum loqui de illo Spiritu Dei, de quo Matthæus. Ægyptii dicebant, mulieri non impoſſibile, afflatum Dei accedere aut appropinquare, *& quædam principia ſobolis ingignere*. Improprie, *H. Stephanus* T. 3 f. 1532, proprie enim dicendum fuiſſe, ἐγγεννᾷν. Longe autem caſtigatius de eadem re loquitur Plutarchus Sympoſ. 8 f. 718, ubi negat, τὸν Θεὸν πλησιάσαι, ὥσπερ ἄνθρωπον, ſed alios ei contactus ἀφὰς καὶ ψαύσεις tribuit. Cap. 2, 22 p. 8 ἐχεῖ *ſignificare, eo, ad locum*). Largiri id nolebat Gatakerus, iterum forte dubitans de ſcriptoribus N. T. neque ex iis exemplum allatum eſt ſimile. Cap. 11 p. 10, *baptizabit vos Spiritu S. & igne*). Non poteſt huc, citra proteſtationem illam, pertinere luſtratio Gentilium per ignem, ſive apud Virgilium, ſive in honorem Molochi, ſive etiam per ignem in hac vita, ad exurendas vitiorum ſordes in anima. Phraſium enim qualis-

cun-

Digitized by Google

cunque & verborum apud profanos convenientia non ſtatim pertinet ad exhauriendas divinas res noſtras: niſi quidlibet ex quolibet velis exſculpere. Locus Philoſtrati, Ἰνδοὶ καθαίροντα τῶν ἀκουσίων, recte translarus eſt a D. Oleario, *ab invitis commiſſa.* τὰ ἀκούσια enim opponuntur τοῖς ἐκ προνοίας, fatente Noſtro. Cædes conſulto non facta, eſt involuntaria, & ab invito commiſſa: ſive id imprudentiæ, ſive caſui fortuito tribuas. Eadem mens Pollucis, in *addendis p. 494.* Quid veriſimile ſit crediſſe Indos de illo cratere igneo, fruſtra cogites. Jamblichi autem mentem *de Myſter. 5, 11 & 12* ideo obſcuram dixit Gale *p. 268*, quia utroque capite idem per idem exprimitur. *Superos reddere nos per ignem Diis ſimiles, per ſacrificia ſcilicet, eorumq; divinum ignem, quem ignis noſter, ſacrificio applicitus, imitetur.* Reliqua ne dæmon quidem myſticis ſuis explicare potuit, eoque omnino legenda eſt ampla illa introductio Ezech. Spanhemii in opera Juliani. C. 3, 17 p. 14 *Talis quoque fuit Genius Socratis*). Si filia vocis plerumque fuit vox aut echo temere auribus allapſa, nolim dicere, genium Socratis fuiſſe talem filiam vocis. Pridem enim genius ille excuſſus eſt noſtris. Et paulo aliter infra p. 65 Cap. 4, 5 p. 17 *παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος*). *Non eſt*, inquit Noſter, *ſublimem rapere, ut vulgo putant, ſed comitem aſſumtum ſecum ducere.* D. Olearii mentionem facit hic circa patriam Apollonii, debebat autem ei quoque laudem interpretationis præſentis non invidere. *Obſerv. ad h. l. p. 106 ſeq.* C. 5, 6 p. 22 *Largiri non vult Gatakerus c. 41 de ſtyl. N. T. etiam de hominibus uſurpare χορτάζειν Græcos*). Extat ſane hoc in ſummario capitis. Mens tamen ejus alia fuit. Ridet enim tantum, Pſochenium in verbis Platonis non vidiſſe lapſum typographi, ὑιῶν ponentis pro ὑῶν. Si corrigas hunc, utique Plato facit pro ſententia Pſochenii §. 112 & illuſtratur Matthæus. Dixerat *libro 2 de republ.* Socrates, ſenſim creſcere civitatem, & quomodo civibus proſpicendum ſit de variis neceſſariis. Reſpondet Glauco, ita homines ab eo fingi convivantes ſine obſonio. Supplet ergo Socrates iſta. Iterum Glauco: Hominum etiam eſt, toris accumbere, & deliciis abundare, ne miſere vivant. Non enim *ſuibus urbem*, ὑῶν πόλιν, *parari.* Ex his patet ergo, Platonem verbum χορτά-

 ζειν

ζειν utique de hominibus adhibere; etſi inſtantia obiter accedat de ſuibus, velut ab oppoſito. Cap. 5, 19 p. 24. λύειν ἐντολὴν ſeu νόμον, & καταλύειν, v. 17 idem eſſe, recte ait Noſter. Hanc autem ſignificationem, quam Chriſtus adhibuit de lege divina, a ſe adimplenda, frequentem eſſe apud Græcos etiam profanos, nemo credet. Loca enim illorum loquuntur de abrogatione legum, quæ ſuperioribus competit. Apud Matthæum autem is dicitur ſolvere legem Dei, qui eam nec facit, nec facere docet. Profanis neutrum erat cognitum, nec aſpirabant ad ſenſum interiorem voluntatis & legis divinæ. Cap. 5, 44 p. 30, 31 διώκειν Noſtro proprie eſt *accuſare*. Hinc apud Lyſiam Orat. 9: ὁ μὲν διώκων, ὁ δὲ φεύγων, exponit alter *actor*, alter *reus*. Sermo enim ibi eſt ad judices, in judicio forenſi. At eo ſenſu capiendus non eſt M. Antoninus, *de rebus ſuis lib. 3* §. 7: μήτε διώκων, μήτε φεύγων. Nullum enim ibi veſtigium fori. *Is, qui mentem geniumque ſuum, & virtutem elegit atque ſectatur, non tumultuatur, non ingemiſcit, non ſolitudinem, non multitudinem quærit, quodque eſt maximum, vivet neque appetens, neque fugiens.* Similiter L. XI, 11: *quarundam rerum* αἱ διώξεις καὶ φυγαὶ, *ſectatio & fuga, perturbant nos. Itaque abſtine*, ὅτε διώκων, ὅτε φεύγων. Adhuc clarius Lib. 9, 1: *Ex æquo afficiaris a dolore & voluptate, morte & vita, gloria & ignominia. Impie agit, qui ſectatur voluptates, velut bonum, & fugit dolores, ceu malum.* Sed nec *Lib. 6* §. *6* de actore vel reo agitur. Sacris porro ſcriptoribus διώκω non eſt ſemper forenſe. Rom. IX, 30, 31, XIV, 19 & alibi. Cap 6, 2 p. 33. Approbare Elsnerum hic ſententiam D. Olearii p. 167 ſeq. eamque legiſſe, certum eſt. Sed nominare tamen eum iterum noluit. Locus autem Ach. Tatii exhibet fœminam, quæ quaſi in theatro publico ὑπὸ σάλπιγγι καὶ κήρυκι, adulterium committit. C. 6, 22 23. ὁ ὀφθαλμὸς ἁπλοῦς ὁ πονηρός). Ab Hammondo hic recte diſſentit Noſter, Hammondo autem cum ad ſingula ſatisfecerit D. Olearius p. 228 ſeq. utique id non erat diſſimulandum. C. 8, 8 p. 44. Centurio ait, *non ſum dignus*). An ideo, quod tantus ſibi peccator videretur, ac tot tamque gravium facinorum reus, ut ſummum nefas ſuæ religionis hominibus eſſet idem tectum cum tali ſubire,

ſubire, e textu non liquet. Ibid. p. 46 *Apollonius Tyanenſis gloriabatur*). Mercator tamen, qui Deorum ſimulacra vehebat, recipere Apollonium & ſocios in navem nolebat, ne ſimulacra Deorum conſortio iſtorum inquinarentur; infra Noſter ad *Luc. V, 8 p. 203.* Cap. 8, 28 p. 47. *ſi vera ſunt, quæ Antiochenſibus Chriſtianis).* Exprobrat iis falſo ſuperſtitionem enormem Julianus, *Miſopog. f. 344.* Alias eam diſſimulaturus non erat Cyrillus Alexandrinus fol. 203, 204. Tetigit hanc rem etiam Ez. Spanhemius, laudata introductione f. 15, a. Cap. 9, 6 p. 48. *Paralyticus ſurgens tollit lectum ſuum*). *Huc forte*, ait Noſter, *reſpiciens, ut ſolet homo ille, narrat Lucianus* de ſervo ab incantatore Chaldæo a morſu ſerpentis curato, quod *ſublato lectulo diſceſſerit in agrum:* Philopſeud. T. 3. Vixit Lucianus in Oriente, ſeculo ſecundo jam ſatis adulto, potuitque legiſſe Evangeliſtarum miracula de Chriſto. Appellat ἄνδρα Βαβυλώνιον τῶν Χαλδαίων, qui etiam alia fecerit θεσπέσια ὡς ἀληθῶς. Alius ibidem eſt μάγος ἐξ Ὑπερβορέων, quem τὸν ξένον τὸν βάρβαρον nominat, qui interdiu in aere volet, ac ſuper aquam, & per medium ignem incedat lente ac ſenſim, & mortuos ἑώλους, *heri vel pridie*, in vitam revocet. Tertius ibi eſt Syrus ille, ex Palæſtina, qui dæmonem, intrantem in hominem, adjurans ac minitans, ni paruerit, expellit, ὁ ἐπὶ τούτων σοφιστής, *harum rerum artifex. Philopſeud paſſim.* Jacobus Palmerius exiſtimabat, intelligi per Syrum hunc aliquem Apoſtolum aut diſcipulum Chriſti, qui habebant poteſtatem in dæmones. *Not. ad varios ſcript. Græc. p. 570.* De reliquis duobus ſentiat quisque, quod volet. Poſtulat autem res ipſa, ut cogitemus, Lucianum, aliosque Gentiles naris emunctioris, Chriſtianæ religioni paulatim invaleſcenti, (cum viderent, nihil ſibi amplius ad reſiſtendum ſupereſſe,) glancomata primum varia ſimilium miraculorum fruſtra voluiſſe opponere, tandemque obmutuiſſe penitus. Cap. 10, 11 p. 52. *Ælianus V. H. Lib. 11, 8 Hipparchum occiſum eſſe*). Tueri hunc locum adverſus Perizonium tentavit Noſter. Lis eſt de virgine Attica, an digna fuerit, Deæ Minervæ ferre caniſtrum aureum cum primitiis ſacrificii in quinquennalibus? Indignam fuiſſe juxta intentionem filiorum Piſiſtrati, ait Thucydides, eo-

 que

que pertinere dubitantis particulam *ἴσως* apud Ælianum, viſum eſt Perizonio, ſed & excidiſſe negantem, *μή*. Hoc certum fuerit, quod Hipparchus, Senior filiorum Piſiſtrati, curam illorum quinquennalium Athenis geſſit, voluitque Athenienſes per carmina Homeri tunc canenda, ſuo exemplo erudiri. Ælian. *lib. 8, c. 2.* Spectabat ergo ad illius curam etiam, quænam ex virginibus honorem iſtum mereretur. Cumque ſoror Harmodii repulſam tulerit, Hipparchus autem famam viri juſti ac probi haberet, lis iſta finita cenſebatur. Quod ſi Ælianus Lib. 11, 8 firmiter affirmare voluit, *ἴσως ἀξίαν* illam fuiſſe, ceu Noſtro placuit, jam quæſtio facti plane invertenda eſt. Cap. 10, 23 p. 55. *ἐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις*). Cum Beza Noſter vertit, *non circuibitis civitates Iſraëlis, quin venerit filius hominis, rurſus vobis in auxilium affuturus.* Sicut autem alibi, ita hic quoque ei ante oculos fuit haud dubie obſervatio D. Olearii 32 ad h. l. p. 283, 284. *Non ceſſabitis in hoc miniſterio prædicandi civitatibus iſtis, neque illo carebunt, quin venerit ultimum excidium templi & urbis.* Quæſtio igitur non erat de ſpatio temporis, ad abſolvendum illum curſum itineris, ſed de conſtantia in exequendo miniſterio apoſtolico. Cap. 11, 19 p. 58 ſeq. *καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία*). Affert noſter hic explicationem novam, ceteris, ut ipſi videtur, faciliorem: *Et porro dicunt Judæi, condemnata eſt ejus doctrina ab ipſis diſcipulis ejusdem:* quia enim eſt amicus publicanorum & peccatorum, profanorum hominum & impurorum, quos ſine initiis in diſciplinam recipit, facile quisque de vili pretio ejus doctrinæ judicat, & ita propter diſcipulos illa condemnatur. Atqui notio *condemnandi* verbo Græco *δικαιόω* neque a LXX. neque a ſcriptoribus novi fœderis tribuitur, ſed *abſolvendi*, & juſtum prædicandi. Matth. XII, 37. Sic enim vincit, qui judicatur. Rom. III, 4 *Κύριος μόνος δικαιωθήσεται*, Syr. XVIII, 2. Non ergo Judæi hic loquuntur in Chriſtum, neque hæc a Chriſto, ut præcedentia, referuntur *ἀπὸ κοινοῦ*, ſed opponit ipſe improbis Judæis genuinos ſuos diſcipulos, qui vere ſunt filii ſapientiæ cœleſtis, & vi rapiunt ad ſe regnum Dei, Luc. XVI, 16 Math. XI, 12. Hi intelligunt doctrinam verbi & defendunt contra omnia ſcandala, & glorificant Deum. D. Olear. *Tract. Jeſus Meſſ. p. 276.*

Sed

Sed neque apud Euripidem *δικαιόω* eſt *condemno*, judicii ſchemate. Exules Tracenſes alloquuntur Athenienſes, an juſtum putent & æquum, ut etiam Athenis non recipiantur, qui ab una aliqua civitate Græciæ nullo jure eſſent expulſi? Apud Thucydidem Cleon ſuadet Athenienſibus, ut Mitylenæos acerbe puniant. Si enim veniam iis concederent, ſibimet ipſis injuriam inferrent & damnum. Perit ergo ſententia condemnatoria in utroque loco. Cap. 11, 29, 30 p. 61, 62. *πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, ὁ γὰρ ζυγός μου Χρηστός. Ego*, inquit Noſter, *expoſuerim*, jugum meum *lene, mite, benignum oppoſite jugo Phariſæorum & Roboami. Non, quaſi Chriſtus ſeſe in exemplar proponeret lenitatis & humilitatis; ſed continet rationem, quare ad ipſum accedere ſuamque doctrinam amplecti debeamus;* quia ipſe non durus ſit vel ferox, neque gravia & non ferenda impoſiturus. Laudatque Alex. Morum ad h. l. Enimvero Morus ipſe vertit, jugum *facile, utile, ſuave*; atque hoc opponit jugo Legis & peccati. *p. 54.* Et cum Clemente Alexandrino ait, *Si Chriſtus adeo eſt humilis, quid nos faciemus, ſtantes ſub gratia illius?* Hic ergo exemplar etiam imitandum involvitur utique. Joh. XIII, 15, 1 Petr. II, 21. Cap. 13, 11 p. 65. *ὑμῖν δέδοται γνῶναι, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται*). Plane huc pertinere putat Noſter locum Plutarchi de Genio Socratis fol. 593 & ſimillimum haberi *Numer. XII, 6, 7, 8. Ore ad os loquor cum Moſe & viſione, adeo, ut ſpeciem Jehovæ conſpiciat.* Atqui Plutarcho nunquam in mentem venit, ad indagandam illam ſpeciem Jehovæ cogitando aſcendere. Ita enim ille: *ſicut vir equorum amans, non omnibus eandem curam impendit, ſed ſemper aliquem optimum ſeorſim exercet, alit, amat; Sic dii de nobis optimos peculiari dignantur inſtitutione, non frænis aut habenis, ſed λόγῳ διὰ συμβόλων εὐθύνοντες.* Quæ autem ſequuntur, longius adhuc abeunt a mente Chriſti, *τὸ θεῖον ὀλίγοις ἐντυγχάνει δι' αὐτοῦ καὶ σπανίως.* Loquitur de ſignis divinationis. Statim: *Dii paucorum hominum vitam exornant, quos ſumme beatos & vere divinos reddere volunt.* Omiſit ergo hæc Noſter ſtudio. De Genio Socratis ita diſſerit Plutarchus, ut appareat, nihil minus quam eundem aut ſimilem fuiſſe Filiæ vocis. De puero enim Socrate jam prædictum patri

 illius

illius fuerat: *habere eum in ſe ducem vitæ, ſexcentis magiſtris & pædagogis præſtantiorem.* f. 589. Quæ omnia erudita diſſertatione exhauſit D. Olearius. Cap. 13, 15 p. 66 *incraſſatum eſt cor populi hujus, ne forte videant*). Ad ſententiam hujus loci plane pertinere Noſtro creditur Hierocles *p. 192 aur. carm.* ut etiam verba ejus ex Matthæo ſumpta eſſe putet. Hierocles ille fuit Philoſophus Platonicus, ſcripſitque ſeculo quinto. Quantacunque ergo ſpolia e libris Chriſtianorum intulerit in Platoniſmum ſuum ethnicum, mentem Spiritus S. & nucleum non vidit, ſed corticem tantum abſtulit. Decipiunt ergo, qui floſculos iſtos pro Junone arripiunt & venditant. Talis eſt iſte locus Luciani, a Noſtro etiam quaſi ad illuſtrandam mentem Chriſti adductus, ubi regina Clotho ait ad Cyniſcum Philoſophum, *ephorum te ac medicum peccatorum humanorum relinquebam.* Nugæ. Cap. 13, 22 p. 68 *qui inter ſpinas ſeminatur).* In re iterum non diſſimili eandem ſimilitudinem reperit Noſter in epiſtola Lyſidis; eam vero Jo. Schefferus miſere corruptam & pejus explicatam fuiſſe dicit *de Philoſ. Italica c. 13* & Heraldus *in Jamblich. c. 6 p. 166.* Lyſis iſte Pythagoræus corruptionem cordis humani tribuit initiationi Gentilium. Si enim cor hominis per diſciplinas Pythagoræ non ſit plene ac perfecte ante omnia purgatum, ſupprimi, quicquid anima manſuetudinis, comitatis & rationis habeat, nec poſſe facultatem intellectus prodire & emergere. Ergo plane diſſimilia hæc ſunt verbis divinis, atque etiam contraria. Cap. 13, 52 p. 69 *γραμματεὺς, doctus ad regnum Cœlorum ſimilis eſt patri familias*). Apud Lucianum iterum reperit Noſter non quod pueri, in faba, quando ipſe etiam Chriſtianis tribuit *γραμματέας, de morte Peregrini* Tom. 4. Lucianus autem ſeculo ſecundo accuratum diſcrimen Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ aut ignoravit, aut ſprevit. Chriſtus enim Matth. XXIII, 34 ad Judæos mittens *γραμματέας*, retinuit quidem nomina doctorum Judaicorum, ſed qui tamen docerent Evangelium; quod erat ſupra captum Luciani. Nec etiam pertinet huc locus Joſephi *de bell. Jud. L. 6 c. 5 ſ. 1281 Edit. Hudſon.* nam excidio urbis inſtante, nulli aderant ibi Chriſtiani, qui de interpretandis oſtentis tunc viſis poſſent interrogari. Copioſus eſt

Digitized by Google

eſt doctiſſ. Clericus ad annum Chriſti 165 §. 7 & 10 in enarranda tota illa digreſſione Luciani de primordiis eccleſiæ noſtræ, quam obiter tetigit tantum Noſter: niſi quod in *addendis p. 497* in Stephanum Le Moyne inciderit. De primis Chriſtianis ait Lucianus, Peregrinum, nobilem Philoſophum, ſed tunc exulem, ab iis in Palæſtina didiciſſe mirificam ipſorum ſapientiam. Lacuna hic eſt, quid Lucianus de natalibus Chriſti referat ex mente Peregrini; nam illa verba Chriſtiani forte deleta malebant. Quæ autem ſequuntur, de Chriſti ætate omnino loquuntur: Brevi illum, omnes Judæorum proceres oſtendiſſe præ ſe pueros eſſe; ita, ut ipſe ſolus omnia eſſet. Eundem libros quosdam Judæorum expoſuiſſe, multos etiam ſcripſiſſe, (aut de ſe ſcribi juſſiſſe.) Hunc, ceu Deum ipſum, colere Chriſtianos, & pro Legislatore ac Principe agnoſcere. Magnum itaque hunc Virum, *pergit*, divino cultu afficiunt adhuc, qui in Palæſtina crucifixus eſt; quia novum per omnia myſterium in vitam introduxit. Abrumpit hic Lucianus. Nec credam ipſum pro *μέγαν* ſcommate uſum, quod litera M. indicarint Chriſtiani. Redit enim Lucianus poſt pauca ad Chriſtianos: eos perperam ſibi perſuadere, ſe omnino fore immortales, perpetuo victuros, ideoque mortem contemnere. A primo illorum legislatore didiciſſe etiam, omnes inter ſe fratres eſſe; Græcorum Deos deteſtari; iſtum vero crucifixum, *σοφιςὴν αὐτῶν*, adorare, & ſecundum leges ejus vivere. Hic ergo nihil delendum invenere primi Chriſtiani. De ſenſu textus ipſius ait Noſter, *καινὰ καὶ παλαιὰ* intelligi *σκεύη*, *vaſa*, quæ in cella ſua, in cœtu ſuo, habeat paterfamilias, h. e. regenitos & non regenitos, qui ſemper manerent mixti. Reſpicit ad parabolam ultimam de ſagena, *v. 47*. At enim Chriſtus v. 51 complexus eſt *ταῦτα πάντα*, parabolas omnes. Paterfamilias etiam e cœtu ſuo non *ἐκβάλλει* bonos vel malos, ſed e promptuario cordis ſui depromit antiqua, i. e. Legis ſenſum interiorem, & nova myſteria regni Chriſti. Ita profundius D. Olear. *h. l. p. 418*. Cap. 15, 5 p. 74 *πατρὶ ἢ μητρὶ, Δῶρον)*. Duas hic facit Noſter orationes. Vos autem dicitis *primo*, Korban eſto; *& porro*, *ἀπὸ κοινῦ*, *dicitis*, ne honoret. Ita vero deeſt aliquid in prima: Si quis dixerit, Korban eſto, quod a me petis. Supple ergo, Unica autem utique eſt oratio, & nihil

nihil deficit, καὶ enim hic non copulat tantum, ſed fortiter negat: *quicunque dixerit, Korban, Deo devotum eſt a me, quod cupit, minime tenetur de eo honorare patrem aut matrem.* Cap. 16, 19 p. 80, 81. Callide hic ſervit ſuæ hypotheſi Noſter, δέειν καὶ λύειν exponens de pœnis infligendis & abſolvendis, tributis ligandis & ſolvendis. Huc refert mulierem vinculo Satanæ ligatam, ſed a Chriſto ſolutam, & Ananiam a Petro occiſum. Porro δέειν etiam eſſe, obligare ad obſequium legum, vinculo religionis, & abrogare vel ſolvere legem. Simile eſſe Apoc. III, 7. Atqui Piſcator etiam veſter, collato Joh. XX, 23. Matth. XVIII, 18, expoſuit de miniſterio Verbi & ſacramentorum, de clavibus remittendi & retinendi peccata, Apoſtolorum pariter & ſucceſſorum, de ſalute aut damnatione hominum pronunciantium. Lightfooto & aliis ſatisfecit D. Olearius h. l. p. 454 ſeq. Cap. 16, 26 *quid prodeſt homini*). Sententia hujus loci eſt, *inquit*, nihil vita eſſe pretioſius, nec jacturam ejus poſſe reparari. Nihil ergo hic de ſalute animæ, & exitio æterno. Rectius iterum Piſcator h. l. p. 389, 396. Cap. 17, 2 p. 84 *transformatus eſt coram illis*). Comparat munus Moſis cum munere Chriſti; hoc enim fuiſſe auguſtius munere Moſis; ideoque Chriſtum majori ſplendore hic coruſcaſſe. 2 Cor. III, 7, 8. Reſpondit pridem D. Olearius, agi hic non de officio Chriſti, nec de illius luce reflexa, ſed de luce Filio λόγῳ inſita, naturali & eſſentiali. Fuit enim ſplendor Patris ab æterno & ὁμοουσίως, cujus hic radios ſparſit. Paulus autem de miniſterio Apoſtolico loquitur magnifice & glorioſe, quia comparat cum ſplendore legis Moſaicæ. *p. 482 ad h. l.* Cap. 18, 6 p. 85 *qui ſcandalizat unum de puſillis, qui in me credunt*). Bene, quod Noſter præterit & omittit, puſillos credere. Comparat autem doctrinam hanc cœleſtem de ſcandalo cum verbis apoſtatæ Juliani, qui ſimiliter atrocitatem illius expreſſerit *Orat. 6.* Ergone uno ore locuti ſunt Chriſtus & Julianus? Neque vero mens Juliani erat harmonice loqui cum Chriſto. Sic enim ſemet ipſum ob atrocitatem facinorum ſuorum præcipitaſſet ſub terram decem millibus ulnarum. Deſcribit mores eorum philoſophorum, qui vere canes ſunt, procul autem eſt a conſideratione ſcandali. Affectabat laudem conſenſus Gentiliſmi

Digitized by Google

liſmi & Chriſtianiſmi in genere morum, & ad extra; ut deciperet incautos. Nulla ergo hic ſimilitudo rerum, ſed verborum aliqualis tantum. Cap. 19, 12 p. 88. *Sunt eunuchi, qui ſe ipſos*). Myſticum hunc Chriſti Eunuchiſmum exponere iterum dicit etiam Julianum Orat. V, ubi Matri Deum gratias agit apoſtata, quod eum juſſerit abſcindere, quæ in motibus naturalibus ſupervacanea ſunt & inutilia præſidi cauſæ animarum noſtrarum rationali. Captat itaque unicam voculam *ἀποκόφασθαι*. Atqui Julianus ipſe non cogitabat tunc de eunuchiſmo Chriſti imitando, ſed mero ſtudio æmulandi, Matrem Deum ejusque cultum tentabat opponere cœleſti Numini, & incrementis Chriſtianiſmi quodammodo obſtruere, ſeculo quarto anno 362, quo ſcripſit hanc Orationem. Confundimus ergo lumen cum tenebris, occaſione voculæ alicujus. Ibid. v. 17 p. 88. *Serva mandata*). Voluit reſpondere Gatakero, Græcam omnino eſſe phraſin hanc, *φυλάττειν* aut *τηρεῖν νόμον*, occurrere enim apud profanos de legibus urbis, de pactis & fœderibus. Pſochenius §. 60 dixerat, eandem phraſin ſacram Heſiodum ita expreſſiſſe, *perinde fere ac ſi Sacra Biblia inſpexiſſet*. Hic verum non eſt, negaſſe Gatakerum, ſimilia verba occurrere apud profanos, quorum loca ipſe protulit c. 17 f. 107. Urget autem, Pſochenium confundere phraſes cum ſenſibus. Nemo enim profanorum intellexit, quid ſit, ex intentione DEI, ſatisfacere legi divinæ. In eandem ergo incidit Noſter cenſuram, quoties exiſtimat, æque fere exprimere profanos ſenſum librorum ſacrorum ac ſi ſacra Biblia legiſſent & exhauſiſſent. Non enim exhauriunt, etiam qui inſpexiſſent. Cap. 22, 4 p. 99. *Ecce prandium meum paravi*). Mavult altilia *ſacrificata ſunt: venite ad reliquias* illius ſacrificii nuptialis. Nam Judæos in nuptiis Deo ſacrificaſſe, colligit ex Joſepho *Lib. 4 Antiqv. c. 8.* Et verba Joſephi reſpiciunt quidem ad prohibitionem ſacrificiorum, ex mercede proſtitutæ. Sed Deut. XXIII, 19 interdicitur genus votivum meretricis quodcunque. Neque apud Philonem libro *περὶ τȣ̃ μίσθωμα πόρνης*, veſtigium ſacrificii, aut etiam *περὶ θυόντων*, ſacrificii nuptialis. Claudicat ergo iſtud genus probationis. Agitur etiam hic de nuptiis regiis novi Fœderis. Cap 23, 23 p.

105 locum *Sap. II, 15* vertit, *præſtantior eſt & omnium oculos in ſe convertit.* Βλεπόμενος tamen forte eſt is, qui *cavendus improbis*, quem ferre non poſſunt; factus enim illis eſt ad redargutionem *v. 14.* Cap. 24, 13 p. 109. *perſeverans ſalvabitur.*) *Eandem*, inquit, *ſententiam* habet *Luciani* Hermotimus Tom. II. Habet ſane hunc verborum corticem initio dialogi: ſed ita eum confutat mox Lucianus, ut Hermotimus in fine promittat, poſtquam ei nebularum caligo diſcuſſa erat, ſe porro non ſecus evitaturum conſpectum philoſophi, quam rabioſum canem, & communem cum aliis vitam victurum. Cap. 25, 9 p. 115 *reſpondent prudentes*) *μήποτε.* Subaudit, *ὁρᾶτε*, aut *σκοπεῖτε.* Atqui id nec Act. V, 39 ſubaudiri neceſſe eſt. Antecedit enim, *non poteſtis.* Sunt, qui hoc loco geminatum *μὴ* obſervent quaſi ſcriptum eſſet, οὐ μὴ, nequaquam dabimus, *μήποτε οὐκ ἀρέσῃ.* Cap. 27, 24 p. 123. *Pilatus lavat manus*). Etſi *invitus Chriſtum tradidiſſet*, addit Noſter. Videbatur tamen ſibi non nihil labis inde contraxiſſe, *more gentis ſuæ*, quocunque tandem modo cædes commiſſa eſſet. Vide tamen Marc. XV, 15 *βουλόμενος*, & Luc. XXIII, 24 *ἐπέκρινε, γενέσθαι τὸ αἴτημα αὐτῶν.* Ibid. 54 p. 126 centurio colligebat, Jeſum fuiſſe Dei filium). Paganis enim vulgo Deorum filii habebantur, qui humana natura præſtantiores eſſent. Ita vero perit exemplum illuminationis & converſionis extraordinariæ: quod nollem in gratiam Bezæ; propter hoc quia nullus eſſet additus articulus, & *ἦν, erat*, i. e. eſſe deſiit. Nugæ. Cap. 28, 2 p. 127. Angelus Domini deſcendit). *Cauſa hujus terræ motus erat*, inquit, Angeli adventus: *quod etiam ſcivit Jamblichus: cum archangeli apparent, partes tantum quædam mundi commoventur.* Quod forte a Mathæo didiciſſe ſuſpicatur. A quo vero didicit, archangelum habere vel circa ſe vel ante ſe præeuntem, vel poſt ſe ſequentem multitudinem quandam, *πολὺ πλῆθος*; iterum enim c. 7 f. 48 *προπομποὺς ἀγγέλους παραβαλλομένων.* Angelos etiam & Archangelos diſerte diſtinguit Jamblichus utroque loco.

Nichtige Lebens-Vorurtheile der Welt-Kinder ꝛc.

h. e.

SECULI

SECULI MODERNI PRÆJUDICIA VItam concernentia ; Autore M. CAROLO GODOFREDO ENGELSCHALL, Concionatore Aulico & Regio Elect. Saxonico.

Lipſiæ, apud Auguſtum Martini, 1724, 8.
Alph. 3 plag. 15.

Quum præconceptæ de rebus fidem piamque vitam ſpectantibus opiniones corruptiſſimo hocce ſeculo peſtis inſtar ubique graſſentur, morbo huic ſi pro viribus mederi ſtuderet ſumme Reverendus Autor, operæ pretium facturus viſus eſt. Eo conſilio tres hactenus Tomos vulgarium in publicam lucem dedit Præjudiciorum; quibus jam quartum, laborem iſtum ſalutarem continuaturus ſeculique errores profligaturus, addit. Sufficiat in præſenti, ſingulorum, quæ hoc opuſculo comprehenduntur, Capitum argumenta breviter annotaſſe. Cap. I eos, qui hypocriſin vitiis annumerandam negantes, tantum non pro virtute maxime neceſſaria illam habent, aggreditur. Cap. II in ſummo omnino ſalutis periculo eos, qui hoſtilem, aut irreconciliabilem plane animum adverſus alios fovent, verſari, commonſtrat. Cap. III eos, qui duella homines nobili loco & genere natos imprimis decere ſibi perſuadent, ad ſaniorem revocat mentem. Cap. IV convellit eos, qui abſque graviſſimi peccati culpa perjurium committi poſſe putant. Cap. V turpitudinem libidinis & ſcortationis iis, qui eam negant, ob oculos ponit. Cap. VI jocandi licentiam conſtringit & deſtruit. Cap. VII ſequiorem Sexum, fuco haud raro faciem illinere ſolitum, caſtigat. Cap. VIII impudicis exponit feminis, quanti, quæ nudatis mammis publice incedunt, reæ ſint peccati. Cap. IX frequenti occurrit querelæ exiſtimantium, quæ a Miniſtris divini verbi officia Chriſtianiſmi exiguntur, dura nimium & obſervatu tantum non impoſſibilia eſſe. Cap. X falſam perſuaſionem, bona opera in externa cum divinis mandatis convenientia unice conſiſtere, deſtruit. Cap. XI æternæ vitæ prægustum inficiantes atque pro mero fallacis phantaſiæ ſomnio venditantes meliora docet. Cap. XII ebrietatis amatores defenſoresque graviſſimi ſceleris

Digitized by Google

leris arguit. Cap. XIII moderni ſeculi uſu receptas ſaltationes vitio minime carere diſſerit. Cap. XIV luxum veſtiarium ideo quod opibus abundant, pro licito reputantes quam maxime errare oſtendit. Cap. XV ſententiam illorum, qui ſuo arbitratu propriaque voluntate omnia metienda eſſe ſomniant, evertit. Cap. XVI eos, qui luſoriis chartis & aleis licere tempus fallere opinantur, refutat. Cap. XVII inſatiabiles gloriæ majoresque ſine omni moderatione honores conſectantes compeſcit. Cap. XVIII obviat iis, qui in tanta miſeriarum multitudine tranquillitatem animi ſervari poſſe negant. Cap. XIX vulgarem profligat opinionem, qua, ſine pietatis læſione ſcenicos ludos & ſpectacula frequentari poſſe, non pauci credunt. Cap. XX diligentem mortis recordationem minime, uti multi prætexunt, melancholicum reddere hominem, exponit. Cap. XXI haud fruſtra erogari eleemoſynas, contra ſecus ſentientes dat probatum. Cap. XXII auri ſacram famem & immoderatum opes corradendi ſtudium cum veræ pietatis ſtudio conſiſtere non poſſe, avaritiæ crimen defendentibus luculenter ob oculos ponit. Quamvis vero de omnibus pleriſque, quæ hic occurrunt, materiis multiplices jam Doctorum commentationes publice extent; minime tamen inſtitutum Clariſſimi Auctoris reprehendendum, ſed ſingulari potius laude mactandum videtur, qui ex præſtantiſſimis quibusque, antiquioris inprimis Eccleſiæ Patribus, Anglis præterea, Gallis, aliisque Scriptoribus, optima excerpſit & eleganti non minus, quam utili ratione propoſuit.

Errata Supplement. Tom. VIII Sect. XII.

Pag. 520 lin. 29 lege ἐκεῖ, *p. 521 l. 5* προνοίας, *l. 31* proſpiciendum, *p. 522 l. 12* exponit, alter, *l. ult.* eſſet, idem, *p. 525 l. 9* χρηστός, *l. 10* benignum: oppoſite, *l. 29* εὐθύνοντες, *p. 526 l. 27* pueri in faba, *p. 528 l. 23* inſita.

Nota.

Cum factum ſit negligentia Typographi, ut poſt p. 241 redeat p. 226 & hic numerus denuo continuetur, eas paginas, quæ in poſteriori numerorum ſerie a p. 226 ad p. 241 continantur, aſteriſco notavimus in Indicibus ſequentibus.

IN-

INDEX AUTORUM,

Quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recenſentur.

I Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Anonymi Ichnographia, ſive Deſcriptio vitæ & officii Epiſcopi. 222
Diſſertatio de tempore Eſtheris. 402
Monita ad Jac. Elsneri Matthæum. 519
Aſſemani (*Joſ. Simonii*) *Bibliotheca Orientalis Clementino-Vaticana. Tomus I.* 1
Balthaſaris (*Jac. Henr.*) *Prima Collectio ſcriptorum ad Hiſtoriam Pomeraniæ Eccleſiaſticam ſpectantium.* 501
Bambamii (*Hartw.*) *Obſervationum ſacrarum exegetic. Centuria, enthymemata Moſaica continens.* 496
Benvenuti (*Cæſaris*) *Vita S. Auguſtini.* 511
Bingham (*Joſephi*) *Origines Eccleſiaſticæ. Tomus VIII.* 145
Tomus X. 460
Bonanni (*Phil.*) *Hierarchia Eccleſiaſtica.* 345
S. Borromæi (*Caroli*) *Sermones familiares.* 16
Claudii (*Gothofr. Chriſtoph.*) *Hiſtoria Fratrum Sportulantium.* 496
Clementis XI *Pontif. Orationes Conſiſtoriales.* 97
Cremeri (*Bernh. Seb.*) *Prodromus Typicus ſeu Exercitationes Philol. Theol. in V. & N. Teſt. loca.* 8
S. Cyrilli *Opera, cura Ant. Auguſtini Touttée.* 193
Ditton (*Humphredi*) *Diſſ. de Reſurrectione Jeſu Chriſti.* 184
Engelſchall (*Car. Godofr.*) *Seculi moderni Præjudicia vitam concernentia.* 531
Fabricii (*Franc.*) *Chriſtus, unicum ac perpetuum fundamentum Eccleſiæ.* 330
Hearnii (*Th.*) *Textus Roffenſis & profeſſiones fidei veterum Angliæ Epiſcoporum.* 189
Hutteni (*Leonh.*) *Diſſ. de Antiquitatibus Oxonienſibus.* 189
D'Inguimbert (*Malachiæ*) *Specimen Catholicæ Veritatis, cui Athei &c. velamina prætendere nituntur.* 493
Kohlii (*Jo. Petr.*) *Eccleſia Græca Lutheranizans.* 500
Lewis (*Jo.*) *vita Johannis Wicliffi.* 205

Lœſcheri (*Val. Ern.*) *Stromateus, ſeu Diſſertationes ſacri & litterarii argumenti.* 595
Mangey (*Thomæ*) *Animadverſiones in Tolandi Nazarenum.* 107
Comitis a Nottingham *Reſponſio ad Whiſtoni Epiſtolam de æternitate Filii Dei & Spiritus S.* 92
Outhovii (*G.*) *Judicia Jehovæ Zebaoth, ſeu Bellum divinum, quo petit Deus peccatores &c.* 214
Du-Pin (*Ludov. El.*) *Hiſtoria Concilii Tridentini.* 19
Staphorſtii (*Nic.*) *Hiſtoria Eccleſiæ Hamburgenſis diplomatica.* 593
Sterringæ (*Julii*) *Obſervationes in Pentateuchum.* 213
Le Vaſſeur (*Mich.*) *Defenſio Religionis Catholicæ contra omnes, quotquot habet, hoſtes.* 272
Zahn (*Adami*) *disquiſitio de loco animæ ſeu mentis a corpore penitus ſeparatæ.* 115

II. Libri Juridici.

Branchu (*Balth.*) *Notata ad Chriſtfr. Wachtleri excerptum ex ejusdem Obſervat. ad Jus Romanum.* 161
Buderi (*Chriſtiani Gottlieb*) *Opuſcula ſelecta JCtorum de ratione & methodo ſtudiorum Juris.* 421
Heineccii (*Jo. Gottl.*) *Antiquitatum Romanam Jurisprudentiam illuſtrantium Syntagma.* 513
Maſcou (*Gotofredi*) *Exerc. de Sectis Sabinianorum & Proculianorum in Jure Civili.* 425
Della Molara (*Jo. degli Annibali*) *& alior. Statuta Collegii Agriculturæ urbis Romæ, cum Obſerv. Bullis, Deciſ. & Decretis Rotæ Rom.* 232*
Strauchii (*Jo.*) *Vitæ aliquot veterum JCtorum.* 419
Taiſand (*Petr.*) *Vitæ Jure-Conſultorum.* 417
Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *Reſponſio ad Notata Balthaſaris Branchu.* 169

III. Libri Medici & Phyſici.

Academiæ Regiæ Scientiarum Hiſtoria Anni 1719, cum Com. Mathem. & Phyſ. 456
Blair (*Patrick*) *Tentanima Botanica.* 45
Bœrhaave (*Hermanni*) *Inſtitutiones Medicæ.* 264
Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis morbis. 264
Libellus de materia Medica & remediorum formulis. 264

Camuſi

Camuſii *Tract. de viribus motricibus.* 430
Coſchwiz (*Georg. Dan.*) *Obſervatio de valvulis in ureteribus repertis.* 263
Jurin (*Jac.*) *Invitatio ad Obſervationes Meteorologicas communi conſilio inſtituendas.* 389
Ruyſchii (*Frederici*) *Adverſariorum Anatomico-Medico-Chirurgicorum Decas I, II & III.* 369

IV. Mathematici.

Academiæ Regiæ Scientiarum Hiſtoria Anni 1719, cum Comm. Mathem. & Phyſicis. 465
Anonymi Angli Reſponſio ad Jo. Bernoulli Animadverſ. in ſolutionem Problematis cujusdam. 40
Solutio Problematis de Curvis inveniendis, quæ quadam ratione in ſitu inverſo diſpoſitæ ſe interſecare poſſunt in angulo dato. 234
Epiſtola ad Amicum de Coteſii Inventis, Curvarum ratione, quæ cum Circulo & Hyperbola comparationem admittunt. 438
Novus practico-Geometricus Cyclomaliſmus, ſive Quadratura circuli Arithmetico-Geometrice demonſtrata. 436
Apollonii *de Sectionibus Coni doctrina in compendium redacta a Guidone* Grandi. 434
Bernoulli (*Dan.*) *Notata in Jac. Riccati Animadv. in æquationes differentiales ſecundi gradus.* 73
(*Nicolai*) *Animadverſiones ad J. Hermanni ſolutionem duorum problematum Geometr. ab ipſo propoſitorum, & Communicatio Methodi Curvas inveniendi Algebraicas indefinite non quadrabiles &c.* 372
Burcardi (*Joannis*) *modeſta & ſeria Reſponſio ad literas Brook Taylori.* 219
Camuſii *Tr. de Viribus motricibus.* 430
Crouzas *Commentarius in Analyſin infinite parvorum.* 262
Com. de Fagnanis (*Julii Caroli*) *Solutio Problematis ad calculum integralem pertinentis & defenſio contra N. Bernoullum.* 75
C. G. i. e. Goldbach (*Chr.*) *Demonſtratio Theorematis Fermatiani, nullum numerum triangularem præter* 1 *eſſe quadrato-quadratum.* 483
Grandis (*Guidonis*) *doctrina Apollonii de ſectionibus Coni in compendium redacta.* 434

Hanſen

Hauſen (*Chriſtiani Aug.*) *Phænomena tranſitus Penumbræ & Umbræ plenæ ſupra Tellurem, in Novilunio Menſis Maji d. 22 Maj. 1724.* 333
Jurin (*Jac.*) *Invitatio ad Obſervationes Meteorologicas communi conſilio inſtituendas.* 389
Riccati (*Jac.*) *Animadverſiones in æquationes differentiales ſecundi gradus.* 66
Richteri (*G. Frid.*) *Diſquiſitio de iis, quæ Opticæ Neutonianæ oppoſuit Jo. Rizzettus.* 226
de Schediaſmate Rizzettiano Monitum. 488
Rizzetti (*Jo.*) *de ſyſtemate Opticæ Newtoniano & de aberratione radiorum in humore cryſtallino refractorum.* 127
ejusdem Diſſert. exemplaris novi excerpta. 234
Epiſtolæ ad Socios Societ. Regiæ Londin. excerpta. 236
Reſponſio ſuper Diſquiſ. G. Frid. Richteri. 303
Appendix ad Reſponſionem hanc. 394
Reſponſio ad G. Fr. Richterum de Optica Newtoniana. 484
Santini (*Vinc.*) *Coni Sectiones nova ratione in plano a Circulo deductæ &c.* 431
Sturmii (*Jo. Chriſtoph.*) *Demonſtratio vanitatis Aſtrologiæ divinatricis.* 91
Verzaliæ (*Joſephi*) *Epiſtola altera ad Geometriæ & Philoſophiæ Profeſſores & Studioſos.* 442

V. Hiſtorici, Geographici.

Alnandri (*Joh.*) *Hiſtoriola Artis Typographicæ in Suecia.* 506
Anonymi (*N.*) *Deſcriptio Itinerum ad littora Guineæ & in Americam inſtitutorum.* 36
(*de V.*) *Iter in Inſulam Madagaſcar.* 366
Diſſertatio de tempore Eſtheris. 402
Apronii (*Auli*) *i. e. Adami* Eberti *iter per Germaniam, Belgium, Angliam, Galliam, Italiam & Siciliam.* 361
Baillet (*Adr.*) *Hiſtoria diſcordiarum inter Bonifacium VIII & Philippum Pulcrum G. R.* 54
Careri *vide* Gemelli.
Chalonii *Hiſtoria Galliæ. Tomi III.* 49
Corealis (*Fr.*) *Itinera in Indiam Occidentalem.* 266
Ebertus (*Adam.*) *vide* Apronius.
Gemelli Careri (*Jo. Franc.*) *Periegeſis, vel Iter per univerſum Orbem.* 294

Le Gendre (*Lud.*) *Vita Franciſci de Harlai.* 59
Hearnii (*Th.*) *Collectio Diſſertationum a celeberrimis Antiquariis de ſelectis Antiquitatum Anglicarum capitibus conſcriptarum.* 325
Ladoire (*Marcelli*) *Iter in Terram S. factum A.* 1719. 22
Lucæ (*Pauli*) *Iter tertium A.* 1719 *ſuſceptum. Tomi III.* 30
Magni, *Regis Norvagiæ, Teſtamentum.* 320
Maittaire (*Mich.*) *Annales Typographici. Tomus II.* 104
Narborough *Iter ad Mare pacificum.* 266
Du Quesne *Iter in Indiam Or. ab A.* 1690 *ad* 1691. *Tomi III.* 25
Raleigh (*Walteri*) *Relatio de Guiana.* 266
Salvini (*Salvini*) *Faſti Conſulares Academiæ Florentinæ.* 348
Schœpflini (*Jo. Dan.*) *Antiquitates Alemannicæ.* 422
Shœttgenii (*Chriſtiani*) *Hiſtoria Bibliopolaram antiqui & medii ævi.* 508
Strauchii (*Jo.*) *Vitæ aliquot veterum JCtorum.* 419
Taiſand (*Petri*) *Vitæ Jure-Conſultorum.* 417
Zorzi (*Mich. Ang.*) *Vita Comitis Camilli de Silveſtris.* 398

VI Libri Miſcellanei.

Anon. Carmina illuſtrium Poetarum Italorum. Tom. I-VIII. 192
Tomus IX. 272
Diſſertationes ex Academiæ Regiæ Inſcriptionum & literarum human. ſcriniis depromptæ ab A. 1711 *ad* 1717. *Tomus IV.* 447
Barrocii (*Petri*) *& aliorum Venetorum Orationes.* 20
Barzizii (*Gaſparini & Guinoforti*) *Opera, ex ed. Joſ. Alex. Furietti.* 456
Buchanani (*Georgii*) *Opera omnia.* [illegible]
Cacciæ (*Ferdin.*) *de Cognitionibus Liber unus.* 188
Guntheri (*Gotthard*) *Schediaſma de anima.* 142
Lœſcheri (*Val. Ern.*) *Stromateus, ſeu Diſſertationes Sacri & Litterarii argumenti.* 505
Co[illegible] Magalotti (*Laur.*) *Epiſtolæ ad Familiares.* 284
Moſeri (*Jo. Jac.*) *Bibliotheca Manuſcriptorum.* 190
Petrarchæ (*Franciſci*) *Poemata.* 512
Ridigeri (*Andreæ*) *Philoſophia Pragmatica.* 241
S. (*J. C.*) *i. e.* Schwarzii (*Jo. Conr.*) *Emendationes quædam Jamblichi de vita Pythagoræ.* 356
Severi Sancti *i. e.* Endeleichi *de Mortibus boum Carmen, cum notis Var.* 214

Digitized by Google

Valerii (*Auguſtini*) *Opuſculum de cautione adhibenda in edendis libris.* 29
Vita Bernardi Naugerii. 20
Vitriarii (*M. J.*) *ulterior deductio ac explanatio ſtatus animæ ſeparatæ poſt mortem, pro illuſtranda Hiſtoria Lazari.* 179
Urſati (*Sertorii*) *Marmora erudita, cum notis Jo. Ant. Urſati.* 150
Wolfii (*Chriſtiani*) *Meditationes Metaphyſicæ de Deo, Mundo & Anima.* 38
Zahn (*Adami*) *Diſquiſitio de loco animæ ſeu mentis a corpore penitus ſeparatæ.* 115

INDEX RERUM
Notabiliorum
in hoc Volumine contentarum.

ABaſſonii, *Pſeudo-Principis Perſarum, ſupplicium* 32
Abd Jeſu, *Scriptor Syrus.* 6
Abgar, *prænomen omnium Toparcharum Edeſſæ.* 7
Abgari *Epiſtola ad Chriſtum, genuina.* 8
Abgarus, *Rex Edeſſæ, ſcriptor Syrus.* 7
Abſalon *ubi ſe ſuſpenderit?* 23
Abſamias, *Scriptor Syrus.* 3
Abſolutio *peccatorum in quo conſiſtat?* 148
quotuplex? 149
publica ut olim facta? 149
quo ſenſu admittenda? 149
cum baptiſmo comparata. 149
Abſolutionis *neceſſitas.* 150
S. Acacius, *Scriptor Syrus.* 4
Academia *Mexicana.* 302
Academiæ *Florentinæ Faſti Conſulares.* 348
Inflammatorum Patavii Autor. 350
Acapulcæ, *urbis, deſcriptio.* 301
Acciſa *commendata.* 231*
Actionum *licitarum principium.* 228*
Acus *Magneticæ declinatio.* 467
Adabi Arzunita (*Eſ.*) *Scriptor Syrus.* 3
ᾍδης, *vox, quid notet?* 180
De Advocatis *literatoribus Epiſtola.* 505
Ædilium *Curulium officium.* 232*
Ægypti *mappa Geogr. nova.* 33
exportanda quænam? 35
terra num continuo augmenta capiat verſus Septentrionem? 36

Ex

INDEX RERUM.

Ex Ægypto *cur exigui ad Turcas reditus?* 34

Ægyptiorum *veterum & modernorum morum parallelismus.* 35

Æquationum *differentialium ſecundi gradus conſtructio.* 67 ſſ.

Æs *a quo primum ſignatum?* 518

De Æternitate *Oratio.* 28

Æther *rarior aere in vacuo antliæ pneumaticæ.* 474

Agriculturæ *Collegii Rom. ſtatuta.* 232*

inſtitutio. 233*

Alberti Auſtr. *Imp. electionem cur nullam dixerit Bonifacius VIII?* 56

De Albizio (*Ant.*) *varia.* 352

Alcoranus *cur tanto plauſu exceptus?* 294

Alemanniæ *ambitus, nomen, origo, pagi.* 423

jura, lingua, bella. 424

oppreſſio. 425

Alemannicæ *Antiquitates.* 422

Alexandri VI *Pont. vita impia.* 53

Ad Almanzam *cladis cauſa.* 303

Altarium *uſus num vetuſtus?* 347

Altitudinum *ſideralium phænomenon ſingulare.* 472

Altranſtadenſia *pacta a Pont. Clemente XI rejecta.* 101

Alvi *per vulvam exoneratio.* 468

Ab Amalekitis *orti Inſulæ Madagaſcar incolæ.* 28

Amantis *jusjurandum, perjurium.* 458

Amantibus *pejerare licet.* 458

De Amantibus *quid veteres crediderint? Diſſ.* 453

Amelot *v. de la* Houſſaie.

Amira (*Georg.*) *Scriptor Syrus.* 6

In Amplificatione *quid obſervandum?* 458

De Ampulla *Rhemenſi narratio, falſa.* 50

Anachoretarum *cavernæ montanæ.* 34

Analyſeos *Infinitorum Hoſpitalianæ nodi.* 262

Analyſium *Chymicorum vulgarium inutilitas.* 470

Analyticæ *controverſiæ.* 73. 75 ſſ.

Anatomiæ *comparatæ utilitas.* 372

Anglia *a quo in Comitatus diviſa?* 326

ut olim generatim diviſa? 327

Angliæ *urbs omnium antiquiſſima.* 327

De Angliæ *diviſione in* Shires *Diſſ. variæ.* 326

menſuris terræ variis Diſſ. variæ. 327

Fecialibus Diſſ. variæ. 327

Anglorum *in convertendis gentilibus ſtudium laudatum.* 30

in corradendis vetuſtis librorum editionibus ſtudium nimium. 105. 106

Anima *unde & quando generetur?* 143

quando pereat abortu? 143

Digitized by Google

Anima, *per corpus beatitudinis capax.* 230*
ſeparata cur neque in melius neque in deterius mutari poſſit? 230*
Animæ *humanæ immortalitas demonſtrata.* 229* 290. 495
pars inferior & ſuperior aſſerta. 291
per aera volitantes. 291
De Animæ *ſeparatæ loco Diſſ.* 115. 179
excerptum ex Joſepho. 330
De Anima, *qua ortum concernit, Diſſ.* 142
Ab Anima *mundi facilis ad Deum tranſitus.* 286
Anni *initium apud Chinenſes.* 300
ut celebretur in China? 300
Ex Annulo *circa Lunam quid augurentur incolæ Inſ. Madagaſcar?* 368
Ano *clauſo urina per vulvam reddita.* 468
Anomaliæ *coæquatæ ex media determinatio directa in hypotheſi Kepleri.* 472. 473
Anthropophagi *Indi hoſtes ſuos devorant.* 269
Antiquarii, *deſcriptores librorum.* 510
Antiquariorum *Societas ſub Eliſabetha & Jacobo I R. A* 326
in Suecia a quo fundata? 507
Antiquitatum *Rom. Juriſprudentiam illuſtrantium Syntagma.* 513
De Antiquitatum *forenſium corpore Epiſtola.* 505
Antonii Ulrici *D. Br. ad Pontificios tranſitus ut Cardinalibus nuntiatus a Clemente XI?* 100
mors ab eodem ut nuntiata? 102
Aphonia *tempore fluxus menſtrui.* 468
infuſione vulnerariorum curata. 469
Apoſtolæa *quid ſint?* 462
Apoſtoli *per Sacerdotes V. T. delineati.* 13
requiſita & officia. 13
Apronius (*Aul.*) *eſt Ad.* Ebertus. 361
Aprenticii, *quinam in Anglia?* 328
In Aqua *ſuffocatorum anatome.* 467
Ararath, *montis, conditio.* 296
Architectonica *ſcientia, nova.* 39
Arcus *ex Tangente determinatio per analyſin communem.* 471
Argentorati *olim celebritas.* 424
nomen unde? 425
Ariſtophanis *Comœdia* de Avibus *Præf. Gallica.* 453
Ariſtotelis *fata.* 288
libri cur damnati? 288
pro Cabbala habiti. 288
Armamentarium *Britannicum quis primus inſtruxerit?* 328
Aſcenſiones *rectæ per inſtrumentum obſervandæ.* 475

Affich

Aſſach *quid ſit Britannis?* 330
Aſſverus, *num nomen omnibus Perſiæ Regibus commune?* 404. 416
Eſtheris maritus, quis? 405 ſſ.
& Cambyſes, idem. 408
Aſymtotiſmus *parabolarum congruentium.* 432
Athei *quotuplices?* 274. 284
ſpeculativi non dantur. 274
num multi dentur? 285
perverſi exemplum. 292
refutati. 274. ſſ. 494 ſſ.
ultra dubitationem non aſcendunt. 494
Atheiſmus *e quibus fontibus propullulet?* 284. 285
Aves *ex foliis arborum transformatæ.* 300 ſq.
S. Auguſtinus *defenſus.* 112
S. Auguſtini *Operum editio Pariſ. a quo promota?* 64
editio prima. 512
Vita, Italice ſcripta. 511
Avium *mons in Ægypto.* 35
Auroræ *borealis obſervationes.* 465
Autor *an idem qui poſſeſſor?* 517

De BAdenſi *pace judicium Clementis XI Pont.* 102
Baillet (*Adr.*) *laudatus.* 54
Balæus, *ſcriptor Syrus.* 3
Balſamum *Arabicum quotuplex?* 35
primæ guttæ ſoli Imperatori Turc. ſervatur. 35
Banjanum *gentilium ſuperſtitio.* 297. 298
S. Baradatus, *ſcriptor Syrus.* 4
Baraze (*Cypriani*) *vita.* 271
Barbayraci (*Jo.*) *Or. de ſtudio juris recte inſtituendo, it. de conjungenda Hiſtoria cum Jure.* 422
Barbi (*Pauli*) *Or. ad Ludovicum XI R. Gall.* 22
Bardi *apud Anglos quot modis diſtincti?* 329
Bargæi (*Petri Angelii*) *vita.* 352 ſq.
S. Barnabæ *Epiſtolæ num genuinæ?* 108. 109
De S. Barnabæ *Evangelio fabula unde orta?* 108
Baro, *nomen, unde derivetur?* 329
Barometri *conſtructio.* 391
phænomena explicata. 390
Barometrici *tubi diameter quanta eſſe debeat?* 391
Barſabei (*Simeon*) *unde dictus?* 2
Barzizii (*Gasparini*) *vita.* 456 ſſ.
Baſilici *Interpretes illuſtrati.* 162. 169
Bathſeba *qua piſcina ſe lavaverit?* 23
Beccatelli (*Lud.*) *vita Fr. Petrarchæ.* 512
De Beliſarii *fato fabula.* 51
Benivenius (*Laur.*) *Literator felix.* 349
Bergeri (*Jo. Henr.*) *Manuductio ad ſtudium Juris.* 422
Sub Beſtiæ *Apocalypticæ ſchemate repræſentatus Lacus Mexicanus.* 302
Bethlehemi *deſcriptio.* 24

Bibliator *quis?* 510
Bibliopolæ *Hebræorum.* 508
Romanorum quinam? 509
ubi tabernas ſuas habuerint? 509
Bibliopolarum *antiqui & medii ævi Hiſtoria.* 508
Græcorum nomen & officium. 509
Bibliotheca *Ambroſiana Mediolani a quo fundata?* 17
Politica. 230*
Bibliothecæ *Fr. Bonciani inſcriptio.* 355
Vinc. Capponi inſcriptio. 356
Suecicæ commendata. 506
Binghami (*Joſ.*) *Antiquitatum Eccl. Compendium.* 460
verſio latina promiſſa. 464
De Blackmorii (*A.*) *Eccl. primitivæ Notitia judicium.* 460
Boleniæ (*Annæ*) *ſecuri an gladio caput amputatum?* 362
Bombardarum *phænomenon ſingulare.* 466
Bombarum *ex navibus projectio.* 480
Bonciani (*Fr.*) *Bibliothecæ inſcriptio.* 355
Bonifacii VIII. *Pont. conſilium de dominatu in Principes.* 55
faſtur. 56
in Philippum Pulcrum G. R. ferocia. 56
captivitas & fames. 57
liberatio & deſperatio. 57
mors. 58
Bonifacii VIII. *innocentia duello probanda.* 59
De Bourdaloue, *Orator ſacer, laudatus.* 65
Borromæi (*Card.*) *laudes.* 16. 19
obitus & legatum. 19
Botanica *tentamina.* 45
Botanicæ *promotio.* 470
Braminis *uxoris vivicomburium.* 28
Branchu (*B.*) *defenſus.* 516
Britanniæ Minoris *lingua a Gallica communi diverſa.* 364
Brunechildis *character & ſupplicium.* 51
Bruti (*Steph. Jun.*) *Vindiciæ contra Tyrannos, Buchanano falſo adſcriptæ.* 324
Buchananus (*Ge.*) *accuſatus & defenſus.* 322 ſſ.
Buchanani (*Ge.*) *vita ab ipſo ſcripta.* 324
Buchſtab, *vox, unde dicta?* 506
Budenſis *obſidio altera.* 302
Bufo *intra ulmum repertus.* 468
Burnetus (*Thomas*) *laudatus.* 288

CAbiri *Dii, Jovis filii.* 400
Cadaverum *ſectionum utilitas.* 372
Calculus *renum cur non ſemper dolores excitet enormes?* 263
Calligraphia *a Baſilio M. deſcripta.* 510
Caloris *æſtivi cauſa.* 465
ad frigus hibernum ratio. 466
Calvinianorum *errores.* 281
Cambyſis *regni duplex æra.* 413
Camdeni (*Wilh.*) *Teſtamentum.* 330

Cameratius *annonæ.* 233*
Campanella *torturæ ſubjectus.* 304
Canadæ *incolæ cur averſentur Jeſuitas?* 29
Canarinum *templum an ab Alexandro M. conditum?* 298
Cancellarius, *unde derivetur?* 329
quis primus in Anglia? 329
Capaſulis (*Sam.*) *ejuratio fidei Græcæ.* 101
Capelli (*Car.*) *Or. in funere Georgii Cornelii.* 22
Capitonis (*Ateji*) *in Jure ſecta.* 427 ſſ.
Capiati *quinam?* 463
Capponi (*Vinc.*) *Bibliothecæ inſcriptio.* 356
Cardinalitiæ *dignitatis abdicatio quibus ceremoniis fiat?* 100
Cardinalium *veſtitus origo.* 348
Caroli V *Imp. character & elogium.* 53
Caroli XII *R. Suec. artes in devinciendis Turcis.* 33
CAROLUM VI *Imp. qua conditione pro Rege Hiſp. agnoverit Clemens XI?* 100
Carteſius (*Ren.*) *in dioptricis notatus.* 133
Carteſii (*Ren.*) *demonſtratio Dei everſa.* 494
Carteſiani *exploſi.* 291
Cartilagines *habent vaſa ſanguinea.* 372
Cartilaginum *ſemilunarium uſus ſingularis.* 469
Caſtrum *unde dictum?* 328
Caſui *an univerſa adſcribenda?* 291
Catharinæ Mediceæ *ambitio.* 53
Ceraſa *præmatura magni pretii.* 366
Cercopithecus *proxime accedit ad rationis uſum.* 27
Cerules *quinam?* 232*
Chacarillæ *uſus.* 470
Charondas (*Lud.*) *notatus.* 429
Chemnitius (*Mart.*) *laudatus.* 499
Cherburii *Vita Henrici VIII R. A. Latine verſa.* 364
In China *num ſcorta publica.* 299
omnibus libertas permiſſa Chriſtianiſmum amplectendi. 300
Chinenſes *unum ſolum Deum agnoſcunt.* 299
Chriſtinæ *R. Suec. de tranſitu Iſraelitarum per mare rubrum ſententia.* 365
Chriſtus *quo loco cæcum ſanaverit?* 23
S. Cœnam celebraverit? 23
num creatura? 93 ſſ.
unicum ac perpetuum Eccl. fundamentum. 330
qua veſte indutus inſtituerit S. Cœnam? 346
Chriſti *Annales cur nulli poſt Evang. Johannis?* 9
Divinitas probata. 93. 96. ſſ.
generatio ab æterno probata. 95
æternitas qualis in Scriptura? 95
genealogia apud Matth. vindicata. 109

Chriſti

Chriſti *ſepulcri deſcriptio.* 201
Corporis Feſtum ridicule celebratum. 266
effigies. 346
eunuchiſmus myſticus. 529
miraculorum ratio. 275 ſq.
De Chriſti *reſurrectione Diſſ.* 184
In Chriſtum *blaſphemiæ Atheorum refutatæ.* 293
De Chriſto *teſtimonium Joſephi vindicatum.* 189
Chriſtianæ *religionis natura.* 185
veritas e miraculis probata. 274 ſq.
Chriſtiani *reliquis aptiores ad officia pietatis.* 186
Chriſtianiſſimi *titulus quando Galliæ Regibus tribui cœptus?* 52
Chronologia *Ægypti ut emendanda?* 35
Mexicana curioſe repræſentata. 301
Chylus *per attractionem ad vaſa lactea ducitur.* 371
Chyli *color per glandulas meſenterii tranſeuntis.* 372
Chylificatio *non fit per triturationem.* 468
fit per fermentationem. 468
Chymicarum *analyſium vulgarium inutilitas.* 430
Cibi *digeſtio per fermentationem aſſerta.* 468
Cicero *illuſtratus.* 106. 107
Ciceronis *Opera a quo detecta?* 454
Circuli *quadratura ſpuria.* 436
arithmetica Leibnitiana ad praxin inutilis. 471
peripheria in fractionibus decimalibus definita. ib.
Circumcidendi *praxis diverſa Pauli Apoſtoli.* 112
Cirſocele *male vocantur varices vaſorum ſpermaticorum.* 371
Clemens V *Pont. quibus conditionibus a Rege Galliæ ad Pontificatum evectus?* 58
conditiones has non implevit. 59
XI Pont. qua conditione Carolum VI pro Rege Hiſp. agnoverit? 100
Clementis XI *Pont. imago in ejus Orat. Conſiſt. conſpicua.* 97
Orationes Conſiſt. num omnes vulgatæ? 104
Cleopatræ *columna.* 33
Clerici *num lucri cauſa actus quosdam ſeculares ad ſe rapuerint?* 400
Ex Clerico *ut fiat Laicus?* 146
Clerogamiæ *hiſtoria.* 144
Clodovæi *I R. Fr. vitia.* 51
II facta laudata aut improbata. 51
Cochlearis *antiqui deſcriptio.* 399
uſus duplex. 399
Cœlibatus *honor apud veteres.* 452
Cœmeteria *quando conſecrari cœpta?* 462
*S.*Cœnam *quo loco Chriſtus inſtituerit?* 23

S. Cœnam *qua veſte indutus Chriſtus inſtituerit?* 346
De S. Cœna *ſententia Jo. Wicliffi.* 211
Colbertus *mercaturæ in juventute deditus.* 363
Colorum *theoria Newtoniana impugnata.* 128, 237, 304, 305, 394, 484
defenſa & vindicata. 227, 304. 488. ſſ.
De Columba *Rhemenſi fabula.* 50
In Coluthum *de raptu Helenæ Annotata.* 505
Cometas *perhorreſcunt Indi.* 269
Communio *Eccl. ſtrictiori ſenſu quid?* 145
peregrina Clericorum in quo conſiſtat? 146
Comœdiæ *defenſor mulctatus.* 64
Compoſitio *orationis in quo conſiſtat?* 457. 458
A Concubitu *abſtinendum pœnitentibus.* 147
Confeſſio *auricularis ab exomologeſi differt.* 147
Conſtantinus, *Scriptor Syrus.* 5
Conſulum *Collegii Agriculturæ officium.* 233*
Contareni (*Petr.*) *Or. in funere M. Cornelii.* 22
In Controverſiis *Theologicis modus ſervandus.* 505
Cor *circa diaphragma depreſſum eſt.* 370
corruptum ſupprimit animæ manſuetudinem. 526
Cordis *vena coronaria ſanguinem ex parte in ventriculum dextrum infundit.* 370
Corporis *humani partium mutilatarum reparatio.* 467
Coſmas, *ſcriptor Syrus.* 4
Coteſii *inventa ex Newtonianis inducta.* 433. ſſ.
In Coxæ *acetabulo membranæ vaſa ſanguinea delineata.* 370
In Creationis *hiſtoria Moſaica quænam obſervanda?* 287
Creſcimbeni (*Jo. Mar.*) *notæ in Petrarchæ Carmina.* 512
Crocodilorum *cum Caimannis bella perpetua.* 27
In Cromwellum *ſatyræ.* 363
S. Crucis *Templi Hieroſolymitani deſcriptio.* 203
Crucius (*Lud.*) *notatus.* 322
Cryptarum *prope Romam olim uſus.* 346
Cuchitæ *unde dicti?* 7
quotuplices? 7
Cucumerum *agreſtium vis purgans.* 469
Curiæ *tradi, quid ſit?* 146
Currus *a ſuibus tracti.* 366
Q. Curtius *notatus.* 449
Curvæ *exſtructio, cujus æquatio $X^m\, ddx - ddy$.* 67
algebraica indefinite inquadrabilis ſpatia qualibet quadrabilia habens. 380. ſſ.
Curvarum *conſtructio, quæ quadam ratione in ſitu inverſo diſpoſitæ ſe interſecare poſſunt in angulo dato.* 234 ſſ.*
quadratura, quarum ordinatæ habent denominatores trinomios & quadrinomios. 444

Curvarum *irrationalium ad rationales reductio promota.* 440
Cuticula *ut a cute ſeparanda?* 372
non habet vaſa ſanguinea. 372
Cutis *non habet glandulas.* 370
Cycloidis *proprietas.* 42
S. Cyrilli *Operum editiones recenſitæ.* 194
vita & ſcripta. 203. 204
loca emendata. 198. ſſ.
locutiones Neſtorianæ excuſatæ. 202
In Cyropædiam *Xenophontis Obſervationes Geogr.* 453

DAizan, *i.e. Saltator, fluvius prope Edeſſam.* 7
Damæ *columbis Noachicis ſubſtitutæ.* 268
Dantis, *Poetæ Itali, icon & autoritas.* 349
Decanatus *Collegii Cardinalium cuinam competat?* 103
Dedicationes *librorum quibus olim factæ?* 21
Definitio *cauſalis quænam?* 227*
Deiſmus *unde oriatur?* 185. ſſ.
refutatus. 274. ſſ.
Delta, *num integrum Nili opus?* 35
Devotiones *Romanorum pro patria.* 452
Deus *omnia nudo voluntatis ſuæ actu produxit.* 289
unus ſolus a Chinenſibus agnitus. 299
Dei *gratia cum Sole comparata.* 28
Dei *deſcriptio ex mente Platonis & aliorum.* 59
judicia expenſa. 215
exercitus quinam? 215
arma. 215 ſſ.
nomina Hebraica expenſa. 216
exiſtentia ex motu probata. 228*
demonſtrata. 274 ſſ. 284. ſſ. 290. ſſ. 494
eſſentia ſenſibus impenetrabilis. 285
notio ut acquiratur? 286
fraude introduci non potuit. 286
cognitio, fidei præmium. 293
providentia defenſa. 494
Deorum *filii quinam dicti paganis?* 530
Diarium *meteorologicum ut inſtituendum?* 391. 392
Diei *Dominicæ cultus ſanctus in Anglia.* 362
Digeſtio *cibi per fermentationem aſſerta.* 468
Dignitates *quot gradibus in Anglia diſtinctæ?* 330
Diluvii *notitia apud Indos.* 268
Dinantii, *Philoſophi, error.* 288
Dioptricæ *communis defectus.* 132. 133. 138
Diſciplinæ *veteris Eccl. rigor.* 148
poteſtas penes quos? 149
De Diſciplina *Eccl. Commentatio.* 145. ſſ.
Diſtain, *quid ſit Britannis?* 330
Diviſiones *e Matheſi exulant.* 226

Digitized by Google

Diviſores *rationales ut inveniantur fractionibus rationalibus cum denominatoribus binomiis?* 440
Doctrinarii *a quo inſtituti?* 65
Dominii *definitio.* 228*
Domus *in Perſia omnes ejusdem ſtructuræ.* 296
Druidum *nomen & officium.* 329
Dualiſtæ *quinam ſint?* 39
Dupinius *vide* Pinius.

EBionitæ *unde dicti?* 110
quos errores foverint? 111
Eccleſia *Catholica an poſſit fallere?* 280
Eccleſiæ *Græca & Romana conſenſus.* 347
primitivæ Notitia. 460
Eclipſis *Lunæ obſervata.* 475
Eclipſes *ſimiles quænam?* 434
concentricæ quænam? 434
Edeſſa *urbs quibus nominibus appellata?* 7
Edeſſeni *Chronici Autor, Syrus.* 5
Eduardus III *R. A. vindicatus.* 213
De Educatione *liberorum cogitata.* 230*
Effeſtucare *prædium, quid?* 515 ſq.
Egoiſtæ, *quinam ſint?* 39
Eleemoſynæ *pro mortuis datæ.* 463
Eleemoſynas *in Gallia colligunt virgines nobiles ſplendide ornatæ.* 363
Elias, *Scriptor Syrus.* 6
In Eliſabethæ *A. R. epitaphio virginitatis mentio nulla.* 362
Ellipſeos *ope circuli conſtructio.* 433
Eloquentiæ *extemporaneæ ſpecimen.* 63
Elſneri (*Jac.*) *Comm. in Matthæum examinatus.* 520 ſſ.
Emboli *antliarum facillime agitandi.* 431
Embryo *quando mortuus, ſigna incerta.* 371
De Empedocle *varia.* 365
Endeleichius *emendatus.* 218
Enochi *vaticinia, in Epiſt. Judæ memorata, unde hauſta?* 332
Enthuſiaſmi *Philoſophici hiſtoria.* 505
S. Ephremus, *Scriptor Syrus.* 3
Epiſcopus *quæ vitia fugere debeat?* 224
ut ſe habere debeat? 224 ſſ.
Epiſcopi *zelus qualis eſſe debeat?* 225
prudentia qualis eſſe debeat? 225
De Epiſcopi *vita & officio Tract.* 222
Epiſcopos *creandi poteſtas olim Galliæ Regibus libera.* 51
Epitaphia *in Anglia qua lingua concinnata?* 329
Equites *ſpirituales in Anglia.* 328
In Erivano, *urbe, pluviæ ſub veſperam frequentes, unde?* 296
De Eſtheris *tempore Diſſ.* 402. 416

Evæ *nomine quid innuatur?* 330
Evangelium *Muhammedanum genuinum.* 108
Evidentia *moralis in quo conſiſtat?* 186. 188
Eunuchiſmus *Chriſti myſticus.* 529
Evremontii *fata & ingenium.* 27
Excommunicatio *Eccl. quid notet?* 145 ſſ.
Exomologeſis *quid?* 147
Exorciſmus, *libris appoſitus.* 510
Experimentandi *methodus Rizzettiana improbata, Newtoniana vindicata.* 228 ſſ.

FAbri (*Ant.*) *nativitas & mors.* 418
teſtamentum. 419
Fecialis *unde dicatur?* 327
Fecialium *in Anglia origo.* 328
De Fecialibus *Angliæ Diſſ.* 327
Feles *in ſacra proceſſione deductæ.* 266
Felicitas *vera hominis in hac vita.* 229*
Feſtuca *quid?* 515
Feſtucaria *vis, unde dicta?* 515
Fevret (*Claudii*) *nativitas & mors.* 419
ſymbolum & epitaphium. 419
Fides, *qualis ſit habitus?* 289
Figura *e Phyſica eliminanda.* 228*
Filia *Sacerdotis, quæ dicatur in Scriptura?* 13
Vocis, *quid?* 521
Fixæ *a Luna occultatio obſervata.* 475
Flibuſtiers *quinam dicantur?* 266
quos mores ſervent? 266 ſq.
Florentinæ *Academiæ Faſti Conſulares.* 348
Florentinorum *Scriptorum Hiſtoria promiſſa.* 356
Academicorum orationes promiſſæ. 356
Flores *quid notent in Inſcript.* 153
Florum *natura explicata.* 46
In Floribus *uſus farinæ.* 47
Fœminæ *ut a perjurio revocatæ?* 451
Foliorum *arboris in aves transformatio curioſa.* 300 ſq.
Foreſta *unde derivetur?* 329
Forma *e Phyſica eliminanda.* 228*
Fornicis *ſingularis quadratura geometrica.* 471
De Fortinez (*Leonh. Henr.*) *Commentarii de rebus Caroli VI Imp. in Hiſpania geſtis, excerpta.* 302
Franciſcus Ludovicus, *Com. Pal. Rheni, qua lege a Clemente XI conſtitutus Coadjutor Archi-Ep. Mog.* 101
Franciſci *I R. G. indigna erga Papam humilitas.* 53
virtutes & vitia. 53
veſtis, qua uſus in pugna ad Ticinum, num ſuperſtes? 363
Frater, *vox, expenſa.* 497
Fraternitatum *ſpecies ſex.* 497
FRIDERICUS AUG. *Princ. Reg. & El. Sax. quando & quo*

quo ritu acceſſerit ad Sacra Pontificia? 102. 103
Frigorificæ *particulæ e Phyſica eliminandæ.* 228*
Frigoris *hiberni cauſa.* 466
ad calorem æſtivum ratio. 466
Fruticum *natura explicata.* 46
Fulminis *effectus ſingularis.* 466

GAbriel, *ſcriptor Syrus.* 6
Gabrielii (*Aug.*) *Or. in funere B. Zeni.* 22
Galilæi, *contemptim dicti Chriſtiani.* 108
A Galileis (*Galilei*) *vitæ memorabilia.* 354
Gallia *num Regnum hæreditarium, an ſucceſſivum?* 454
Galliæ *Reges aliquot a calumnia vindicati.* 454
Gallienorum *Tabula Geneal.* 400
Gallinarum *pulli ut in furnis excludantur?* 33
Ganzenmülleri (*Jo. Joſ.*) *Matricula Diœceſeos Ratisbon.* 191
Gatakerus *defenſus.* 529
A. Gellius *illuſtratus.* 516
Gemelli (*Fr.*) *notatus.* 303
Generatio *hominis non fit per animalcula ſeminis virilis.* 47
Genethliaca *themata impugnata.* 92
In Genu *articulo materia lubrica unde?* 370
Geometræ *præſtantiſſimi capitalis erroris in Mechanica accuſati.* 445
Geometriæ *hiſtoria condi cœpta.* 478
Georgius, *Scriptor Syrus.* 5. 6.
Gigantum *cadavera detecta.* 33
Gorea, *Inſula, aqua & ligno deſtituta.* 36
Gradus *honoris, ſtudiis in Anglia debiti, quatuor.* 329
De Græcæ & *Lutheranæ eccleſiæ conſenſu Diſſ.* 500
Grævius (*Jo. Ge.*) *notatus.* 161
Grammondi *Hiſtoria Gallica Autori inimicos peperit.* 365
proſtratæ rebell. ab ejus Hiſt. Gallica plane diverſa. 365
Grandus (*Guido*) *notatus.* 447
Gratia *Dei cum Sole comparata.* 28
De Gratia *Dei Tract.* 28
Graviditatis *Patronus.* 29
De Graviditate *mulierum, abſentibus maritis poſſibili, perſuaſio Indorum.* 299
Gravitatis *motus theoria ampliata.* 475
Gregorius, *Cypri Abbas, Scriptor Syrus.* 3
Grünbeckius (*Joſ.*) *quis?* 191
Guajacæ *uſus in lue vener.* 267
Gueret (*Gabriel*) *autor libri,* La Guerre des Auteurs. 419
Gypſi *particulæ quam habeant figuram?* 466

De HAbed Jeſu, *Scriptore Syro, judicium.* 1
Hakewillus *de Antiqv. legum Britann.* 326
Hamburgenſis *Eccl. Hiſtoria diplomatica.* 503 ſq.
Harduinus *refutatus.* 403. 408

Digitized by Google

Harlæanæ *familiæ caput & rami.* 60
De Harlay (*Franc.*) *vita.* 59 ſſ.
epitaphium. 65
Harmonia *Græcorum in quo conſiſtat?* 452
Harmoniæ *præſtabilitæ fundamentum.* 39
Haſæi (*Jac.*) *Diſſ. de Berytenſi JCt. Academia commendata.* 429
Hebraicam *linguam intelligunt incolæ Inſulæ Madagaſcar.* 367
Heineccius (*Jo. Gottlieb*) *notatus.* 516. 517
Heraldus *unde dicatur?* 327
De Herciſcundis *Diſſ. promiſſa.* 429
Hermannus (*Jac.*) *notatus.* 373 ſſ.
Hermonthitarum *Templum Jovis.* 34
nummus. 34
Herodoto *fides aſſerta.* 407
Hierarchia *Eccl. in veſtibus conſiderata.* 345
De Hierarchiæ *Eccl. periodis & converſionibus Diſſ.* 505
Hierocles *quis, & quando vixerit?* 526
Hieroſolymæ *urbis deſcriptio.* 23
quot ſectæ vivant? 25
Hiſtoria *V. T. cum Hiſtoria Eccl. N. T. comparata.* 9
num condi poſſit vera? 288
Hobbeſius, *ex Atheo Chriſtianus.* 494
Hollandi (*Joſ.*) *Diſſert. antiquariæ.* 327
Homeri *nummus genuinus nullus exſtat.* 402
De Homeritarum *martyrio Epiſtola.* 7
Homo *quantum præſtet beſtiis?* 290
Horatiæ *familiæ nummus rariſſimus explicatus.* 399 ſſ.
Horologiorum *varia genera.* 431
De Horologiis *veterum Diſſ.* 452
Hoſpitalius (*Mich.*) *notatur.* 262
Hotmannus (*Fr.*) *notatus.* 429
De Hottingeri *Bibl. Or. judicium.* 2
De la Houſſaje (*Amelot*) *unde ſcientiam ſuam hauſerit?* 364
Huberi (*Hlr.*) *Dial. de ratione juris docendi & diſcendi.* 422
Orat. tres de ſtudiis Jurisprud. rite inſtituendis. 422
Hugenius *notatus.* 140
Humoris *cryſtallini ſingularis proprietas.* 134
Hydrargyrum *cur in barometro aſcendat & deſcendat?* 390
Hyemantes *in veteri Eccl. qui?* 148
Hyperbolæ *e verbis Dei eliminandæ.* 505
æquilateræ ope circuli deſcriptio. 432

JAbachues, *quis?* 3
S. Jacobus, *Scriptor Syrus.* 3. 4.
Jacobus *Diac. Edeſſæ, Scriptor Syrus.* 4

Digitized by Google

Jacobus, *Epiſc. Edeſſæ, Scriptor Syrus.* 5
Jacobi II *R. A. obitus & laudes.* 98
De Jacobi *Patriarchæ ſternutatione fabula Judæorum.* 453
Jamblichi *liber de vita Pythagoræ emendatus.* 356 ſſ.
Babylonica a Chriſtina R. Suec. magno pretio redemta. 365
Ibas, *Scriptor Syrus.* 4
Idealiſtæ *quinam ſint?* 39
Japhetus *quas urbes exſtruxerit?* 25
De Jejunio *veterum Diſſ.* 451
Jeremiæ *caverna.* 23
Jeroboamus Jeſozus *detectus.* 453
Jeſuitæ *cur honorentur?* 30
miſſionarii in India, laudati. 267
Miſſam tecto capite celebrant. 300
Jeſuitarum *in India avaritia, idololatria Confucii & contemptus Papæ.* 29
Jeſuitas *cur averſentur incolæ Canadæ?* 29
Contra Jeſuitas *cur alii Miſſionarii in India nihil proficiant?* 30
De Illuminatione *notiones Theol.* 505
Indulgentia *quid in Veteri Eccleſia?* 148
Infinite *parvi notio explicata.* 262
Infinitorum *Analyſeos Hoſpitalianæ nodi.* 262
Inflammatorum *Academia Patavii a quo inſtituta?* 350
Influxus *phyſici ſyſtema immortalitati animæ parum favet.* 39
Innocentius XI *Pont. Galliæ inſultavit.* 63
Inſcriptiones *Gruterianæ illuſtratæ.* 160
Inſignia *Anglorum ab Ægyptiorum hieroglyphicis petita.* 328
quando hæreditaria eſſe cœperint? 329
Inſtauratores *literarum in Italia.* 454 ſſ.
Inſtrumentum *Aſtronomicum novum.* 475
Inteſtinum *Jejunum habet tunicam papilloſam.* 372
Inteſtini *introſusceptio per purgantia tollenda.* 372
Inundationum *hiſtoria.* 215
De Johanna *Papiſſa fabula unde nata?* 52
Johannes *Baptiſta ubi natus?* 24
Jolithi *odorem violarum fundunt.* 365
Joppe, *urbs, an & quando a Japheto exſtructa?* 24. 25
Joſephus, *Scriptor Syrus.* 7
Hiſtoricus, notatus. 411
Joſephi *teſtimonium de Chriſto genuinum.* 189
Joſua *Stylites, Scriptor Syrus.* 5
Jovis *Hermonthitarum templum.* 34
Per Jovem *Lapidem jurandi formula, quid ſignificet?* 449
Irrationalium *calculus ad formam rationalium reductus.* 262

Digitized by Google

Iſaacus *Senior, Scriptor Syrus.* 3
Magnus, Scriptor Syrus. 4
Ninivita, Scriptor Syrus. 5
Iſidis *templi rudera.* 33
Iſpahani, *urbis, conditio.* 296
Iter *ad littora Guineæ & in Americam.* 36
in Indiam Orient. 25. 266
ad Mare Pacificum. 266
per Orbem univerſum. 294
per Germaniam, Belgium, Angl. Gall. Ital. & Siciliam. 361
in Inſulam Madagaſcar. 366
in Terram Sanctam. 22
in Turciam, Aſiam, Syriam &c. 30
De Juba *Jun. Rege Mauritaniæ, Diſſ.* 453
Judæ *Regni urbs præcipua.* 37
Judæi *refutati.* 276
Judicia *Dei expenſa.* 215
De Ivetot *Regni origine Diſſ.* 454
Julius II *Pont. incentor belli per Europam.* 53
Junctura *in oratione quid ſit?* 458
ut differat ab ordine? 458
Junonis *epitheta.* 152
Juramenti *ſanctitas apud veteres.* 450
Juramenta *ſecuritatis publicæ inſtrumenta.* 450
Jurandi *ritus apud veteres.* 448
regulæ. 450
Jureconſultorum *vitæ.* 417. 419
De Jurejurando *veterum Diſſ.* 448
Juris *Naturæ principium novum.* 228*
officia. 228*
De Juris *ſtudiorum methodo Diſſert.* 421
Jurisprudentia *an conveniat Epiſcopo?* 226
Juſtiniani (*Bern.*) *Or. ad Ludovicum XI R. G.* 22
Juſtitiæ *definitio.* 227*
Juſtitiarii *in Anglia quando inſtituti?* 327
Juvenalis *a Mazarino in delitiis habitus.* 363
illuſtratus. 429

LAbeonis (*Antiſtii*) *ambitio & diſcipuli.* 427
Labyrinthus, *opus mirabile.* 34
Herodoti, P. Melæ & Plinii cum moderno comparatus. 34
Lacrymæ, *vox, unde deſcendat?* 218
Lacrymale *vaſculum vitreum cum inſcriptione, eximiæ raritatis.* 154
Lactea *vaſa primi generis uniuntur cum vaſis lacteis ſecundi generis.* 371
Lacus *Mexicanus ſub beſtiæ Apocalypticæ ſchemate repræſentatus.* 302
Lambda *Græcum ſimplex pro L & A & duplex pro M & ANN poſitum.* 154
Lambecii (*Petri*) *linguæ volubilitas.* 364
reditus. 364
Lanienæ *Pariſienſis deteſtatio.* 53
Larvæ *cur olim in dramate adhibitæ?* 452

Larvæ *cur eædem fuerint in omni dramate* 452
De Larva *Commentatio.* 452
Lazari *mortui anima quo in ſtatu fuerit?* 179 ſſ.
Leibnitiana *Series pro circulo inutilis.* 471
Legatus *Gallicus ſemper primas præ Cæſareo ubi habuerit?* 32
Legem *Moſaicam quinam ad ſalutem neceſſariam putaverint?* 111
num Chriſtus ſuſtulerit? 111. 112
quo ſenſu Paulus dixerit intolerabilem? 112
Leges *in Anglia ut ſenſim mutatæ?* 326
Leges *explicatæ aut illuſtratæ:*
L. 22 C. de fidejuſſ. & mand. 162. 169
L. 2 §. 2 ff. de hered. vend. 162. 170
L. 45 ff. de uſuris. 163. 170. 171
L. 57 ff. de donat. inter vir. & ux. 171
L. 13 §. 1 L. 27 L. 35 §. 4 ff. de mort. cauſ. don. 164. 171. 172
L. 1 §. 6 ff. de poſtul. 164. 165 172. 173
L. 8 §. 11 ff. de pœnis. 173
L. 1 §. 10 ff. Si quadrupes. 165 173. 174
L. 9 L. 10 L. 20 §. 10 ff. de hered. petit. L. 56 ff. de rei vind. §. 3 I. de Interd. 165 *ſeq.* 174 *ſeq.*
L. 4 §. 1 L. 6 pr. ff. de Leg. Commiſſ. 168. 177
§. ult. I. quib. ex cauſ. manum. non lic. 168. 177
Nov. 119 c. 2. 177
L. 5 §. 1 ff. de conſtit. pecun. L. 8 ff. de judic. 168. 169 178
Legum *civilium ſyſtema quale formandum?* 231*
Leo *an cum tygride eodem loco commoretur?* 27
Leopoldi *Imp. mors, terræ motu prædicta.* 98. 99
Leſcaloperius (*Petr.*) *notatus.* 107
Lex *Moſaica ut & cur abolita?* 112. 113
cur data Judæis? 113
Naturæ, quid profanis? 186
Librarii *apud Romanos quinam?* 509
medio ævo quinam? 510
Libris *falſa nomina cur præfixa?* 510
olim appoſitus exorciſmus. 510
In Libris *edendis quæ cautio adhibenda?* 21
De Lino *incombuſtibili Diſſ.* 453
Lipſienſes *nundinæ Venetis prælatæ.* 366
Liquidum, *pro* purum & defæcatum. 323
pro mobile. 323
T. Livii *ſtatua num ſuperſit?* 151
verſio Gallica, exemplis Latinis auctior. 364
De Locuſtis *varia.* 217
Logarithmicæ *quædam proprietas.* 43. 44
Longi (*Ant.*) *Or. in funere Nic. de Ponte.* 22
Lucianus *quando vixerit?* 523
illuſtratus. 526. 527

Digitized by Google

Ludovici Sancti *R. G. expeditiones ſacræ excuſatæ.* 52
XI R. G. ſuperſtitio & amor vitæ. 53
Lumen *num ex vacuo in aerem refringatur?* 474
Lunæ *eclipſis obſervata.* 475
Lutherus *ſententiæ de immortalitate animæ falſo poſtulatus.* 495
Luxus *Romanorum.* 452
Plebejorum. 158

Machiavellus *torturæ ſubjectus.* 364
Machina *parallactica ad aſtrum in centro teleſcopii retinendum.* 431
Machinarum *deſcriptiones.* 430. 431
Macularum *Solarium cauſa falſa rejecta.* 474
Madagaſcar *Inſulæ incolarum origo.* 28
mores. 367. ſſ.
Magnæus (*Arnas*) *laudatus.* 320
Magnus *R. Norv. cur Legum Emendator dictus?* 320
Maittairiani *Catalogi ſupplementum.* 505
Mali *Perſici & foliorum anatome.* 372
Mancipiorum *Indiæ Occid. miſera conditio.* 268
Manuſcripta *dilapidata.* 192
Maras, *Scriptor Syrus.* 4
Marca *in Norvagia duplex.* 320
Marcelli (*Chriſtoph.*) *Or. in funere P. Barrocii.* 22
Marditæ *quinam?* 8
B. Maria *ubi ſepulta?* 23
Maria, *Scotiæ Regina, defenſa.* 323
Marianæ *Inſulæ unde dictæ?* 301
Maro (*Jo.*) *Scriptor Syrus.* 5
Maronitarum *religio & proclivitas in Pontif. Rom.* 33
Martellus (*Car.*) *cur a Monachis notatus?* 51
Martelli (*Hugolini*) *fata.* 350
Martinica, *Inſula, quot incolas numeret?* 37
Martyria, *quæ olim dicta?* 201
462
Martyrum *conſtantia unde?* 292
Maruthas, *& ejusſcripta vindicata.* 3. 4
Mas *quid ſignificet in Scriptura?* 414
Materia *prima, Deus.* 288
in Dei locum ſubſtitui nequit? 290
De Materia *Medica libellus.* 264
Materialiſtæ *quinam ſint?* 39
Mathematica *methodus cur damnanda?* 226
Matronæ *qua re olim a Concubinis diſtinctæ?* 518
Matthæi *Evangelium duplex.* 111
In Matthæum *Commentarius Jac. Elsneri examinatus.* 520 ſſ.
Mazarinus *cum Richelio comparatus,* 65
quos Autores veteres habuerit in delitiis? 363
Mechanicæ *popularis expoſitio.* 430
In Mechanica *erroris capitalis accuſati Geometra.* 445
Intra Mediaſtini *membranas cavitates nullæ.* 371

Medicæ *Inſtitutiones.* 264
De Medicamentorum *formulis libellus.* 264
Medicinæ *notitia peregrinanti proficua.* 295
Mediobarbi *ad Sinas profectio.* 103
Meditationum *neglectus præcipitii cauſa.* 18
Melchitæ *quinam?* 8
De Menſuris *terræ in Anglia variis Diſſ.* 327
Mercurii *præparatio in fodinis quibusdam Hiſpanicis.* 467
Merillii (*Emundi*) *Or. de propagando Juris ſtudio.* 422
Meſenterium *plurimos habet nervos.* 370
— *continet vaſa nondum detecta.* 371
Meſenterii *apoſtema purulentum.* 371
— *glandulæ plures ſunt in junioribus quam adultis.* 372
In Meſenterio *vaſorum ſanguineorum extremitates ut determinentur?* 370. 371
Meſtertii (*Jac.*) *de imminuendo labore ſtudii Juris Diſſ.* 422
De Meta (*Nic. Urb.*) *vita Cypriani Baraze.* 271
Metaphyſica, *fons diſciplinarum.* 228*
— *Wolfiana commendata.* 38
Metaphyſicæ *notiones veritatibus Mathematicis illuſtrantur.* 39
Meteorologicæ *obſervationes commendatæ.* 389
Meteorologicæ *obſerv. inſtitutæ.* 467
Meteorologicum *diarium ut conficiendum?* 391. 392
Meteorum *igneum boreale.* 465
Mexicana *chronologia curioſe repræſentata.* 301
S. Milles *quis?* 2. 3
Miltoni (*Jo.*) *Secretarius, amens.* 362
Minervæ *caniſtrum cur portare non licuerit virgini Atticæ?* 523
Miniſtrorum *Collegia quando reformanda?* 231*
Miracula *num hodie dentur?* 292
— *num imaginationi adſcribenda?* 292
De Miraculis *gentilium Diſſ.* 453
De Miſcellionibus *Diſſ. promiſſa.* 429
Miſſa *a Jeſuitis tecto capite celebratur in China.* 300
Mitra *Pontificalis triplex.* 347
Mixti *cognitionem num Chymia ex vero ſpondeat?* 470
M. Mogul *num feſto die corporis ſui pondus exploret?* 298
Mohacenſe *prælium.* 302
Mohammetani *refutati.* 276
Mohammetiſmus *unde ortus?* 94
— *in quo conſiſtat?* 110
— *favet Socinianis.* 110
De Moivre (*Abrah.*) *notatus.* 477
Mochimus, *Scriptor Syrus.* 4

Monconyſius *notatus.* 32
Moniſtæ *quinam ſint?* 39
De Monmort (*Petri Remondi*) *elogium.* 476 ſſ.
Monſtra *humana.* 370
De Monumentis *ante inventas literas Diſſ.* 453
De Morbis *cognoſcendis & curandis Aphoriſmi.* 264
Mori (*Thomæ*) *quæſtio ridicula.* 328
Mortariorum *genus novum.* 480
Moſes Mardenus, *Scriptor Syrus.* 6
Moſis *Hiſtoria tota typica.* 8 ſſ.
Motus *reptorius commendatus.* 385
principia recepta, in dubium vocata. 442
gravitatis theoria ampliata. 475
muſculorum examen. 469
Motuum *compoſitio, Geometris recepta, impugnata.* 445
Mundus *quo modo periturus?* 291
De Munzeri (*Th.*) *doctrina & factis Diſſ.* 505
Muratorii (*Lud. Ant.*) *vita Fr. Petrarchæ.* 512
Muſculorum *ſcapulæ mechanicæ.* 469
Mutili, *magiſtratus & Regiæ dignitatis incapaces.* 12
Myſteria *continent doctrinam ad pietatem.* 15
Myſteriorum *doctrina neceſſaria.* 15

N

NAſi *mutili reparatio.* 468
Naſonis *nomen quibus familiis Romæ proprium?* 157
Natalis *dies num dicatur pro die mortis?* 160
Natoliæ *conditio.* 33
De Navarræ *origine, fatis & ſucceſſione Diſſ.* 423
Naugerii (*Bernh.*) *vita.* 21
obitus. 22
Nazaræi *cur dicti hæretici?* 108
Nazarenus & *Nazaræus ut differant?* 108
Tolandi refutatus. 107
Nazareni *an dicti primi Chriſtiani?* 107
Neſtorianiſmi *in Oriente origo.* 7
Ex Nihilo *fieri aliquid, an abſurdum?* 289
num poſſit procreari dimidia unitas? 447
Nilus, *Danubio par.* 296
Nili *inundatio quando contingat?* 33. 34
Ex Nivis *altitudine fertilitatis augurium.* 297
Noachi *nomine alluditur ad Meſſiam.* 332
Nonnus, *Scriptor Syrus.* 4
Noriſius (*Henr.*) *notatus.* 155
Noſtradami *ſepulchrum.* 32
Ad Numerum *in oratione quæ requirantur?* 459
Nummus *Hermonthitarum.* 34
Turpiliani explicatus. 152
Horatiæ familiæ rariſſimus explicatus. 399 ſſ.
Nummi *deperditi a quo reſtituti?* 400
De Nummorum *veterum uſu in Theologia Diſſ.* 505

Digitized by Google

In Nummis *nota reſtitutionis quænam?* 400
Nundinæ *Lipſienſes Venetis prælatæ.* 366
Nuptiæ *coram notario in Gallia prohibitæ.* 63
Nyet *Relatio miſſionis Jeſuitarum ad Mexos.* 271

OBſequens, *epitheton Fortunæ & Jovis.* 154
quid notet in Inſcript. 154
Obſervationes *Meteorologicæ.* 467
commendatæ. 389
Oculi *rotundi in transverſim oblongos mutati.* 365. 366
Oeſaphagi *anguſtia, a glandulis tumefactis orta, ut curata?* 370
Ogi, *Regis Baſan, regio.* 33
Olearius (*Gottfr.*) *defenſus.* 521 ſq.
Oly, *Idoli in Inſula Madagaſcar, deſcriptio.* 367 ſq.
flagellatio. 368
Opera, *per quæ Jacobus fidem vult declarari, quænam?* 115
Opticæ *ſingularia.* 135 ſſ.
Orationes *conſiſtoriales.* 97
Ordinationis *character, indelebilis.* 146
Ordo *orationis in quo conſiſtat?* 458
quotuplex? 458
artificialis quis ſit? 458
naturalis in quo conſiſtat? 458
Ordinum *Monaſticorum origines & litigia.* 64
Orientalis *Bibliotheca.* 1 ſſ.
Eccleſiæ doctorum vitas qui dederint? 1 ſſ.
Origenes *a Pamphilo defenſus.* 94
Oſſa *animalium ſub vertice rupis reperta.* 467
ut generentur? 372
Oſſium *anatome.* 372
humanorum differentia ab oſſibus brutorum. 372
Ovarium *fœminarum non datur.* 370
In Ovario *veſtigium excuſſi ovi repertum.* 372
Ovidii *ſepulcrum num ſuperſit?* 155. 157
Metamorphoſes pro S. Bibliis venditatæ. 267

P *In Inſcriptionibus ſæpe pro B ponitur.* 154
De Pace *ſapientum tractatio.* 185
Pachacamus, *creator univerſi apud Indos Occid.* 268
pro Hiſpanorum Deo venditatus. 268
Pachemii *ſermo Gr. contra Empactas & mores ſui ſæculi.* 505
Papæ *infallibilitas negata.* 28
Parabolæ *ope circuli deſcriptio.* 433
Parabolani *quinam?* 469
Paracletus, *nomen appellativum Spiritus S.* 199
De Paradiſo *ſententia Indorum.* 269
Parallactica *machina ad aſtrum in centro teleſcopii retinendum.* 431

Partium corporis humani mutilatarum reparatio. 467
Paſchalici (*Petr.*) *Or. ad Regem Luſitaniæ.* 22
Pachalis *vigilia ut olim celebrata?* 200
De Paſquierio (*Steph.*) *varia.* 419
Patellæ *vaſa ſanguinea.* 370
Pedelli, *ſtationarii publici.* 510
Pedes *Pontificis Rom. oſculandi ritus defenſus.* 347 ſq.
Pedis *Londinenſis ad Pariſienſem ratio.* 392
Pediculi, *milites Dei pedeſtres.* 215
De Pegaſo *JCto quinam egerint?* 429 ſſ.
Penis *virilis non habet glandulas in corona glandis.* 370
Peponis *uſus, mortis cauſa.* 64
Peregrinantibus *data præcepta.* 295
Perjurii *pœna.* 451
licentia Oratoribus, Poetis & amantibus data. 451
Perſarum *Reges num fuerint polyonymi?* 404
in longinquam expeditionem profecturi, ſucceſſorem deſignabant. 413
Regum inauguratio ut fiat? 297
Perſepolis *ruina.* 297
Petrocorium, *urbs a Japheto exſtructa.* 25
Petrarcha (*Fr.*) *ſenex Græca didicit.* 454
Petrarchæ (*Fr.*) *in Ciceronis Opp. expiſcandis ſtudium.* 454
Petrarchæ (*Fr.*) *Teſtamentum.* 512
donatio Bibliothecæ Reip. Venetæ facta. 512
S. Petrus *primam miſſam celebravit.* 346
S. Petri *effigies.* 347
Philippi Pulcri *R. G. & Bonifacii VIII Pont. ſimultatum hiſtoria.* 54 ſq.
In Philippinis *Inſulis quot ſubditos numerent Hiſpani?* 300
quantum auri quotannis colligant Hiſpani? 300
Philoſophia *non repugnat Theologiæ.* 288
Philoſophorum *ſectæ generales.* 39
Philoſtorgii *Hiſt. Eccl. a Chriſtina R. Suec. magno pretio redemta.* 365
Phocas, *Scriptor Syrus.* 5
Picteti & *Vaſſeurii Epiſtolæ mutuæ de religione.* 283
Pietas *doctrina myſteriorum promovetur.* 15
Pinguedo *ſubtiliſſimis turget vaſculis ſanguineis.* 371
Du-Pinii *Bibliotheca Aut. Eccl. proſcripta.* 64
Pipinus *num Papæ autoritate factus Rex Galliæ?* 52
Piſani (*Petr.*) *Or. de laude Philoſophiæ.* 22
Piſces *foſſiles Narbonæ.* 366
In Pium V *Pont. cenſura.* 53
Planta *habet tranſpirationem inſenſibilem.* 48
non nutritur niſi mediante terra. 48

Plantæ *cujuſdam virtus pulcritudinem conſervandi.* 32. 33
ut generentur? 46
habent ſexum. 46
Plantarum *Catalogus locupletiſſimus, ineditus.* 33
in claſſes diſtributio. 46
nutritio ut fiat? 47
ſpecies novæ num naſcantur? 470
generum characteres. 470
Platonis *Philoſophiæ fata.* 288 289
Plebejorum *olim luxus.* 158
Plinius *Major notatur.* 34
Pluraliſtæ *quinam ſint?* 39
Plutarchus *Condæo in delitiis.* 363
Pluviæ *arenoſæ exemplum.* 467
in Erivano urbe ſub veſperam frequentes, unde? 296
Pluvialis *aquæ quantitas ut dimetienda?* 392
Anni 1719 467
Pnevmatoceles *cauſa.* 371
Pœnitentia *legitima quænam?* 148
Pœnitentiæ *apud veteres ratio diverſa.* 147
Pœnitentium *claſſes in veteri Eccl.* 147
In Poeſin *odii exemplum.* 61
Poetarum *Italorum Carmina Latina collecta.* 192
veterum lectio damnata. 230*
Anglorum veterum tria genera. 329
De Poetica *arte Hebræorum Diſſ.* 453
Politica, *pars Juris Naturæ.* 229
Bibliotheca. 230*
Polyandria *quænam?* 157
Polybius *Condæo in delitiis.* 363
Polygamia *in Inſula Madagaſcar frequens.* 367
Pomeraniæ *Hiſt. Eccl. monumenta.* 501 ſſ.
Pompeji Magni *columna.* 33
Pontifex *V. T. qualis eſſe debuerit?* 12. 14
ad Pontificem N. T. reſpicit. 13
N. T. Chriſtus. 14
Rom. olim a ſolo Imperatore Rom. pependit. 51
Pontificis *V. T. veſtitus myſteria.* 346
Rom. veſtes in locum veſtium Aaronis ſucceſſere. 346
pedes oſculandi ritus defenſus. 347 ſſ.
Pontifices *quando ſe Imperatoris imperio ſubduxerint?* 52
Pontificia *religio defenſa.* 280 ſſ. 282 ſſ.
Pontificiorum *errores.* 282
Porcelli *in proceſſione ſacra deducti.* 266
Portugalli *Sinum Perſicum tuentur.* 297
Præjudicia *ſeculi moderni vitam concernentia.* 531 ſſ
De Præparatione *gratioſa Notiones Theol.* 505
Prevenhuberi (*Val.*) *Annales Styriæ.* 191
Principis *officia.* 229* 231*

Prin-

Principis *jus in religionem quodnam?* 229*
definitio. 231*
Principium *duplex, bonum & malum, quod, & cur colatur incolis Inſ. Madagascar?* 368
Probabilitas *practica, in quo conſiſtat?* 227*
Procellæ *ut obſervandæ?* 391
De Proculianorum *in Jure ſecta Diſſ.* 425
De Prodigiis *apud Veteres Diſſ.* 453
Propheteia *quid ſint?* 462
Prophetiarum *clavis ex Hiſtoria petenda.* 9
Providentia *naturæ circa viſionem.* 138
Provinciale *Romanum.* 506
Prudentiæ *definitio.* 227*
De Pruſſiæ *Regno novo querela Clementis XI.* 98
Puella *Aurelianenſis a quo ſubornata?* 53
Pulvæi (*Andr.*) *Opusculorum nova editio promiſſa.* 519
Purpurarii *quinam?* 155
Pyramides *ab Ægyptiis cur poſitæ?* 156
Solis & Lunæ Mexicanæ ab interitu vindicatæ. 301.302
Pyri *& foliorum anatome.* 372
Pythagoræ *libri tres, magno pretio redemti.* 509

QUadraturarum *doctrina promota.* 440 ſſ.
Tractatus Newtonianus commendatus. 439
promotio Leibnitiana Newtono vindicata. 440
Quakeri *bonorum & uxorum communionem habent.* 362
Quantitas *per nihilum diviſa, num infinitum quid deſignet?* 447
Du Quesne *laudatus.* 26
Quietis *definitio juxta Galileum.* 290
Quintilianus *illuſtratus.* 457
Quistorpii (*Jo.*) *de Chriſtianiſmo Græcorum hodierno Diſſ.* 501

RAbulas, *Scriptor Syrus.* 4
Radiorum *in lente refractorum aberratio negata.* 315 ſſ.
Supra Rationem *num ſint res ſacræ?* 290
Rationarium *Hierarchicum.* 506
Ratisbona *illuſtris.* 191
Reformationem *an ſponte ſuscipere potuerint Proteſtantes?* 278
Refractio *in prismate quatenus ad lentem applicari poſſit?* 231
Refrangibilitas *luminis diverſa, impugnata.* 305 ſſ. 394 ſſ.
Regalium *ortus, cauſa & progreſſus.* 65
De Regeneratione *notiones Theol.* 505
Regis *titulus in Anglia ſatrapis datus.* 330
Regnum, *corona Pontif. Rom.* 347
Religio *Hiſpanorum & Luſit. qualis?* 28

Digitized by Google

Religio *Mohammetana cur tam late ſparſa?* 28
Pontificia defenſa. 280 ſſ. 280 ſſ.
Religionis *Chriſtianæ neceſſitas probata.* 494
Religionum *ritus diverſi non tollunt divinitatem.* 286
Reliquiæ *Martyrum quando coli cœptæ?* 464
Remi *novi navigiis majoribus applicandi.* 431
Remotio *Clerici quotuplex?* 146. 147
Renau d'Eliſagaray (*Bernh.*) *elogium.* 479
De Renovatione *notiones Theol.* 505
Reſponſa *Prudentum quam autoritatem habuerint?* 428
Reſtitutionis *nota quæ in nummis?* 400
De Retz *Card. alter Catilina.* 65
Rhaith *quid ſit Britannis?* 330
Ricatus (*Jac.*) *notatus.* 73. 74
Ricaltus, *atheus.* 365
Ridigeri (*Andr.*) *retractationes.* 226 ſſ.*
Ritus *Eccl. Rom. cur ſint inſtituti divini?* 346
Rivetus (*Andr.*) *notatus.* 203
Rizzettus *refutatus.* 227 ſſ.
defenſus. 304 ſſ.
Robigus *Deus, & Robigalia ſacra.* 217
Roffenſis *Textus editus.* 189 ſq.
Epiſcopi elogium. 190
Rollii (*Mich.*) *elogium.* 478
Roma *terræ motu peritura.* 217
De Q. Roſcii, *Comœdi, vita Diſſ.* 453
Rothſcholtzi (*Frid.*) *ſpecimen Hiſt. Bibliopolarum recentioris ævi.* 510
Rübezahl, *ſpectrum, unde?* 362
Rubigo, *Dea.* 217
Rudbeckius (*Ol.*) *typographiam inſtituit.* 507
Runas *quis primus fundi curaverit?* 508
Ruſſicæ & *Lutheranæ Eccl. conſenſus.* 500
typi quando in Svecia fuſi? 508
Ruyter (*Mich.*) *cur filias elocaverit Miniſtris Eccleſiæ?* 362

Saba (*Jo.*) *Scriptor Syrus.* 5
Sabbathi *Chriſtianorum inſtitutio libera.* 114
De Sabinianorum *in Jure Secta Diſſ.* 425
Sacerdotis *filia quæ dicatur in Scriptura?* 13
Sacerdotum *auctoritas apud Indos.* 267. 268
Per Sacerdotes *V. T. quinam deſignentur in N. T.* 13
De Sacramentis *Veterum Diſſ.* 448
Sacrificia *a Deo juſſa.* 332
Sagalaſſi, *urbis, rudera.* 33
Salaria *miniſtrorum Eccl.* 400
Salica *lex unde dicta?* 50
quos obligaverit? 50
non excludit fœminas. 50
Salivæ *utilitas ad nutritionem.* 371
Sanctus (*Severus*) *emendatus.* 218
Sanctorum *cultus, idololatricus.* 29
Inter Sanctos *quinam a monachis recepti?* 51
Sanguinis *eſu quinam prohibiti Act. XV?* 114
menſtrui evacuationis phænomenon ſingulare. 469
Fluxus per cutim capitis. 372
Sapientiæ *definitio.* 227*

Satellitum *emerſiones per diverſa teleſcopia non eodem tempore obſervantur.* 475

Scarabæi *in inſigni veterum Regum Francorum.* 362

Schilteri (*Jo.*) *memoria.* 420

curſus ſtudiorum civil. 422

Schultingii (*Andr.*) *Or. de Jurisprudentia hiſtorica.* 422

Scotiæ *Hiſtorici recenſiti.* 323

Scriptores *veteres a quibus primum fuerint detecti?* 455

Scripturæ *S. integritas vindicata.* 110

veritas vindicata. 495

Scripturæ *S. loca illuſtrata aut explicata:*

Gen. I, 26. 96

III, 14. 15. 331

IV, 1. 332

2. 3. 4. 5. 332

25. 332

VI, 3. 332 ſq.

Exod. VIII, 21. 217

XX, 3. 496

Lev. XXI, 1-3. 10. 12

Num. XXI, 4-9. 12

1. Sam. VII. 11

1 Reg. XIX, 4. 120

2 Reg. I, 2. 217

1 Chron. IX, 33. 216

Pſ. XXXI, 6. 120

Prov. VIII, 22, 23. 331

Eccl. II, 15. 530

Eccleſ. XII, 7. 117

Eſ. VII, 18. 217

XII, 9, 13. 15. 124

LVIII, 13. 19

XLIV. 144

XLII, 5. 144

Hoſ. XIV, 3. 216

Sophon. III, 9. 217

Zachar. XII, 1. 144

Matth. V, 44. 522

X, 23. 524

XI, 19. 524

29, 30. 525

XV, 5. 527

XVI, 26. 528

XVII, 2. 528

XIX, 12. 529

XXV, 19. 530

XXVI, 36. 96

Luc. II, 29. 121

XII, 20. 124

XVI, 22. 122

23-25. 124

XXII, 69, 70. 96

XXIII, 43. 123

46. 120

Job. VII, 27. 96

XIV, 2. 3. 117

XVI, 109

XX, 23. 149

Act. VII, 59. 121

XV, 114

XX, 10. 126

Rom. IX, 5. 96

1 Cor. I, 23. 24. 15

II, 14. 19

III, 11. 331

2 Cor. V, 1. 118

8. 116

Gal. V, 1. 113

Phil. II, 6. 96

Col. II, 18. 125

2 Petr. III, 15. 113

Ebr. XI, 7. 333

XII, 10. 16. 17. 122

23. 119

Apoc. VII, 14 15. 123

De Scripturæ *S. veritate num poſſint eſſe certi Calviniani &c.* 277 ſq. 283

Scufonii (*Fr.*) *de Locuſtis Obſervatt.* 234*

Sectiones *Conicæ nova ratione demonſtratæ.* 431

Sectionum *Conicarum proprietates*

etates ex ipſo Cono optime demonſtrantur. 435
Sectionum *cadaverum utilitas* 372
Secundinæ *vi non ſunt extrahendæ.* 371
Sedes *Apoſtolica, thronus divinitatis in terra viſibilis.* 224
Seldenus (*Jo.*) *emendatus.* 7
Seldeni (*Jo.*) *epitaphium.* 362
Seminis *virilis craſſa portio ad ovarium penetrat.* 369
Senecæ *Tragœdiæ a Mazarino in delitiis habitæ.* 363
Sepeliendi *ritus eo tempore, quo combuſta corpora, a quibusdam ſervatus.* 156
veterum Chriſtianorum. 461
De Septimi *diei feſto apud Judæos Diſſ.* 451
Sepulcra *quid ſint?* 156
cur inviolabilia? 156. 462
ubi exſtructa? 156
quotuplicia? 156 ſſ.
ut in templa recepta? 461 ſſ.
ornandi modus apud Gentiles & Chriſtianos diverſus. 462
violare cur inter Chriſtianos aliqui tentaverint? 464
quibus olim in Eccl. negata? 464
Sepulcri *Chriſti deſcriptio.* 201
Serpentis *ſanctitas in Regno Judæ.* 37
Serpente *æneo quis deſignetur?* 14
Series *pro circulo.* 471
Leibnitiana inutilis. 471
Servi *poſt mortem dominorum cum illis combuſti.* 268
Servierii *profectus in Matheſi.* 363
Sfondratæ (*Agat.*) *elogium.* 17 ſſ.
Shira, *nomen Anglicum, unde?* 327
De in Shires *diviſione Angliæ differtatt.* 326
Sideralium *altitudinum phænomenon ſingulare.* 472
De Siguenza (*Car.*) *Libra Aſtronomica.* 302
De Silveſtris (*Camilli*) *icon.* 399
opera. 401
Elogium. 399
Epitaphium. 401
Simeon, *Scriptor Syrus.* 45.
Sirus (*Victor*) *cur vitæ periculum ſubierit?* 365
Slevogti (*Jo. Phil.*) *memoria.* 420
Philoſophia JCtorum. 422
Snell (*Jo.*) *primus Sueciæ typographus.* 507
Sociniani *refutati.* 279
Socratis *genius an filia vocis.* 521. 525
De Socratis *ironia, genio & moribus Diſſ.* 453
Soli *dicatas virgines apud Indos caſtas eſſe oportet.* 268
Sophiſtæ *quotuplicis generis?* 227*
Speculum *Svevicum.* 191
Spencerus *refutatus.* 12
Speuſippi *Opera magno pretio redemta.* 509
Sphinx *unde orta & quid deſignet?* 33. 34
Sponius *notatus.* 32
Strauchii (*Jo.*) *JCti elogium.* 420 ſq.
Sportula *quid ſit?* 497 ſq.
Sportulantium *Fratrum Hiſtoria.* 496

Sportulare *an neutrum?* 498
Stationarius *quis?* 510
Stellæ *Magorum radius inter reliquias.* 29
novæ in balæna pervolutio determinatur. 472
Sterlingi,*moneta,unde dicti.*326
De Sterlingorum *moneta Diſſertatt.* 326
Sternutantibus *bene precandi mos unde?* 452
Stoica *Philoſophia ut juri immixta?* 428
Strabo *notatus.* 365
Strozzæ (*Jo.*) *vita & mors.* 349 350
Struthiones *in cibum cedunt.* 270
Studiorum *curſus juveni præſcriptus.* 230*
Stylites (*Simeon*) *Scriptor Syrus.* 4
(*Joſua*) *ſcriptor Syrus.* 5
Suanteviti, *Deaſtri, nomen unde?* 217
idolum deſtructum. 217
Submerſorum *mors num eveniat ſine pota aqua?* 467
Sudoris *canales qui?* 370
Suecicæ *typographiæ hiſtoriola.* 506
Suetonius *illuſtratus.* 161
De Suffocato *præceptum ut irrepſerit Act. XV?* 114
Sulaca (*Jo.*) *ſcriptor Syrus.* 6
De Symphonia *Veterum Diſſ.* 452
Syrus,*apud Lucianum,quis?* 523

Tabelita, *doctor univerſalis.* 7
C.Taciti *verſio Gallica accurata.* 61
Taiſand (*Pet.*) *vita.* 417
ſcripta. 418
Taſmanni (*Abelis*) *Expoſitio de terris Auſtralibus.* 270
Tavernerius *notatus.* 296
Taurelli (*Lælii*) *vita.* 351
Taylorus *notatus.* 219
Teleſcopiorum *perfectio unde pendeat?* 141
Templariorum *ordo injuſte exſtirpatus.* 52
Temporis *diviſio apud Coptas.* 35
Templum *ſepulcri Chriſti quando & a quibus perfectum?* 24
In Tentationibus *quid faciendum?* 18
De Terminis *judicialibus Angliæ Diſſ.* 327
Teſtamenti Vet. *hiſtoriarum uſus.* 8 ſq.
In Teſtamento Novo *cur nulli poſt Johannis Evangelium Annales Chriſti?* 9
Teſtimonii *ratio conſiderata.* 188
Tevii (*Jac.*) *liber de geſtis Hiſpanorum ad Diam in India non eſt Buchanani.* 324
De Theatrali *habitu Diſſ.* 452
Themata *gentiliaca impugnata.* 92
Theocriti *Idyllion IV explicatum.* 453
paſtores explicati. 453
In Theologicis *controverſiis modus ſervandus.* 505
Theoria *Geometriæ elementaris nova.* 471
Thermometri *ſitus commodiſſimus* 391
S.Thomas *cur Ariſtotelem iterum introduxerit?* 289
Thymi *uſus.* 371
Tiara, *corona Pontificis.* 347
Tolandus (*Jo.*) *refutatus.* 107-115
Tolandi (*Jo.*) *Epiſtola de inventione typographiæ.* 106
Tonitru *pro Deo habitum.* 217
Tonſura *Eccl. ex antiquitate defenſa.* 347

Tonſura

Digitized by Google

Tonſura *autorem habet S. Petrum.* 347
Tornacenſi *Eccleſiæ Epiſcopus a Pontifice datus.* 101
Torni *defectus ſuppleti.* 476
Touttée (*Ant. Auguſtini*) *vita.* 204 ſq.
Traditio *defenſa.* 279 ſq.
Trajanus *nummos deperditos ut reſtituerit?* 400
Trappius (*Joſ.*) *notatus.* 322
Tribunianus *defenſus.* 519
Tribus *variæ tabulis depictæ.* 451 ſſ.
De Tribubus *Rom. Diſſ.* 451
De Tribus Impoſtoribus *liber in Guelferbytana exſtat.* 364
Tridentini *Concilii Hiſtoria Dupiniana, non nova.* 19 ſq.
De Trinitate *Patrum ſententiæ examinatæ.* 95
Trinomiorum *in binomia reſolutio.* 440
Triregno *quid?* 347
Triturationis *ſyſtema impugnatum.* 468
De Trochilos, *ave, ſingularia.* 34
Trojæ *rudera.* 296
Turcarum *Zelus in religione commendatus.* 32
Typi *Græci, Hebr. & Arab. quando in Sveciam invecti?* 508
Ruſſici quando in Suecia fuſi? 508
Typi *legales unice ab arbitrio divino ſunt determinati.* 10
Typorum *V. T. uſus.* 8 ſſ. 11 ſſ.
De Typorum *uſu & abuſu Diſſ.* 9 ſſ.
Typos *legales inter & hiſtoricos quid interſit?* 11
Typographi *olim eruditi.* 105
in Suecia quod forum habeant? 508
Typographiæ *inventio an Sinis debeatur?* 106
a Cicerone hauſta. 106
Typographiæ *incunabula reviſa.* 505
Suecicæ hiſtoriola. 506
De Typographiæ *inventione Diſſ.* 106
Typographici *Annales.* 104
Vadſtenenſis *in Suecia monaſterii typographia vetuſtiſſima.* 507
Valerianorum *tabula Geneal.* 400
Valerii (*Auguſtini*) *operum catalogus.* 20
in polygraphia delectatio. 21
Valgorum *tibia ut ſe habeat?* 371
De la Valle (*Petrus*) *notatus.* 32
Vapores *noxii ſolutionibus ut arceantur?* 469
Varchi (*Bened.*) *epitaphium.* 350
Le Vaſſeur *& Picteti literæ mutuæ de religione.* 283
De Vaugelaſio (*Claud.*) *varia.* 419
Venæ *ſectio infelix.* 63
Venerea *lues, incolis fere omnibus Inſulæ Madagaſcar familiaris & glorioſa.* 368
Veneti *Patritii ſcriptis clari.* 21
Vetimigliæ (*Ant.*) *Obſervatt. de Miſſione in China.* 299
Ventorum *impetus ut dignoſcendus?* 398
Ventriculus *habet tunicam papilloſam.* 372
Ventriculi *ſtructura ab erroribus Anatomicorum liberata.* 468
In Ventriculo *atherometa peregrina inventa.* 372
Vermium *humanorum diverſa figura.* 370
ovula in eorum corporibus generantur. 370
Veſicæ *urinariæ tunica excreta.* 371
Veſparum *deſcriptio.* 466
Veſtalium *hiſtoria.* 152
Veſtes *Pontificis Rom. in locum veſtium Aaronis ſucceſſere.* 346

INDEX RERUM.

In Veſtibus *conſiderata Hierarchia.* 348
Veſtitus *Summi Pontif. V. T. myſteria.* 346
Cardinalium origo. 348
De Veteranis *Diſſ.* 452
Virgilius (*Polydorus*) *notatus.* 213
Virgines *Soli dicatas apud Indos caſtas eſſe oportet.* 268
Virginitatem *ſponſarum Indi ſacrificulis ſuis offerunt.* 269
In Ulmo *bufo vivus repertus.* 468
Umbræ *Lunaris tranſitus ſupra Tellurem in eclipſi Solis A.* 1724. 333
Ungues *monſtroſi.* 468
Voluntatis *ſedes ubi?* 289
Ureterum *valvulæ repertæ.* 263
Urim & Thummim *quid ſit?* 496
Urina *ano clauſo per vulvam reddita.* 468
Urſatus (*Jo. Ant.*) *laudatus.* 160
Urſati (*Sertorii*) *de Notis Rom. libri editio nova auctior promiſſa.* 161
vita. 150 ſq.
ſcripta. 151
Urſatorum *familia ut in equeſtrem evecta?* 150
Contra Uſurarios *rigor frenandus.* 231*
De Uſuris *lex Moſaica quos obſtrinxerit?* 114
Per Vulvam *alvi exoneratio.* 468
Uxores *Regis Judæ poſt ejus mortem venditæ.* 37
poſt mortem maritorum cum illis combuſtæ. 268
Uxorum *vivicomburium cur a Braminibus ſuadeatur?* 298

W Allisius *pecuniæ appetentior.* 264
Wallius (*Laur.*) *typographiam Upſaliæ inſtituit.* 507
Wanleji *Obſervatt. in MS.* Hibernicum. 107
Waſſenbergii *diœceſis Ratisbonenſis conſiderata.* 191
Welſtedius (*Leonb.*) *notatus.* 322
Whiſtonus *refutatus.* 92-96
Whitloki (*Jac.*) *Epitaphium.* 330
Wicliffi (*Jo.*) *Vita.* 205 ſſ.
ſcripta ſollicite ſuppreſſa. 212
Wicquefortius *ut ex carcere Hagienſi ſe ſubduxerit?* 264
Wieland (*Joach.*) *Typographia Hafniæ nova.* 320
Winſtrupius (*Petr.*) *typographiam inſtituit.* 507

X *Quid in Nummis notet?* 400
XN *notat octoginta.* 159
In Xenophontis *Cyropædiam Obſervatt. Geogr.* 453
Xyſtus, *Scriptor Syrus.* 5

Z Elus *Epiſcopi qualis eſſe debeat?* 225
Zeni (*Apoſtoli & P. Catarini*) *Fratrum, in Fr. Petrarchæ carmina merita.* 512
Zenobius, *Scriptor Syrus.* 3

Errata.

Pag. 149 *lin.* 29. *dele in initio* miniſtro *& in fine* de, *& lin. ſeq.* 30 *poſt* quædam *adde* de miniſtro; *p.* 153 *lin.* 31 *lege* ſecundam; *p.* 159 *l.* 32. Patrono; *p.* 166 *l.* 17 *pro* II *lege* I; *p.* 184 *l.* 32 afferentes; *p.* 186 *l.* 14 adſtringantur; *p.* 187 *l.* 23 craſſa; *p.* 195 *l.* 18 Philippo; *p.* 275 *l.* 1 floruerit; *p.* 286 *l.* 18 expiſcari, *l. pen.* proterve; *p.* 291 *l.* 22 de animabus; *p.* 330 *l.* 12 *in initio lege* rei; *p.* 463 *l.* 10 mortuos; *p.* 468 *l.* 4 cicatricem; *p.* 509 *l.* 15 illos *it.* prælectos.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google